Digitized by the Internet Archive
in 2025

https://archive.org/details/theologiaeasceti0000rpfr

THEOLOGIAE

ASCETICAE ET MYSTICAE

CURSUS

THEOLOGIAE
ASCETICAE ET MYSTICAE
CURSUS

AD USUM

SEMINARIORUM, INSTITUTORUM RELIGIOSORUM CLERICORUM

NECNON

MODERATORUM ANIMARUM

A

R. P. FRANCISCO NAVAL

E MISSIONARIIS FILIIS IMMACULATI COR. B. V. MARIAE

CONCINNATUS



Versio latina, iuxta tertiam editionem hispanicam, a

R. P. IOSEPHO M. FERNANDEZ

eiusdem Congregationis alumno, accuratissime facta et ab Auctore recognita et approbata.

—

Altera Editio.

—

TAURINI (ITALIA)

Ex Officina Libraria MARIETTI anno 1820 condita

nunc MARII E. MARIETTI Sanctae Sedis Apost., S. RR. Congr. et Archiepiscopi Taurinensis Typographi

—

MCMXXV

APPROBATIONES

Nihil obstat.

J. Lopez Alijarde, C. M. F., *Censor.*

Imprimatur.

Nicolaus García, C. M. F., *Sup. Gen.*

Imprimatur.

Fr. Albertus Lepidi O. P., *S. P. A. Magister.*

Imprimatur.

† Iosephus Palica, Arch. Philippen., *Vic. Ger.*

V. Nihil obstat.

Can. Stephanus Ronco, *Rev. Del.*

Imprimatur.

C. FRANCISCUS DUVINA, *Provic. Gen.*

(40) IUS PROPRIETATIS VINDICABITUR (30-VIII-25-3M).

VENERABILI SERVO DEI

ANTONIO MARIAE CLARET

ET

CLARÀ

RERUM ASCETICARUM SCRIPTORI PRAESTANTISSIMO

ET MYSTICO SUBLIMI

ANIMARUM MODERATORI PRUDENTISSIMO

ET SAPIENTISSIMO CONSILIARIO

SPIRITUUM SOLERTISSIMO DISCRETORI

ET PACIFICATORI

FILIORUM EIUS NOVISSIMUS

Aci 2092

Litterae R. Pontificis in forma Brevis ad Auctorem.

—

Dilecto Filio

FRANCISCO NAVAL Sac.

e Missionalibus Filiis Immaculati Cordis Mariae

BENEDICTUS PP. XV.

Dilecte Fili, salutem et apostolicam benedictionem.

Binos libros tuos, quos tribus comprehensos voluminibus, pietatis testandae causa, Nobis deferendos curasti, equidem grate accepimus: illum praesertim qui Sermonario Breve *inscribitur. Doctrinae enim et bonitate et copia, in conciunculas lucide dispositae, valde commendabilem esse scimus; eundemque peropportunum iis, qui debeant subito aut in angustiis temporis de rebus divinis dicere, Nosmet ipsi usu cognovimus. Nam pluries et ante Archiepiscopatum Bononiensem, cum aliquid operae daremus* ministerio verbi, *et in Archiepiscopatu, maxime cum dioecesim rite lustraremus, praeclarae is liber commoditati Nobis fuit. Eum igitur gaudemus, novis a te expolitum curis, latius vulgari. Alterum, qui est de* Teologia Ascética y Mistica, *nunc primitus videmus, sed, tua perspecta sollertia, existimare licet, ipsum quoque probabilem esse ac frugiferum. Quare tibi, dilecte Fili gratulamur: atque, auspicem caelestium, quae optamus, munerum, et benevolentiae Nostrae testem, apostolicam benedictionem amantissime impertimus.*

Datum Romae apud S. Petrum die XXIII *Martii* MCMXV, *Pontificatus Nostri anno primo.*

Benedictus PP. XV.

PROLOGUS

Multa, quidem, vel ab antiquissimo christianae religionis aevo, super huius libri argumento conscripta fuere, nec ipsorum recentiorum de rebus ascetico-mysticis scriptorum labores satis umquam ponderabuntur; ipsi enim, quidquid antiqui clariores magistri rei mysticae vel altius vel luminosius circa hanc sublimem scientiam in suis scriptis seminaverant, sapienter concluserunt et unum pulchre velut in corpus ordinaverunt doctrinae.

Praelaudati vero scriptores vel necessitatibus animarum pro temporum adiunctis subveniendo intenti, vel ipsarum moderatoribus solummodo et confessariis in obeundo fideliter munere tanto adiumenta praebere satagentes, minime curarunt libros componere, qui ad scholarem curriculum tam arduae theologicae disciplinae pro *textu* forent, quique breviori volumine totam doctrinam et praxim per latissimos Asceticae et Mysticae campos sparsas paucis compararent.

Nec aetate nostra defuere quidem plausibiles conatus tantum opus aggrediendi, nec dubium quin haec studia ad huiuscemodi reconditas et altissimas disciplinas diffundendas et rectius applicandas maxime contulerint: ea tamen opera vel laborant ordinis et methodi defectu vel conceptuum concisionem negligunt et obscuritate foedantur vel e contra desideratur in ipsis compendiosa illa rerum amplitudo, et indoles practica in regulis directionis tradendis, adeo optanda in libro textus qui

vere Asceticae et Mysticae Cursus sit appellandus, qualis et magistrorum et discipulorum est in optatis.

Longe sane absumus a praeconcepti propositi assequutione, nec est cur nobis supplaudamus opusculum praesens iis dotibus exornasse, quas in similibus reperire iuvaret, neque his pagellis omnia complevisse quae in eiusdem generis operibus desiderantur; iuvat tamen talia pro viribus nostris esse conatos, atque spes nobis affulget viros fortunatiores adventuros, qui nostram ditabunt inopiam, atque defectus obliterabunt.

Hic autem unus in conscribendo opusculo scopus nobis arripitur, librum exarare, qui valeat textus haberi in scholis Asceticae et Mysticae tam Seminariorum quam Collegiorum religionum clericalium, sicut etiam in collationibus quae singulis hebdomadis, diebus festis, ad provectiores alumnos fiunt in nonnullis Seminariis, praeter eas conciunculas quae praefatis diebus ad ipsos in publicis religiosis exercitiis habentur.

Integro autem hoc primario consilio, nobis etiam arridet fore ut haec nova editio (testantibus plurimis e sacerdotibus qui praecedentes hispanicas editiones manibus versarunt) quasi *vademecum* suscipiatur ab iis, qui iam animabus regendis operam navant; hic enim collecta et ordinata invenient documenta spiritualia, quae disseminata nimium in tractatibus locupletioribus repererint. Nec difficile evadet in praedicatione iam versatis hoc adiumento ex tempore dicere de rebus spiritualibus, si quando eis sermo ad pios auditores habendus.

Quod autem doctrina in hoc nostro Cursu proposita fidem mereatur, nemo inficiabitur qui sciat nos eam e purissimis Mysticae fontibus hausisse, ut opportune commonstratur, pluriumque nobis et veterum et recentiorum scripta esse versata, eorum scilicet qui de re de qua agimus accuratius scripserunt, ut eorum nomina et opera passim prolata satis superque manifestant. Et haec quidem, praeter experientiam multis annis captam in sacris ministeriis obeundis, praeterque consilia et auxilia a nonnullis collata directoribus, in animabus moderandis diu multumque versatis.

Iam vero, ut libellus noster opportunior, qua practicus, et adiunctis temporum accommodatior evaderet, hic etiam finis assequendus ipsi adlaboravimus, ut, scilicet, *modernistarum* studia atque sensibilem nimis aetatis nostrae propensionem obtunderet atque profligaret, quae sensim et simulate in quorundam directorum methodos irrepserunt, quaeque, ut mos fert, plurium oratorum sacrorum usu, de rebus loquendi sensum nimis commoventibus et auditorum qui in iis audiendis delectatione capiuntur, in exercitiis pietatis omnino vacuae, in libellis, imaginibus atque picturis propositae diurna iam et nocturna fidelium manu evolvuntur.

Logicam rerum synopsin in hoc Cursu nostro sequendam videsis ad calcem *Introductionis* seu *praenotandorum.*

Sacratissima Iesu et Mariae Corda faxint ut labor noster, quantuluscumque, ad sanctificationem animarum plurimum praestet auxilii, ut ipsae quoque in terris atque in caelis Corda tanta magis magisque glorificent.

Scribebam Matriti mense Maio anni 1922.

NOTA

Numeri, qui intra uncinulos efferuntur typis nigrioribus in decursu operis numeros indicant marginales sub quibus materia exponitur, cum ea de qua in textu agitur intime connexa.

THEOLOGIAE ASCETICAE ET MYSTICAE CURSUS

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

INTRODUCTIO

1. Mysticae definitio generalis. — Mysticae nomine, iuxta vim etymologicam (a graeco μυστικός) audit in genere quidquid *secretum* est, *occultum* sive mysterio *velatum;* unde Theologia Mystica idem sonat atque *sapientia secreta*, testante mysticorum principe S. Ioanne a Cruce (1).

In praxi definitur Theologia Mystica: *Rerum divinarum experimentalis cognitio cum amore Dei practico ad gradum usque altiorem qui possibilis sit adipisci.* Sumpta vero haec theologica scientia sensu proprio et doctrinali sic erit definienda: *Scientia de christiana perfectione, deque directione animarum ad eam perfectionem assequendam.* Sic accepta Mystica, una eademque denominatione sub se continet Asceticam et Mysticam proprie dictam, prout iam ab antiquitate christiana concludebantur (2); appellationum vero con-

(1) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. 8; *Noche oscura*, l. II, c. 17.

(2) Hisce quoque temporibus eo nomine donantur ab auctoribus tam praeclaris uti S. Francisco Salesio, PP. Godínez, La Reguera, Schram, etc.; sed quod nomina sint eadem non idcirco et scientiarum ipsarum identitas asserenda, nam et olim Dogmatica. Apologetica, Moralis, Pastoralis in unam Theologiam confundebantur dum nostris temporibus tamquam res diversae habentur et separatim in scholis traduntur.

fusionis vitandae gratia, nomen Mysticae, nudum, retinebimus Mysticae *proprie dictae*, cum de eadem sermo fiet extra hunc operis tractatum generalem, qui utrasque scientias germanas amplectitur (1).

2. Divisio. — *Mystica generalis*, uti perstrinximus, in *experimentalem* et *doctrinalem* partitur, utraque vero in Asceticam (a graeco ἄσκησις exercitatio), et Mysticam proprie dictam.

Mystica *doctrinalis* ea est quam supra definivimus; mystica vero *experimentalis* est actuum humanorum series, quos doctrinalis perpendit. Alteram ab altera perbelle distinguit auctor *De imitatione Christi* dicens: *Opto magis sentire compunctionem, quam scire eius definitionem* (2). Hoc autem differunt Ascetica et Mystica proprie dicta, quod prior illa semper actuositatem aliquam hominis supponat simul ac ordinaria divinae providentiae auxilia, altera vero actionem divinam extraordinariam, quae sese in actibus contemplationis infusae prodit, prae oculis habeat (3).

3. Asceticae, atque Mysticae specialis definitio. — His super Mystica et Ascetica generali notionibus praelibatis, possumus iam singularum conceptum specifice definire sive practicum sive logicum aut scientifice proprium. *Ascetica*, igitur, *experimentalis* est: *Dei*

(1) Quoniam nullum invenimus commune vocabulum, quod Asceticam simul ac Mysticam significet, quodque huic tractatui generali possit aptari, nomen *Mysticae generalis* (quod idem valet atque *scientia vitae spiritualis*) in priori operis nostri parte retinemus; postea vero, in tractatibus specialibus, unaquaeque proprio nomine designabitur. Non inepte eam vocaremus: *Introductionem Generalem in Asceticam et Mysticam;* sed aptius putamus vocari *Mysticam Generalem* vel *lato sensu*, sicut eam vocavit Card. Vives (*Compendium Theol. Ascetico-Myst., Praenotiones*).

(2) Kempis, l. I, c. 1.

(3) Non est cur callentibus latinum idioma definitiones afferantur verborum *ordinarium* et *extraordinarium* quae passim in tractatibus istis ab scriptoribus usurpantur; nec est cur quaestiones implicentur, conceptusque velimus ad apices usque perpendere, uti placet publico cuidam scriptori, has quaestiones pertractanti.

cognitio et dilectio per ordinaria media Providentiae divinae obtenta; per exercitium, nempe, virtutum, orationem mentalem, contemplationem activam, praesupposita semper gratia divina ordinaria. Hinc *Ascetica doctrinalis* erit: *Scientia quae agit de christiana perfectione, atque de animabus ad ipsam dirigendis per media ordinaria divinae Providentiae.*

Mystica proprie dicta, in ordine experimentali, est: *Intuitiva* (1) *Dei cognitio eiusque intensissima dilectio ex infusione divina, id est, per extraordinaria media divinae Providentiae obtenta.* Unde Mystica *doctrinalis* merito dicetur: *Scientia quae agit de christiana perfectione atque de animabus ad eam dirigendis per media extraordinaria (aut minus communia) divinae Providentiae, ea nempe quae ad contemplationem infusam spectant* (**15**).

Quid significet *infusa contemplatio*, quae differentia specifica Mysticae Theologiae proprie dictae ponitur, tunc attentius perpendemus, quum de ea suo loco agetur: nunc scire sit satis *contemplationem divinam* esse, generatim, *Dei divinorumque intuitionem admirativam, et amore plenam;* quae quidem *activa* vel *passiva* esse potest, aut planiore verbo, *acquisita* vel *infusa.* Passiva seu infusa contemplatio ab una pendet actione Dei extraordinaria in anima, ita ut haec, per semetipsam, nec ad breve momentum valeat eam contemplationem attingere etiamsi totis viribus adnitatur; sed eius sint partes obstacula tantummodo, quae contemplationi officiant, avertere, atque susceptae gratiae assentiri, idque vi alterius praevenientis gratiae: contemplatio, vero, activa seu acquisita, gratia Dei ordinaria, humanoque labore potest obtineri citra communes et ordinarios vitae spiritualis terminos, qui Asceticae vires non transgrediuntur (2).

(1) Vox *intuitiva* non sumitur hic sensu stricto, sed per oppositum *discursivae.*

(2) Poulain, *Des grâces d'oraison*, p. I, c. I, n. 12; Fernández Concha, *Teologia mistica*, c. 2, etc. (Conf. in proprio loco dicta, **202**).

4. Utriusque ratio scientifica et specifica. — Ascetica et Mystica *doctrinales* considerant ascetici et mystici experimentales actus in ordine ad christianam perfectionem, eos analysi subiiciunt, inter sese comparant, eorum processus, origines et fines perpendunt, directionem quam sequuntur, normas sequendas ex principiis a Deo revelatis, quae in Scripturis Sacris, traditione, et Ecclesiae decretis continentur; inde conclusiones theorico-practicas deducunt, ex quibus scientiae mysticae corpus assurgit (1).

Iure igitur *scientiarum* nomine gaudent, quippe quae certis principiis et conclusionibus coalescunt; sunt vero scientiae *theologicae* quia Deum formale habent obiectum, sub ratione assequibilis, ope cognitionis et amoris hominis viatoris (2), quam perfectissime fieri potest in hac vita; sunt scientiae *ordinis supernaturalis* quia tam earum obiectum quam principia quibus illuminantur ad hunc ordinem pertinent; *speculativo-practicae* dicuntur quia non in sola veritatum cognitione, ut dogmatica Theologia, consistunt, sed ad regendos quoque mores cum Theologia morali descendunt (3); eo tamen ab hac differunt, quod non in liciti aut illiciti studio sistant, sed ulterius ad *perfecti* considerationem, assequutionemque procedant.

Ab invicem vero distinguuntur phaenomenorum psychologicorum causa quae eae contemplantur (15), seu obiecti proximi circa quod respective versantur, et etiam ratione mediorum quae praesupponunt, quibusque ad perfecti assequutionem ipsis utendum; dum enim

(1) Vid. P. Wenceslaus del S. Sacramento, *Fisonomia de un Doctor*, t. II, c. 1.

(2) Schram, *Instit. Theol. Myst.*, § 1.

(3) Invaluit apud auctores in iis scientiis definiendis vel speculativum tantummodo adspectum considerare vel practicum, quum ex utroque certe debeat earum adaequata definitio coalescere. Theologiam namque moralem *liciti et illiciti scientiam* dicere, est rationem eius speculativam tantum inspicere, ac si Mysticam aut Asceticam *scientiam christianae perfectionis* ediceremus. Similiter, earum notionem ex sola *directione actibus humanis ad vitam aeternam impressa* deducere, est earum practicum adspectum tantum considerare.

Ascetica viam ad Deum quaerit christianarum ope virtutum, harumque perfectionis, quatenus ordinariis viribus assequibilis, et ad hanc ipsam perfectionem inducit ex auxiliis, ordinariis etiam, divinae gratiae; Mystica vero quae de contemplatione infusa sunt perquirit, et, ut iam praediximus, auxilia et operationem Dei extraordinaria supponit (1): at Mystica tamen nec intendit nec potest in talium phaenomenorum renovationem intendere, quod Ascetica circa sua praestat; sed id tantum efficit ut ipsorum intimam naturam penetret, doceatque ita eis uti quod anima magnam ex eis capere possit utilitatem et ita sese habeat erga ipsa phaenomena quod parata sit ea in se recipere quin illa impediat.

Uno verbo : Etsi sacra Theologia una sit, quia unum est obiectum eius formale (2), at possumus hoc ut genericum et remotum considerare, et in eo (in obiecto *formali quod*, ut aiunt philosophi et theologi) differentes respectus et relationes distinguere quibus tamquam fundamento utentes, possimus sacram Theologiam in species infimas ita dividere : si Deum, obiectum generale Theologiae, ut cognoscibilem consideramus, habemus *Theologiam Dogmaticam ;* si tamquam mediis actibus humanis adsequibilem, *Theologiam Moralem ;* si tamquam adsequibilem per amorem perfectum et actuum ope qui arbitrio cuiusque animae repetuntur, *Theologiam Asceticam ;* si vero per actus manifesta actione divina productos, quorum renovatio non animae arbitrio relinquitur, *Theologiam Mysticam*. Alias Theologiae notas divisiones omittimus quia non ad rem nostram faciunt (3).

(1) Cf. P. Wenceslaus, *l. c.*; Seisdedos, *Principios fundamentales de la Mistica*, t. I, c. 3; P. Meynard, *La Vie spirituelle;* Fernández Concha, *o. c.*, Introd., et alii.

(2) S. Thomas, *Summa Theol.*, I, q. 1, a. 3.

(3) Cf. Schram, *Institut., l. c.;* Moran (P. Ioseph) O. P., *Theol. Mor.*, Tract. praelim., a. 1, etc. Quaerunt theologi gradum distinctionis inter diversas theologicas disciplinas et communiter rerum Moralium Asceticarumve scriptores admittunt actus humanos esse harum practicarum scientiarum obiectum *materiale* et *immediatum* (remotum Deus esset ut ait Card. Vives, *o. c.*), ipsarumque obiectum *formale* habitudinem vel relationem eorum actuum ad

5. Mysticae fontes in genere. — Asceticae et Mysticae fontes, seu loci unde scientiae illae sua principia et argumenta depromunt, iidem fere ac in ceteris theologicis disciplinis recensentur, scilicet : *primarii* et essentiales Scriptura Sacra, Traditio, Conciliorum oecumenicorum decreta, necnon Rom. Pontificum resolutiones ; *secundarii* vero et accessorii sunt SS. Patrum, singulatim consideratorum, sententiae, Provincialium Synodorum decreta, mysticorum doctorum aut scriptorum doctrina, ipsa ratio fide illustrata, historia quae autobiographias et narrationes mysticorum experimentalium continet, moderatorum denique atque studiosorum legitima experientia.

6. Harum scientiarum momentum. — Non est nobis hic sermo de summa Asceticae et Mysticae experimentalis utilitate, quum nemini sit dubium quin anima in ipsis veram sapientiam inveniat, per quam unam possibilem felicitatem in vita consequimur et in aeterno saeculo. Agimus vero de utilitate Asceticae et Mysticae doctrinalis quarum studium tum ex fine tum ex obiecto maximi est habendum, quia utilissimum altissimumque.

Iam vero nihil nobilius, nihil altius, nihil difficilius itemque utilius arripere sacerdos valeat in terris quam animos ad christianam perfectionem erigere atque moderari : maior namque Deo ab una anima, quae perfectionem attingat gloria tribuetur (attingent autem plurimae si sapienter dirigantur et directioni velint obsecundare), quam a turba multa tepiditate et imperfectionibus oppressa. Iure meritoque dixerit S. Gregorius Magnus : *Ars est artium regimen animarum* (1).

Contra vero, inopia magistrorum moderandis animabus idoneorum inter praecipuas causas annumeranda est quare multae animae viam perfectionis relinquunt, ut

normas morum in ordine assequutionis vitae aeternae (*Th. Moralis*), aut perfectionis christianae acquirendae (*Th. Ascetica*), aut relate ad manifestam Dei operationem (*Th. Mystica*). Et si ita res est, nobis essentialis et specifica videtur distinctio inter praedictas scientias, nec tantum modalis ut placet aliis.

(1) *Liber Regulae Pastoralis*, p. I, c. I.

vix centesima quaeque ex iis, quae ad perfectionem impelli se sentiunt, illam adipiscantur (1). Omnibus nota sunt verba, quibus S. Theresia a Iesu mala deplorat ex inopia optimorum directorum manantia (2), et S. Ioannis a Cruce doctrina malum huiusmodi lamentantis (3).

Si ergo scientiarum nulla est, quae sine studio, sine libris, sine magistris apprime possit addisci, luce clarior apparet utilitas, imo necessitas huic studio regendarum animarum insudandi, cum sit ars tam difficilis, supereminens et occulta (25).

7. Historicae notitiae. — Veneranda Mysticae Theologiae antiquitas ad prima usque christianorum saecula pertingit, quippe quae vel eodem iam nomine Mysticae Theologiae appareat in operibus, quae beato Dionysio Areopagitae (4) adscribuntur, quae quidem saeculi V medietatem saltem attingunt.

Sancti vero Patres plerique, ne dicam omnes, Theologiam Mysticam edocuere, scripta sua consiliis et documentis perfectionis passim spargentes, licet apparatum scientificum haud curaverint. Eminent inter graecos S. Basilius, S. Gregorius Nazianzenus, S. Ioannes Chrysostomus, S. Ioannes Clymacus, ac pseudo-Dionysius; inter latinos autem S. Cyprianus, S. Ambrosius, S. Augustinus, S. Hieronymus, S. Gregorius Magnus, S. Isidorus, S. Anselmus, et S. Bernardus. Famosae fuere *Vitae Patrum* necnon Ioannis Cassiani *Collationes* (saec. V) asceticam mire redolentes (5), quas Doctor Angelicus in deliciis habuit, quod doctrinam

(1) Godinez, *Práctica de la Teologia Mistica*, l. 7.

(2) *Vida*, c. 5.

(3) *Llama de amor viva*, canc. 3, v. 3, § 12; P. Wenceslaus, o. c., l. II, c. 2.

(4) Recentiores critici paternitatem eorum librorum denegant beato Dionysio Areop. et primo Episcopo Parisiensi. — Videre est hodiernos Patrologiae auctores, inter quos Yus, epoca I, c. 8; Bardenhewer, § 100, etc. Monitos volumus lectores, non Historiam nos neque criticam historicam scribere sed breves tantum notitias pro directione alumnorum.

(5) Excipiuntur *Collationes 13 et 17*, quibus errores admiscentur.

et practica exercitia Patrum Thebaidis atque Palaestinae resumerent.

Saeculo XII celebre nomen sibi vindicavit schola mystica abbatiae Sancti Victoris (Parisiis) cum duobus praeclarissimis magistris Ugone et Richardo philosophis et theologis, scholasticis aeque ac mysticis, qui in studium contemplationis speciales curas impenderunt et principia haec ascetico-mystica in unum doctrinae corpus redigere tentarunt. Miram opem eo saeculo contulere S. Bernardus, necnon consilia atque scripta sanctae Hildegardae abbatissae benedictinae.

A saeculo XIII apparet Mystica principiis scholasticis magis ac magis informari, opera praesertim eminentium admodum ingeniorum S. Thomae, S. Bonaventurae, Gulielmi Parisiensis aliorumque, nec parum emolumenti, quoad praxim spectat, contulere beatarum Gertrudis, Mechtildis et Angelae de Foligno *Revelationes*.

Saeculo XIV eminuere inter mysticos, experimentales acque ac theoricos, Ioannes de Ruysbroeck, Henricus Suso, Ioannes Taulerius, quorum scriptis accessere S. Birgittae *Revelationes,* itemque *Dialogi* S. Catharinae ex eius extasibus et revelationibus adornati.

Saeculo XV Dionysii Carthusiani, Th. a Kempis, Vincentii Ferrerii, Henrici Herpensis, Ioannis Gerson aliorumque scriptis scientia mystica ditescere perrexit.

Centuria autem XVI vere fuit *aureum* mysticae *saeculum,* in quo veluti primae magnitudinis astra et omnium mysticorum facile principes emicuere S. Theresia et Ioannes a Cruce, e quorum doctrinis ebibendum erit in posterum omnibus, qui de rebus istis edicere pertentaverint. Accesserunt scriptis eorum, quasi speciosissimi fructus eiusdem aetatis *Exercitia spiritualia* S. Ignatii de Loyola, *Audi, Filia,* B. Ioannis de Avila, necnon tractatus varii Venerabilium Ludovici a Granata, Bartholomaei de Martyribus, Ludovici Blosii, Bellarmini et aliorum.

Saeculo iam XVII ordine accuratiore atque methodo magis scientifica tradi solita est mystica disciplina, ope maxime scriptorum: **Societatis Iesu,** Alvarez de Paz, Le Gaudier, et Michaëlis Godinez; **O. Carmelitani,**

Philippi a SS. Trinitate, Ioannis a Iesu et Maria, et Antonii a Spiritu Sancto; **O. Praedicatorum**, Ioannis a S. Thoma et Thomae Vallgornera; **O. F. M.**, Cardinalis Brancati de Laurea et Antonii de Panes, ac plurium aliorum ut Cardinalis Bona, Bossuet, Olier cum sua schola S. Sulpitii Parisiensi, López de Ezquerra, quibus addendi tractatus diversi S. Francisci Salesii, scripta Ludovici de La Puente, Alphonsi Rodriguez, Segneri, etc., atque illa V. Mariae de Agreda et S. Margaritae Mariae Alacoque.

Eodem decurrente saeculo, supra dicti Alvarez de Paz et Bona Cardin., inter alia rei mysticae scripta, tractatus de *Discretione spirituum* adumbrarunt, normam praebentes recentioribus scriptoribus, qui tamen huiusce rei speciem aliquam apud S. Ignatium et alios perspicere facile potuerunt (1).

Quamvis non ea polleret ubertate mysticorum librorum saeculum XVIII, haud infoecundum tamen, protulit nobis opera Arbiol, La Reguera, Scaramelli, Benedicti XIV, S. Alphonsi de Liguori, Schram et obscuriora quaedam.

Saeculo tandem XIX claruerunt P. Faber, Göerres, Ven. P. Claret, Lejeune, Ribet, Saudreau, Meynard, Weiss, Poulain, Card. Vives, Fernández Concha atque PP. Gonzalez, Arintero, Seisdedos (saeculi iam XX) aliique complures sed aliter aliterque sapientes.

Non defuere quidem omni aetate haeretici et pseudomystici, qui limpidos harum sublimium disciplinarum fontes deturbarent, quos et Ecclesia anathemate confecit et honoratiores mystici suis scriptis profligarunt; quo factum est ut ipsi quoque, licet indirecte, Mysticae progressibus inservirent. Gnosticis, manichaeis, pelagianis praetermissis, atque beguardis et beguinis, protestantium praedecessoribus, recensendi veniunt inter eorum sectatores oberrantesque hodiernae pseudo-my-

(1) Ut hoc mysticorum auctorum specimen completius appareat conferatur Schram, *Institutiones Theolog. mysticae*, Diss. prooem. et Poulain, *op. cit.*, Bibliographie, pag. 577. Super scriptoribus ante saeculum IX cfr. Pourrat: *La spiritualité chrétienne, des origines de l'Eglise au Moyen-Age* (Parisiis, 1919).

sticae vel falsae mysticae fautores : *illuminati,* qui in Hispania saeculo XVI simulabant se internae inspirationi obsecundare, quae totas animi facultates absorbens eos redderet impeccabiles ; *quietistae* seu *molinosistae,* a Michaële de Molinos nomen mutuantes, qui Romae saeculo XVII quietem potentiarum omnimodam praedicantes, eas effictae Dei actioni relinquebant ; hos in Gallia praecesserat Malaval, eisque affines, etiam in Gallia, fuere P. Surin [1] et eius sectatores ; *semiquietistae,* eiusdem saeculi (Fénelon et M. Guyon) qui conceptum amoris purissimi et ab omni cupiditate alieni nimis extollebant (196) ; *ianseniani*, quasi pharisaei saeculorum XVII et XVIII, qui liberum arbitrium parvipendebant et salutem a Iesu Christo Domino Nostro factam restringebant ; *rationalistae* et *modernistae* saeculorum XIX et XX [2], qui externum magisterium negant, et virtutis christianae supernaturalem valorem non admittunt, virtutes prae primis civicas seu exteriores quas *activas* vocant in astra extollunt et mysticam nihil aliud autumant quam actuum seriem suggestionis et nimiae sensibilitatis, aut catalepsis et neurastheniae manifestationes et effectus praedicant.

8. Operis adumbratio. — Quamvis huius argumenti scriptores multiplices variasque methodos in divisione operum asceticorum et mysticorum sint sequuti, recentiorum fere omnes distinctionem inter Asceticam et Mysticam necnon classicam divisionem triplicis viae aut triplicis christianae perfectionis gradus suarum elucubrationum ponunt umbilicum. Uterque adspectus nobis ad operis nostri divisionem ansam praebebit. Quemadmodum vero in aliis disciplinis tradendis pars generalis a particulari seiungitur, seor-

(1) Huius auctoris opus, cui titulus « *Catéchisme spirituel de la perfection chrétienne* », quod in *Indice Romano Librorum prohibitorum* inclusum fuerat, et quod etiam adhuc, post *Indicis* revisionem Pii XI iussu factam (1922) in eo invenitur, nescio qua de causa ab aliquibus saepe moderuis auctoribus affertur, de rebus mysticis disputantibus.

(2) Cfr. C. Wenceslaus, *op. c.*, v. II, cc. 9-12.

simque solet pertractari, v. gr. Metaphysica generalis a Metaphysica speciali, sic arbitramur in disciplinarum, quam arripimus tractatione nobis esse procedendum, licet in hanc distinctionem, quod sciamus, hucusque non intenderint scriptores.

In *Mystica generali* perpendendae sunt notiones et regulae, quae *Asceticae* cum *Mystica* proprie dicta cumque *Discretione spirituum* convenire videantur. Posterior haec pars, etiamsi Asceticae simul atque Mysticae quodammodo sit communis, et documenta contineat ex utraque deprompta, eas tamen consequi debet, utpote quae earum indigeat principiis atque notionibus ex quibus regulas practicas deducat, nec potest sub Mystica generali contineri, eo quod illius universalitas minime tanta est quanta Mysticae notionum, uti videre est in postremae titulis vel argumentis capitulorum.

Iis praehabitis, minime videbitur absona methodus in sequenti *synopsi* adumbrata (pag. 17).

Ex hoc igitur programmate opus nostrum in quatuor partes describimus: 1ª *Mystica generalis;* 2ª *Ascetica;* 3ª *Mystica proprie dicta;* 4ª *Discretio spirituum.* Quaelibet autem pars in congrua capitula, paragraphos et numeros distinguetur.

In hoc evolvendo programmate fusius, ut par est, in duabus prioribus partibus immorabimur, quoniam in animarum moderatione frequentius usuveniunt (1). Quia vero de compendio agitur, arbitramur minime in eo perlustrandas esse quaestiones mysticas mere theoricas seu speculativas, sed notiones universaliores et quae maxime directionem practicam spectant; nec aliud sane ferret opus tenue ut praesens atque manuale.

Hac eadem de causa non insistendum ducimus discussionibus super iis quaestionibus, quae nunc inter catholicos scriptores de re mystica exagitantur, nostrumque erit tantummodo de eis admonere lectores, si se dederit

(1) P. Huber, S. I., *La coltura dell'Ascetica per il clero* (Mediolani). Talis est etiam mos aliorum scriptorum de hoc argumento disserentium.

occasio. Ceteroqui, discussiones huiusmodi citra speculationis terminos continentur, parumque, aut nihil forte, conferunt ad propositum nostrum, quamvis aliter eas agitantibus videatur (1). In aliis sane scriptis locum istis opportune dabitur et tunc id prae primis conferent, nempe ut philosophorum ac psychologorum mentem defigant super his quaestionibus, materialem ac sensibilem ordinem transcendentibus, sicque animi in sublimiora ferantur, ad ea nempe, quae reptantem hodiernum positivismum longe super eminent.

(1) Autumant praefati auctores fore ut ex suis doctrinis disquisitionibusque theoricis atque historicis sublimia contemplationis cuivis fidelium assequibilia reddantur, quod non sane parvi emolumenti foret: ast potius timendum erit iuxta alios, ne tam frequenti adhortatione ac facilitate adipiscendae contemplationis illusorum generationes efformentur. Volumus animas vere contemplantes assurgere? Totis nervis ductores ductique contendant impedimenta removere, et ea animi praeparatione exornari, quae suo loco commendatur (221-224), et sine aliis disquisitionibus et theoricis studiis, contemplationem attingent animae illae quae a Deo vocentur, nec illusionibus subiacebunt, quae tam cito non eligantur. Non hominis est conscendere aut alios ad haec sublimia erigere, sed unius est Dei, qui munus tantum sibi vindicaverit. Ceterum dum tempus annalis studii fere non sufficiat alumnis ad ea quae principaliora sunt in Ascetica et Mystica capessenda, et non-alumni ament et ipsi brevitatem et doctrinam potius practicam in id genus operibus, quid eos a graviori studio secernere in his argutiis et quisquiliis tempus inutiliter terendo? Alia sunt certe plura, maioris ponderis et necessitatis, quae sacerdotes praesertim et alios etiam hodiernos publicos scriptores urgent, qui in eis sese assidue exerceant.

Cursus nostri synopsis.

Mystica generalis . . .
- Notiones fundamentales.
- Moderator, moderatus et moderamen.
- Instrumenta generalia perfectionis.

Ascetica et Mystica specialis eiusque complementa.

Ascetica

Via purgativa .
- Notiones et documenta.
- Purgatio activa.
- Purgatio passiva.

Via illuminativa
- Notiones et documenta.
- Virtutes morales.
- Virtutes theologicae.

Via unitiva . . .
- Notiones et documenta.
- Contemplatio activa.
- Virtutes huius viae propriae.

Mystica

Contemplatio infusa in genere
- Natura et causae contemplationis.
- Eius effectus et fructus.
- Dispositiones activae et passivae.

Contemplatio indistincta
- Gradus imperfectus.
- Gradus perfectus.
- Gradus supremus.

Contemplatio distincta
- Visiones.
- Loquutiones.
- Revelationes.

Discretio spirituum

Pars generalis .
- Notiones generales.
- Regulae generales.

Pars specialis .
- Regulae pro casibus extraordinariis.
- Id. pro visionibus et loquutionibus.

PARS PRIMA

MYSTICA GENERALIS

CAP. I.

Notiones fundamentales.

9. Christiana perfectio. — Quoniam agitur in Ascetica et Mystica de *christiana perfectione* (3 et 4), ratio postulat ut eius conceptum ad amussim perpendamus, cum basis potissima sit atque solidissima Cursus nostri.

Entis perfectio est realitas vel realitatum summa, quibus iuxta naturam suam potiri valeat. *Perfectum* enim (*per-factum, perfecte factum*) dicitur illud, cui nihil eorum deest, quae illi congruunt: *Illud cui nihil deest*, iuxta Aristotelem et Sanctum Thomam Aquinatensem [1]. Tot perfectionis genera dantur, quot ordines seu categoriae rerum eam constituentium [2]. Hic nobis de morali tantum christiana perfectione habendus est sermo.

Erit ergo *christiana perfectio: entitatum summa quae reddant aliquem Christi verum discipulum famulumque*

[1] *Metaph.*, l. V, lect. 18; *Summ. Theol.*, II-II, q. clxxxiv, a. 2.
[2] Conf. Z. González, *Philosophia elementaria*, t. 2, l. 4, c. 2, a. 3; item Card. Vives, *Compendium Theol. ascetico-mysticae*, tr. I, c. 1.

fidelem. Quoniam autem verus christianus fit talis ex imitatione et sequela Iesu Christi, eaque imitatio in unum reddit amorem divinum, vi cuius illi famulamur et obedimus (Ioan. XIV, 21, 24) sequitur christianam perfectionem in *sincerissimo amore Dei per Iesum Christum* essentialiter esse constituendam, sit autem talis, ut hominem moveat ad ea, quae placita sunt Deo, faciliter perficienda.

Ad hanc quoque devenitur conclusionem, si consideremus hic agi de morali hominis perfectione, quae quidem ponenda est in unione cum suo ultimo fine, qui pariter est primum eiusdem principium: haec autem unio nihil aliud est in praesenti vita quam Dei amor vel caritas: ergo in ea essentialiter est constituenda christiana perfectio. Inde exstant Sacrae Scripturae sententiae: *Qui manet in charitate in Deo manet, et Deus in eo* (I Ioan. IV, 16); *Plenitudo legis est dilectio* (Rom. XIII, 10); *Charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (Col. III, 14). Ita fatentur et vindicant theologi mystici clarioris nominis, inter quos S. Augustinus (1), S. Gregorius Magnus (2), S. Thomas (3), S. Ioannes a Cruce (4), S. Theresia (5), Ven. P. Granada (6), S. Franciscus Salesius (7), Alvarez de Paz (8), Le Gaudier (9), S. Alphonsus de Liguori, etc.

Quoniam vero sincera charitas nec radices agere nec enutriri perget sine aliarum virtutum concursu, ipsaque vicissim ceteras excitat, impellit atque informat, sequitur ut istae quoque ad christianae perfectionis com-

(1) *De natura et gratia*, c. 70.
(2) *Homil. 27 in Evang.*
(3) *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXXIV, a. 1.
(4) *Noche oscura*, l. II, c. 18.
(5) *Fundaciones*, c. 5, n. 2, etc.
(6) *Tratado del amor de Dios*, c. 2.
(7) *Introduction à la Vie dévote*, l. I, c. 1.
(8) *De vita spirituali*, t. I, l. III.
(9) *De perfectione vitae spiritualis* (editio Marietti), t. I, p. 1; ubi plures de perfectione reperientur quaestiones, magistrali more dilucidatae. Consulendus item Card. VIVES, *Compendium Theol. ascetico-myst.*, tr. I, c. I; et P. SCHRYVERS (O. SS. R.), *Les principes de la Vie spirituelle*, l. I, p. 1ª et 2ª.

plementum socientur, licet secundario modo (1), unaque omnes ad hominem perfectum efformandum concurrant. Recte igitur scripserit Apostolus: *Charitas patiens est, benigna est; charitas non aemulatur...* (I Cor. XIII, 4).

At nunc, ideam perfectionis christianae strictius investigantibus haec nobis subit interrogatio: Harum virtutum et charitatis, de quibus fit sermo, habitus an actus potius est considerandus ut earum possessor perfectus dici valeat? — Nullum dubium quin habitus sit considerandus, cum de entitate agatur subiecto quae inhaeret, quales sunt habitus; sed illas virtutes aliqualis insuper actuum frequentia comitari debet, sine quibus habitus sustentari non posset, ratione habita impedimentorum quae habituum exercitio, hac vita durante, indesinenter obsunt. Agedum: istiusmodi habitus magis vel minus intensi et magis vel minus radicati in subiecto esse possunt: qualis, igitur, eorum gradus esse oportet ut vere ex ipsis christiana perfectio consistat?

Re, quidem, vera, non in gradu remissiori, ut obici vel minimo cedant, sed e contra in intensiori qui sufficiat ut subiectum dispositum sit ad agendum *prompte, faciliter et constanter* (2), quod quidem dat virtus perfecta (160 et 200).

Uno verbo: vera christiana perfectio in hac vita in habitu charitatis consistit, simul ac in aliarum secundi ordinis virtutum habitibus; ita tamen ut suos quaeque actus prompte, faciliter et constanter perficiat (3).

Contra vero, *imperfectum* dicemus defectum vel absentiam entitatis cuiuspiam alicui rei convenientis; quam notionem rebus moralibus exactius adaptantes, imperfectionem vocamus quodcumque peccatum vel habitum etiam leviter peccandi: imperfectionis, vero, notionem a *culpae* notione separantes, ita illam priorem definiremus: *Omnis actus humanus qui mero consilio*

(1) S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXXIV, a. 1, ad 2.
(2) Billuart, *Cursus Theologiae*, tract. *De passionibus et virt.*, dist. 2, a. 4, § 2.
(3) Cfr. quae *De Ascetica et Mystica* scripsimus in *Commentarium pro Religiosis*, Romae, I [1920], 236.

adversatur, aut praeceptum transgreditur quin subiectum transgressionem advertat (1).

10. Perfectio status et officii. — Moralis perfectio, licet essentialiter una, pro diversitate tamen vitae christianae statibus et officiis, miros variosque adspectus offert, qui ex diversitate mediorum obtinendae in quolibet statu perfectionis efflorescunt. Christifideles omnes unum in Christo Iesu morale corpus efficiunt, cuius invisibile caput ipse Christus est, uti membra vero huius corporis mystici non omnes eumdem gradum habent, ut egregie observat Apostolus: *Si totum corpus oculus, ubi auditus?* (I Cor. XII, 17). Unde fit ut alia sit oportet religiosi perfectio, alia vero laici, alia perfectio parochi vel Episcopi, alia autem canonici, etc. Propterea perfectio cuiusque status aut officii propria est: *charitas, sustentata et fota observantia obligationum et consiliorum cuique statui congruentium.*

11. De statu perfectionis. — *Status perfectionis* dicitur vitae genus ab Ecclesia approbatum in quo homo solemnitate quadam profitetur incrementa charitatis per observantiam votorum et legum quorundam persequi. Vinculum permanens ex tali obligatione exsurgens personam sic se obligantem in *statu* proprie constituit.

Duo tantummodo exstant, proprie loquendo, praedicti status, ut evincit S. Thomas; *religiosus*, nempe, et *episcopalis*. Qui in statu perfectionis minime sunt constituti, possunt interius perfectiores esse quam ii, qui perfectionem sunt professi, si charitate praestent (2).

12. Perfectionem curandi obligatio. — Communis error est, apud saeculares praesertim, existimare episcopos tantum, sacerdotes atque religiosos ad per-

(1) Vide *Esprit de S. François de Sales*, p. 14, c. 15; item Tissot, *La Vie intérieure simplifiée*, p. I, l. 3, c. 2. Videantur inferius (**108**, 1°) annotati errores, vulgaresque conceptus super christiana perfectione.

(2) *Summa Theol.*, ibid., a. 4 et 5.

fectionem teneri. Nihil sane a veritate magis alienum. Omnibus dixit divinus Praeceptor : *Si quis vult post Me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie et sequatur Me* (Luc. IX, 23) ; *Estote, ergo, vos perfecti, sicut et Pater vester caelestis perfectus est* (Matth. V, 48). Omnibus data est a Domino perfectissima lex evangelica, quae verbum etiam otiosum interdicit, et iubet per angustam portam in regnum caelorum introire (Matth. V, VI, VII) ; omnibus beatitudines suas proposuit, quae christianae perfectionis codex sunt omnium sane praestantissimus ; omnibus denique suum maximum indixit praeceptum de charitate usque ad aras, seipsum praebens illius exemplar et formam (Ioan. XIII-XVII). Apostoli sic intellexerunt, cum scriberent : *Ipsi in omni conversatione sancti sitis* (I Petr. I, 15) ; *Sitis perfecti et integri in nullo deficientes* (Iac. I, 4). Sancti quoque Patres in suis homiliis passim exercitia documentaque perfectionis cunctis fidelibus dictitabant.

Omnium rerum, et singularum in se et in communi, constans ad perfectionem propensio naturae vox et adspiratio videtur, hominis praesertim in artibus et officiis atque in omnibus vitae gradibus (1). Numquid sola vita christiana hac erit universali lege solvenda ? (2).

Ex quibus omnibus cum Bona Card. doctissimo concludendum est « tam in religioso quam in saeculari « statu eadem perfectionis meta christianis est attin- « genda diverso licet tramite et processu, quodque ad « virtutum exercitationem attinet, quod ad mundi con- « temptum et spiritum paupertatis, quod ad crucis « amorem tam religiosi quam saeculares pari conditioni « subiacent » (3). Differunt solum mediis : saecularibus enim quaerenda est perfecta observantia mandatorum,

(1) Signoriello, *Philosophia moralis*, II, s. 1, c. 2, a. 1 ; Gonzàlez (Card.), *Philos. Element.*, l. VII, c. 5.

(2) V. Turinaz, *La Vie chrétienne ou la Vie divine dans l'homme*, c. 5 ; Schram, *o. c.*, p. I, §§ 18, 19, 20.

(3) *Principia et documenta vitae christianae*, p. I, c. 6 ; similiter Garcia Cisneros O. S. B., *Ejercitatorio de la vida espiritual*, c. 67, et alii.

quibusdam supererogatis operibus consilii moraliter necessariis ut id valeant adipisci; sed bene notandum, nos, dum generalem obligationem persequendi perfectionem admittimus, non eius nomine altiorem sanctitatem intelligere, sed perfectionem simpliciter christianam quam supra definivimus (9). His addunt Religiosi votorum et Regularum observantiam ut praedictum est (1).

13. De vita spirituali. — Moralis perfectio hominis nihil est aliud quam eius *vitae spiritualis* perfecta evolutio, sicuti physica seu entitativa perfectio rerum consistit in earum vitae naturalis seu physicae absoluta evolutione. Ideo magni refert conceptum vitae spiritualis ad apicem definire velut Asceticae et Mysticae praecipuum fundamentum.

Quod de vita organica asseritur, id de spirituali vita, servata proportione, est asserendum, scilicet, aliud esse vitam in *actu primo*, aliud in *actu secundo*; prior nihil aliud est quam ipsa viventis forma substantialis; posterior in actibus immanentibus consistit. Vita, ergo, spiritualis in *actu primo* est gratia sanctificans, quae dat esse supernaturale virtutesque infusas, quae velut potentiae sunt huiusmodi vitae. Hoc sensu dicitur etiam Deus animae vita, non quidem substantialiter, sed per gratiam quae participatio quaedam est divinae naturae (2). Vita spiritualis in *actu secundo* est series actionum e virtutibus animae dimanantium, vel proprius, congeries actuum intellectus et voluntatis quae a gratia divina aguntur et informantur. Quamvis haec spiritualis vitae proprie dictae definitio conceptum vitae supernaturalis exprimit, meminisse debemus vitam spiritualem in natura *elevata* (ut theologi loquuntur)

(1) La Puente, *Tratado de la perfección en todos los estados de la vida del cristiano*; ubi multa de hoc argumento considerationes et documenta reperies.

(2) S. Augustinus, *De Civit. Dei*, c. 2; *De libero arbitrio*, c. 16; S. Thomas, *Opusc. de dilectione Dei*, c. 20; Nieremberg, *Aprecio y estima de la divina gracia*, l. 2, c. 3.

practice cum supernaturali confundi, quin possibilis sit spiritualis ni vitae supernaturalis formam induat.

14. De vita activa et contemplativa. — Vita spiritualis proprie dicta (in actu secundo) duplex dignoscitur, *activa* videlicet, et *contemplativa:* prior exercetur et manifestatur per potentias exteriores, sub imperio tamen voluntatis ; posterior autem in exercitio tantum internarum facultatum subsistit. Sed quoniam altera alteram minime excludit, licet asserere eas personas et communitates *vitam activam* profiteri, quae maxime exteriori se dedunt exercitio charitatis in proximos, eis ferentes auxilia per opera *misericordiae corporalis :* eas, e contra, *vitae contemplativae* inservire quae exercitio orationis et contemplationis divinorum se praecipue devovent : *vitam* denique *mixtam* tenent, quae utraque simul exercitia ad aequamentum et armonico more perficiunt, exteriora officia ad animarum profectum ordinantes (1).

Utriusque vitae, activae nempe et contemplativae, exstant figurae eximiae Martha et Maria, discipulae Domini, qui posterioris exercitia praetulit dicens: *Maria optimam partem elegit* (Luc. x, 42). Super quo praeclare commentatur Augustinus: « *Non tu malam, sed ista meliorem* » (2). Si seorsim considerentur, contemplativa praecellit activam, utrasque vero mixta praetergreditur (3).

Aliter etiam intelligitur distinctio vitam activam inter et contemplativam : priori significatur interdum exercitium mortificationis, moraliumque virtutum, altera vero meditationis et contemplationis asceticae sive mysticae exercitia (4).

15. De vita ascetica et mystica. — Spiritualis seu supernaturalis, quam definivimus, vita duos in animabus,

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXIX et CLXXXVIII ; ALVAREZ DE PAZ, *De vita spirituali*, t. I, l. II, p. 5, c. 36 et 37.
(2) *Serm. 103* de Scripturis, c. 4 (edit. Migne).
(3) *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXXVIII, a. 6.
(4) BONA, *Via compendii ad Deum*, c. 8.

quae perfectionem conantur, obtinet status sive ordines admodum diversos, *asceticum* alterum atque ordinarium, alterum extraordinarium sive *mysticum*. Quum vero illi diversis vitae phaenomenis differant atque consistant, exsurgit inde duplex vita (quae si habitualiter ducatur, *status* dicitur vitae spiritualis), *ascetica* videlicet, et *mystica*. Vitae asceticae phaenomena, prima quidem facie, mere psychologica et naturalia videntur, quamvis interius informentur gratia, quae characterem divinum, occultum tamen, eis imprimit, quin occultae illi formae quidquam officiat earum aliquando subita evolutio, v. gr. in conversionibus stupendis. Vitae mysticae phaenomena aperte supernaturalia hac vel illa ratione ostenduntur, uti revera sunt, non essentialiter tantum, sed etiam quoad modum superhumanum, divino semper in eis et efficaci relucente interventu, sive personae operanti vel patienti divina, sive eis qui illa exterius contemplantur. Primi generis sunt actus omnes orationis et virtutis animabus iustis vel etiam fervidis communes quos etiam illae pro lubitu repetunt; secundi generis sunt actus contemplationis infusae (202), una cum revelationibus, loquutionibus et donis extraordinariis (1), quae a divina tantum pendent largitate.

(1) Poulain, *op. cit.*, p. I, c. 1, n. 12; G. Arintero, *Desenvolvimiento y vitalidad de la Iglesia*, l. III, et *Evolución Mística*, p. I, c. 1, § 1. — Hic posterior tamen auctor et recentiorum scriptorum aliqui arbitrantur asceticam vitam atque mysticam accidentaliter tantum a se differre, sicut ab imperfecto perfectum, nullam agnoscentes *diversitatem* phaenomenorum vitae supernaturalis; sed potius eorundem quamdam evolutionem admittentes, ita ut actus ordinis inferioris velut semina sint et inchoatio superiorum, vitaque omnis spiritualis ordine absolute *rectilineo* procedere semper debeat. Sed forte scriptores isti non considerant vitalia, sive physica sint, sive ascetica aut mystica, phaenomena tunc esse inter se conferenda cum normalem iam perfectumque statum sunt assequuta, non autem cum aliqualiter accedunt, et speciem unam mutuari, atque confundi videntur. Nam si hoc modo vitae naturalis phaenomena inspiciantur, concludamus etiam necesse sit vegetativam vitam cum sensitiva confundi, imo sensitivam cum rationali, eo quod omnes aliqualiter se contingant. Cfr. quae dicta sunt alibi (4 *nota ult.*) super his phaenomenis.

16. De spiritu morali. — Dicitur *spiritus* in Ascetica et Mystica summa idearum et affectuum animi frequentiorum, qui eum ad operandum constanti seu habituali modo in rebus moralibus impellunt. Sic dicitur aliquis, ex. gr., *spiritu* humilitatis, compassionis, orationis, etc. imbui, quum cogitationes eius et affectus habitualiter et primario circa aliquam earum virtutum aut operum versantur; itemque *spiritus* curiositatis, superbiae, contradictionis, mundanus, sensualis, etc., dicitur, quum quis et cogitatione et corde in haec vitia propensius labitur. Auctores non pauci volunt *spiritum* esse interiorem impulsum ad aliquid; iam vero, si huiusmodi impulsus caecus non sit (irrationabilis enim evaderet) aliqua cognitione animum subigente moveri sit necesse, tumque in allata definitione concordamus [1].

Nomine *sensus* (boni vel pravi) subaudimus congeriem affectuum quibus aliquis agitur rationabilium simul ac sensibilium: idem sonat *cor* sensu morali acceptum. Quum vero *sensibilismum* (hispanice *sentimentalismo*) dicimus, aut vitam et praxim *sensibilem* (hispanice *sentimental*), communiter significamus affectus mere sensibiles in aliquo subiecto vel opere dominantes (132).

17. Devotio, tepiditas et ariditas. — *Devotio,* quae velut fundamentum substernitur vitae spiritualis, nihil est aliud quam *traditio seu habitualis mancipatio animae ad divinum famulatum*, vel iuxta Div. Thomam: *Prompta voluntas ad ea, quae pertinent ad Dei famulatum* [2]. Unde *vitam devotam, personamque devotam* eam dicimus, quae religionis et pietatis exercitiis incumbens, ea exsequitur recta ac perseveranti voluntate.

Devotioni opponitur *tepiditas,* animi, scilicet, languor atque segnities in iis quae pertinent ad Dei famulatum. Suos habet gradus; diciturque *incipiens, confirmata*

[1] Vide aliam notionem *spiritus*, quam de *Discretione* disserentes afferimus (278).

[2] *Summa Theol.*, II-II, q. LXXXII, a. 1.

vel *profunda* pro magnitudine et diuturnitate remissionis cui subiacet animus.

Devotio distinguitur in *substantialem* et *accidentalem*. Prior est ipsa animi promptitudo in famulando Deo: altera consistit in iucunditate et delectatione qua quis afficitur quum eius servituti vel cuivis operi bono incumbit. Ea iucunditas et oblectamentum si superiorem animae partem afficiat, si nempe in actu intellectus reflexo atque in voluntatis quiete consistat, devotio accidentalis dicitur *spiritualis;* si in affectus etiam sensibiles (ac velut in corpus ipsum) redundet, dicitur devotio *sensibilis* seu *sensitiva* (1). Hanc spectant Psaltis verba *Cor meum et caro mea exsultaverunt in Deum vivum* (Ps. LXXXIII, 2), et *Viam mandatorum tuorum cucurri cum dilatasti cor meum* (Ps. CXVIII, 32).

Accidentali devotioni opponitur *aridítas* seu *siccitas* spiritus, quae nihil est aliud quam accidentalis devotionis amissio. *Spiritualis* vel *sensibilis* esse poterit, pro qualitate amissae accidentalis devotionis, et apertum est, amissa spiritus accidentali devotione sensibilem quoque amitti, non tamen semper e converso.

Absentia sensibilis devotionis oriri potest ex tepiditate, ex peccatis animae, ex inquietudine super agendis vel ex adiunctis indolis naturalis, vel ex actione divina: hoc postremo casu modum *purgationis passivae* constituit, quam animae uti plurimum subire tenentur. Spiritualis ariditas semper uti medium consideratur passivae purificationis qua Dei Providentia animas provectissimas excoquit ad purum.

Sensibilis devotio non potest non esse bona, quippe quae a Deo donatur et in Sacris Scripturis commendatur; eam igitur caute quaerere licet (2). Sed quoniam facile in abusum abire potest, finem constituendo in eo quod medium est, hortantur magistri ut ea nec quaeratur nec reiiciatur, sed a Deo elargita grato atque

(1) SCARAMELLI, *Direttorio ascetico*, tr. III, a. 6 et aliis.

(2) Contra doctrinam Molinos, cuius propositiones 27 et 30, devotionem sensibilem improbantes, ab Innocentio XI damnatae sunt. Vide S. THOMAM, *Summa Theol*, I-II, q. XXXIII, a. 4.

humili animo suscipiatur (1), cavendo ne in illusionem diabolicam degeneret, et ne anima ideo extollatur atque superbiat (298). Nimium se credere sensibilibus consolationibus et propter ipsas pia exercitia prosequi, verumque profectum in via Dei eis adscribere error est *sensibilistarum* (vulgo, *de los sentimentalistas*) (132).

18. De purgatione activa et passiva. — In Ascetica et Mystica dicitur *purgatio* (*purificatio*) processus spiritualis eo tendens directe, ut amor passionesque inordinatae subiiciantur, atque divinae dilectionis impedimenta ab anima removeantur. Distinguitur in *activam* et *passivam* : prior consistit in actibus mortificationis et repressionis, quibus anima conatur sibi ipsi dominari, et a creaturis prorsus abalienari ; altera est acervus dolorum, qui ex divina ordinatione vel permissione idipsum in anima operantur et quidem efficacius. Posterior haec passiva purgatio vel *spiritualis* esse potest vel *sensibilis*, sicut de *ariditate* dictum est, quamvis huic accedant etiam afflictiones spiritus vel sensus ut idem effectus obtineatur (2). Quae omnia suis locis fusius explicabimus (138, 225).

Progressus omnis in via spirituali ope purgationum et orationum est omnino faciendus : his ad Deum accedimus, illis a creaturis separamur. Et quemadmodum oratio animarum mystica via incedentium altior transcendit, quam vias terentium communes ; ita passiva purgatio multo fit acerbior illis, quam istis ut constat ex plurimorum vita sanctorum et mysticorum doctrina. In Asceticae viis, praeter omnimodam purga-

(1) S. Ioannes a Cruce, *Noche oscura*, l. I, c. 6 ; S. Theresia, *Vida*, c. 9, n. 8 ; Scaramelli, *Direttorio ascetico*, tr. III, a. 6, c. 3.

(2) Scaramelli, *Direttorio mistico*, tr. V, c. 1 ; vid. S. Ioannes a Cruce, *Subida del Monte Carmelo*, l. I, c. 1, et *Noche oscura del alma*, l. I, c. 8. — Ad perfectam operum intelligentiam huius Principis Mysticae disciplinae notandum est primum ex praedictis opus agere de purgatione activa in ordine ad contemplationem, alterum vero de ipsa contemplatione atque de purgatione passiva, totusque processus iste dicitur *nox* in sublimi huius scriptoris sermone. Conf. etiam dicta in annotatione secunda numeri 230.

tionem activam, passiva tantummodo sensus purgatio locum habet, eaque non ad summum acerbitatis evecta.

19. Tres gradus vitae spiritualis. — In progressu vitae spiritualis ad perfectionem tres ponuntur gradus seu aetates, quae animas constituunt in statu *incipientium, proficientium* et *perfectarum*. Quemadmodum enim vitae naturalis processus in tres aetates dividitur, infantiam nempe, adolescentiam et virilitatem, sic vita spiritualis simili more percurritur, eliminata senectute, quae naturales aetates consequitur. In quavis etiam arte perdiscenda tres gradus ponuntur, tyronum scilicet, opificum et magistrorum.

Vox *status*, qua gradus illi vitae spiritualis quoque nominantur, non quidem stationem in cursu significat, sed modos uniformes et habituales animarum operandi per aetates illas alium sane ab alio diversum; nam, ut postea dicetur, primo graditur anima semetipsam purificans, deinde virtutibus ditescens, demum se Deo tanquam fini magis magisque coniungens.

Nec illa aetatum seu graduum distinctio, apud ascetas et mysticos clari nominis classica et valida, uti commentum est habenda, sed velut realis, atque in Scripturis sanctis, Patrum Doctorumque Ecclesiae testimoniis bene fundata. De iusto sic loquitur Psaltes: *Ascensiones in corde suo disposuit..... Ibunt de virtute in virtutem* (Ps. LXXXIII, 6, 7). Sapiens in Proverbiis *Iustorum*, inquit, *semita, quasi lux splendens* (Prov. IV, 18). Pseudo-Dionysius « Deus ipse mentes in quibus fuerit, expiat primum, deinde illustrat, illustratasque perficit » (1). S. Augustinus: « Charitas ut perficiatur nascitur, cum fuerit nata, nutritur; cum fuerit nutrita, roboratur; cum fuerit roborata, perficitur » (2). S. Gregorius Magnus: « Aliud sunt virtutis exordia, aliud profectus, aliud perfectio » (3). Et Angelicus Doctor trium praedictorum statuum exsistentiam disertissime demonstrat,

(1) *De Ecclesiastica Hierarchia*, c. 5.
(2) *Tractat. in Epist. I Ioan.*, tr. V, n. 4.
(3) *Homilia 15 in Ezech.*

hoc innixus principio, quod, nempe, omnis humana operatio principium habet, medium et finem, vitae spiritualis evolutionem aetatibus humanae vitae comparans (1).

20. Triplex animae via. — Trames seu processus quem animus in adipiscenda perfectione percurrit, *via* dicitur *spiritualis*, cuius tres partes dignoscuntur : terminus *a quo* proceditur, *via purgativa* ; terminus *ad quem* devenitur, *via unitiva ;* pars vero intermedia, *via illuminativa* dicitur. Nec parallelae viae sunt nec separatae, sed potius sunt partes unius eiusdemque viae ; unde ab una ad aliam transitus nec repentinus est, nec item sensibilis. Earum cognominatio in Scripturis et SS. Patribus nititur, sicut supra de triplici gradu dictum est. Iure igitur meritoque Innocentius Papa XI damnavit 26 propositionem Molinos, qui vesano quidem despectu earum viarum exsistentiam denegabat, unam tantum admittens, *internam* a se appellatam.

Tres supra dictae viae tribus gradibus apprime respondent, atque practice confunduntur, licet ratione distinguantur. *Gradus* seu *status* notio quamdam cursus elevationem et stabilitatem prae se fert ; notio *viae* rationem motus atque progressus in terminum exprimit.

21. Cuiusque viae et gradus character. — Gradus inter se atque viae non tam differunt propter exercitia spiritualia quibus anima per ea incumbit, quam propter modum se in eis exercendi et propter laborem in unoquoque praecipue impensum. Meditatio novissimorum, v. gr., quae propria est viae purgativae, illuminativae quoque et unitivae potest inservire ; in istis vero aliter et aliter perget mens, pro necessitatibus propriis rem considerare. Item, quamvis viae purgativae sit ab omni peccato purgare, labor tamen iste permanet etiam in ceteris ; sed in priori quasi exercitatio praecipua, in quam reliqua convergunt exercitia quibus animus incumbit, in ceteris autem secundario intenditur atque per consequens.

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. XXIV, a. 9.

Ad distinguendos notis peculiaribus perfectionis gradus, et consequenter spirituales vias nihil aptius quam ipsa notio aetatum in homine (1). *Incipientes* viam spiritualem, velut parvuli, sunt volubiles, inconstantes, cerebrosi plus minusve. Praecipuus eorum labor in animo purificando versatur, ea expurgando quae virtutem praepediunt, qualia sunt peccata atque inordinati affectus ; ideo dicuntur in *via purgativa* versari. *Proficientes*, quasi animo iuvenili informati, ardentes sunt, audaces et liberi, quippe qui, iam spiritualibus illustrati, proprio iudicio iudicare pertentant. Amotis obicibus praecipuis quibus progredi detinebantur, potissimus eorum labor in eo est, ut ad imitationem Iesu Christi virtutes assequantur ; ideo *viam illuminativam* facere dicuntur. *Perfecti*, quasi in aetate virili constituti, prudentes sunt, constantes, quaeque sua sunt obliviscuntur, quo melius quae Dei sunt et proximorum possint perficere ; horum in primis labor est magis ac magis Deo adhaerere cognitionis ope et amoris, ideo per *viam unitivam* incedunt.

Tres hi gradus tam in Ascetica quam in Mystica ponuntur ; in hac vero longe alium ordinem attingunt licet tramite persimili. Communiter loquendo, inde gradus mystici incipiunt ubi desinunt ascetici (2) ; at, quia Deus, tamen, hunc ordinem tenere non obligatur, ideo nonnumquam donum contemplationis quibusdam elargitur animabus imperfectis, negatque aliis perfectis (3).

De notionibus fundamentalibus satis. Alia in capitibus sequentibus velut in sede propria videre licebit.

(1) Quum in Ascetica harum viarum studium arripiemus videre erit plures earum characteres una cum documentis directionis cuique accommodatis ; quum vero de gradibus mysticis sermo est (242) notatur quoque quid istae viae sint in Mystica.

(2) Conf. P. Seisdedos, *Principios fundamentales de la Mistica*, t. I, p. I, c. 3, § 4.

(3) S. Gregorius Magnus, *Hom. 17 in Ez.* ; Bened. XIV, *De Servorum D. beatif.*, l. III, c. 26, n. 17.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

CAP. II.

De moderatore, moderato et moderamine.

22. Huius capitis argumentum. — In simplicibus Mysticae et Asceticae definitionibus latitare iam apparent tria elementa, quae in harum scientiarum constitutione et praxi concomitata incedunt: oportet autem seorsim de iis pertractare, quo melius Mysticam generalem instituamus, quae novellis directoribus in tam sublimi arte etiam ducatum praestet. Haec elementa sunt: *moderator*, is nempe, qui scientiae principia conclusionesque tenens, ea ad praxim accommodat; *moderatus*, sive subiectum, cui applicantur principia, quorum ope viam spiritualem recte conficit; denique *moderamen*, sive regulae incedendi, quas prior dictitat moderato.

Singula elementa perpendemus, maioris quidem momenti, quam ut secundario loco relegentur, ut apud plurimos scriptores mos invaluit.

§ 1. — De moderatore.

23. Definitio. — *Moderator*, vel *director spiritualis* dicitur sacerdos ille, cui munus incumbit provectum animarum in via perfectionis promovere, cui ideo secreta conscientiae sive bona sive mala patefiunt.

A *simplici confessario* eo differt, quod huius sit tantummodo in nomine Dei peccata dimittere, moderatoris vero sint partes ad christianam perfectionem evehere; a *consiliario* sive consultore differt in eo, quod huius consilium per transennam et in casibus spectatur, quin onus suscipiat bonum animae procurandi, neque eius progressum et praeceptis et monitis, sicut moderator, promoveat; cum *praelato* etiam confundi nequit, huius enim directio non intimae amicitiae atque singulari-

tatis morem induit, qua verus magister spiritualis donatur.

Conceptum vero a nobis definiti moderatoris seu directoris animae verum esse, ex iis evincitur, quae de illo habent mystici et ascetici scriptores (1), atque ex officiis, quae ipsi assignantur. Unde ducitur perpaucos dari veros moderatores, nam, qui tali titulo insigniuntur, manent, uti plurimum, simplices confessarii, vulgaresque consiliarii.

24. Eius munera. — Superiorem definitionem evolventibus, licet ex ea coniectare munera et obligationes generales moderatori ex officio suo inhaerentes. Sit ergo: 1° prudens *scrutator* spiritus, lepram a lepra, causas a causis distinguens (Deut., XII, 8-13) atque dubia, difficultates, illusionesque exsolvens ; 2° *magister* et *doctor*, qui discipulos suos legem atque scientiam Dei edocet, iuxta Malachiam prophetam (II, 7) ; 3° *medicus* pius, cuius est animam consolari, eiusque infirmitatibus mederi, quo melius valeat roborata montem conscendere (2), iuxta praeceptum Christi Iesu ad Apostolos atque discipulos (Luc., IX, 1) ; 4° *consiliarius* et angelus Domini (Malach., II, 7) manuducens arripientem vias vitae, non equidem reluctantem trahens aut impellens, sed velut angelus custos concomitans, more Raphaelis Archangeli se Tobiae comitem praebentis ; 5° *legatus* a Christo, eiusque personam agens, cuius nomine voluntatem divinam moderatis fidelibus interpretatur et indicit (Luc., c. X, 16 ; II Cor., V, 20). His subordinata generalibus officiis, alia quoque sunt explenda directoribus, quae per opus praesens disseminata reperientur.

25. Eius dotes. — Recentiores auctores, S. Theresiae doctrinis inhaerentes, tres praecipuas moderatorum dotes solent recensere, *sanctitatem*, nempe, *sapientiam* et *experientiam* (3). Sed quoniam rei summam

(1) S. Franciscus Salesius, *Introduction à la Vie dévote*, p. I, c. 4.
(2) S. Ambrosius, *In Luc.*, l. V, c. 6 (Vid. *Brev. Rom.*, lect. 7 in off. plur. Martyrum, 2° loco).
(3) Scaramelli, *Direttorio ascetico*, t. I, a. 3.

facere placet, arridet nobis dotes moderatoris in unam redigere, quae melius forte sententiam mysticae Doctricis amplectitur, scilicet *prudentiam*. Id ex ipsa muneris natura colligitur, necnon ex beatae sequenti loco : « Magni refert ut magister sit solers, perspicax, inquam, ingenio, atque experientia praeditus; quod si accedat eum litteris excultum esse, magnum negotium ; si vero haec tria nequeant simul reperiri, priora duo pluris sunt habenda » (1). Unde patet S. Theresiam inter *solertem* sive ingenio perspicacem, et litteris *excultum* distinguentem, voluisse primo verbo hominem significare sensatum practicique ingenii, quod *prudenti* aequivalet. Haec autem dos maxime decorabitur, iuxta Magistram incomparabilem, si *experientia* accesserit, non tam in animarum directione, quam orationis, contemplationisque ac virtutum exercitio, unde prudentiam hauriet, comparata (2).

Ut autem moderator hanc virtutum principem, prudentiam, nanciscatur, dignusque suo officio evadat, is dotum atque virtutum cumulus requiritur ut non nisi perpauci viri tales inveniantur. Dotes autem huiusmodi in *naturales*, *supernaturales*, et *acquisitas* distinguimus (3).

Dotes naturales: maturum iudicium et practicum, aetas provecta, in convictu simplicitas et comitas ; ingenio sit nobilis et blandus, absque debilitate tamen, non violentus nec adustus sed civilis moderatusque, sine ridiculariis et affectatione.

Dotes supernaturales : aliqualis electio a Deo ex recta propensione vel praelatorum designatione aut approbatione coniecta ; divinarum illustrationum et inspirationum abundantia ; spirituum discretio vel supernaturaliter et gratis data, de qua Paulus (I Cor., XII, 10), vel ea saltem, quae effectus est gratiae communis ac naturalis acuminis ; vitae sanctitas ardensque zelus animarum a Deo inspiratus.

(1) *Vida*, c. 13, n. 12.
(2) Wenc. a S. Sacramento, *Fisonomia de un Doctor*, tr. II, c. 2.
(3) Godinez, *Práctica de la Teología mística*, l. VII; Schram, *Institutiones Theol. myst.*, p. II, c. 1.

Dotes acquisitae: virtutibus sit excultus, quo praefatas dotes confirmet: sit orationi deditus, rebus humanis exutus, sine personarum acceptione, viarum spiritualium expertus, theorice et practice in Ascetica et Mystica versatus, ea, nempe, experientia, quae ex studio, observatione et collatione casuum sibi delatorum vel in libris excerptorum assurgit; scientia practica plenus, non quidem subtili et intricata, sed in veris theologiae principiis fundata.

Sed quoniam haud facile sit omnes moderatores omnibus iis numeris exornari et alii aliis qualitatibus excellant, ideo perpaucos est reperire quibusvis animis dirigendis idoneos, sed hi quidem animos virtute mediocres, illi provectiores, hi scrupulis agitatos, illi serenos ferventesque dirigere sunt aptiores.

26. De moderatoris necessitate. — Ex iis quae de directore spirituali dicta sunt facile deducitur utilitas, imo necessitas operae eius ad progressum animarum in via perfectionis (1). Haec autem necessitas non absoluta est; fuere enim qui solo Spiritus Sancti magisterio atque ductu perfectionem attigerint uti de S. Ioanne Baptista et nonnullis accepimus; hi tamen casus merae exceptionis nihil officiunt generali legi, nec temeritatis absolvent eos, qui, hoc medium prae manibus habentes, ad perfectionem pervenire, nemine moderante, tentarent. Operae pretium ducimus in hac enucleanda doctrina paululum immorari, quo modernistarum commenta impugnemus.

Moralis necessitas moderatoris nititur: 1° *sententiis Scripturae Sacrae* id commendantibus et suadentibus: *Consilium semper a sapiente perquire* (Tob. IV, 19); *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non poenitebis* (Eccli. XXXII, 24); *Vae soli! quia cum ceciderit, non habet sublevantem se* (Eccle. IV, 10); *Si videris sensatum, evigila ad eum, et gradus ostiorum illius exterat pes tuus* (Eccli. VI, 36); *Ipse* (Iesus Christus) *dedit quosdam quidem apostolos..., alios autem pastores et*

(1) Vid. Card. Bona, *Manuductio ad caelum*, c. 2.

doctores ad consummationem sanctorum (Ephes. IV, 11). Exstant insuper exempla Cornelii Centurionis missi ad Petrum, Sauli ad Ananiam (Act. IX et X); etc. — 2° In *dictis Patrum*, ex quibus haec delibare sit satis: *Mos quidem hic Divinitatis est, per prima, secunda et inferiora ad divinissimam lucem suam deducere* (1). *Sicut caecus sine ductore, sic homo sine doctore rectam viam vix ingreditur* (2). *Audiant hoc qui sine duce et praeceptore vias vitae ingredi non formidant* (3). — 3° In *testimonio mysticorum magistrorum,* inter quos S. Theresia (4), B. Ioannes ab Avila (5), Alvarez de Paz (6), Alphonsus Rodriguez (7), V. P. Claret (8), etc. — 4° In *ipsis difficultatibus ac dubiis* in via perfectionis obortis, quae dux tantum expertus valet expedire. — 5° Oritur etiam ex *obicibus, debilitatibus* et *languoribus* quibus animae sunt obnoxiae, de quibus emergere sine vero amico et amabili medico haudquaquam poterunt. — 6° Ex *illusionibus* et *ignorantiis*, quae frequenter in rebus perfectionis irrepunt, quas unus magister peritus suppetit dissipare. — 7° Nititur item *ordine divinae Providentiae,* quae vult res alias ab aliis moveri atque dirigi (9), quaeque non patietur in re tanti momenti ea lege absolvere perfectionem inhiantes, quum hic campus obscurior sit valde atque difficilior. — 8° Denique *constanti Ecclesiae agendi ratione* ut in historia ecclesiastica et vitis sanctorum videre licet (10).

(1) Ps. Dionysius, *De Eccles. Hierarch.*, c. 5, p. 1.
(2) S. Augustinus, *Serm. 112 de Temp.*
(3) S. Bernardus, *Serm. 77 in Cant.*, super illud : *Invenerunt me vigiles.... inveni quem diligit...* (Cant. III, 3, 4).
(4) *Vida*, c. 23, etc.
(5) *Audi, Filia*, c. 53 et 55.
(6) *De Vita spirituali*, t. I, l. V, c. 2.
(7) *Ejercicio de perfección*, p. III, tr. VII.
(8) *El Colegial instruido*, p. I, sec. 2, c. 34.
(9) Conf. allata superius Dionysii verba.
(10) V. cap. III, § 2, in prima huius operis parte.

§ 2. — De moderato.

27. Eius qualitates in genere. — Moderatoris magni refert nosse et perscrutari moderandi privatam indolem et qualitates ut ex eis liceat coniectare gradum perfectionis in quem tendere valeat, easque adipiscendae propositae sanctitati accommodare. Equidem potens est Dominus de lapidibus filios Abrahae suscitare (Matth., III, 9), non tamen solent hi ex incultis agris oboriri, imo potius ex cordibus ad virtutem propter optimas inhaerentes conditiones aptibus procreantur. Hae vero conditiones duplicis generis recensentur : *naturales* et *supernaturales,* aut alio verbo, *capacitas naturalis* et *supernaturalis.*

Qualitates naturales quae ad vitam virtuosam disponunt, aut ei minus officiunt, has habe : ingenium quietum atque firmum ex iudicii maturitate et cordis sinceritate, quae verum perquirit et fictionem refugit ; quaedam animi nobilitas, magna appetens, una cum simplicitate convictus, quae neminem despicit ; aetas non provecta nimium, si de capessenda via perfectionis agatur, atque iam a teneris annis vere christiana apud parentes institutio. Notum est omnibus personas rudioris ingenii, indole protervas, passionibus vehementes, imaginatione turbatas magnum aliquid praestare si communem vitam christianam laudabiliter gerant (1). Meminerimus autem virtutem cuiusque ingenio, ut plurimum, accommodari, ita ut puerilis sit in pueris, in pusillanimis timida, ardens in iuvenibus, et in senibus tarda et quieta, rustica in operariis, in cultis et ingenuis delicata.

Qualitates supernaturales, quae hominem perfectionis ac solidae virtutis capacem reddunt, dotes naturales obfirmantes atque supplentes interdum, istae sunt : divinarum inspirationum affluentia, semper et ubique in animas decurrentium ; amor quidam piorum exer-

(1) Godínez, *Práctica*, etc., l. VII ; Schram, *Institutiones*, p. II, c. 2.

citiorum, doctrinarum, lectionum spiritualium atque concionum ; proclivitas ad mundana vitanda, ad consortium Dei, ad opera apostolica, atque in primis ad perfectiorem vitam vocatio. Deus pro suo placito talenta distribuit (Matth. XXV), suaque dona singulis iuxta secretissimam sapientiam impertitur (I Cor. XII).

In summa vero qualitatum naturalium et supernaturalium quibus individuum aliquod adornatur, duo reperiuntur, quasi centra unde cetera nascuntur, quae oportet accuratiori studio evolvere, *temperamentum* videlicet, sive indoles in ordine naturali, atque *divina vocatio* in ordine gratiae.

28. Temperamentum et indoles. — Has duas individuas hominis conditiones ideo sub uno titulo inscribimus, quod maximam ad invicem relationem habeant, atque communi loquendi modo confundantur, licet longe differant inter se : temperamentum namque constitutionem hominis physicam, indoles vero seu ingenium, vel character, moralem designat.

Est vero *temperamentum* physicarum qualitatum summa e dominio ortarum alicuius ex organicis systematibus super alia in homine. Ei consociari solent aliae qualitates tam morales quam intellectuales, quae indolem efformant, et naturalem aptitudinem ad christianam virtutem. Quodlibet temperamentum aliquid praestat virtuti consentaneum, quod excolendum est, aliquid oppositum virtuti, quod erit explodendum.

Indolem hominis seu *characterem* intelligimus signaculum et quasi moralem physiognomiam, qua quisque dignoscitur; poniturque praesertim in maiori vel minori mentis robore cogitatorumque firmitate, quam voluntatis proportionalis efficientia comitatur. Ad indolem efformandam conferunt in homine : temperamentum corporis, hereditaria habitudo, educatio, societas cui convivitur, necnon proprius labor Dei gratia adiutus. Impossibilis est perfecta ingeniorum distinctio ; sed communiter distinguuntur in debiliora et vehementiora pro vigore principiorum intrinsece ea constituentium. Ad bonae indolis efformationem prae oculis sunt habenda docu-

menta directionis inferius posita (35), sextum in primis, necnon regulae medendorum spirituum, quas tradimus in tractatu *De discretione* (289), quamvis reapse Ascetica universa in hunc finem conspirat (1).

29. Temperamentorum in classes distributio. — Quatuor generatim ponuntur temperamenta simplicia seu typica, respondentia quatuor praecipuis systematibus seu apparatibus vitae organicae, nempe: *sanguineum*, *lymphaticum*, *biliosum* et *nervosum*. Singula vero pro singulis individuis diversas species seu varietates offerunt, unde temperamenta derivata seu mixta consistunt.

Sanguineum ex praeponderantia apparatus circulatorii sanguinis nascitur, atque physice apparet in cutis subrubeo colore, in lineamentis rotundis, eleganti corporis forma et habitudine, in motibus expeditis. Solent esse *sanguinei* mediocris et facilis intellectus, tenacis memoriae, splendentisque phantasiae. Moraliter sunt ad amorem sensibilem, ad commiserationem, ad convictum socialem et inanem gloriam propensi, inconstantes saepe atque austeritatem omnem exosi. Hoc temperamentum oratores inter et aulicos praevalet.

Lymphaticum provenit ex immodica systematis vascularis lympharum evolutione, atque ostenditur in pallida et alba facie, rosea interdum, in formis obesitatem resipientibus et in motuum lentitudine. Comitatur tales acumen ingenii, non quidem speculativum sed practicum, rectumque iudicium. Qui hoc debili temperamento laborant moraliter pacifici sunt, moderati, sinceri, tardi atque pigri, sibi suadentes eo ipso pollere virtutibus, quod passionibus non exagitantur. Est temperamentum vulgaris moralistae consiliariique.

Biliosum causam habet in praedominio apparatus gastro-hepatici, apparetque in subnigro pallidoque vultus colore, in musculorum vigore et arctitudine, macra facie, oculo vivaci, nigra coma. Intellectualiter eminent

(1) Super ingeniis et temperamentis consultu dignum ducimus opus P. Ruiz Amado, *La educación moral*, c. 1., a. 7, et c. 2, a. 4.

biliosi acerrimo et profundo ingenio, ad philosophicas et mathematicas disciplinas apto, necnon firmo et assidue reflectenti iudicio. Moraliter stabiles sunt, constantes, obstinati quandoque et pervicaces, diligentes, arduorum aggressores, violenti, dominantes, atque praecupidi. Heroum ac tyrannorum temperamentum est.

Nervosum oritur ex nimia nervorum systematis evolutione, dignosciturque ex pallore vultus, exilitate et flaccitate membrorum, atque ex continuata fere inquietudine. Intellectualiter prompti sunt nervosi in concipiendo, et in iis quae peragunt universaliores, inconsideratio tamen praepedit quominus res alte perpendant, cui accedit phantasia pomposa nimis atque fecunda. Moraliter sensibiles sunt vel altis et diuturnis affectibus, minime tenaces, irascibiles etiam ; nunc audentes, nunc vero pusillanimes deiectoque spiritu ; in arripiendis consiliis faciles, in exsequendis tardiores. Temperamentum istud musicis aeque ac poetis dominatur.

Temperamenta typica et immixta raro reperiuntur. Ex compositis optatiora sunt *bilioso-sanguineum*, et *sanguineo-lymphaticum*, posterius hoc propter indolis moderationem, illud autem propter optimas corporis proprietates et ad res publicas atque ad scientias aptitudinem. Pessima vero est permixtio *bilio-nervosi*, quae exaggerata nimis temperamentum parit *melancholicum*, tetricum, triste, extravagans (1).

Notetur temperamenta vix ante pubertatem coalescere, quae senescente aetate fere obmutantur. Pars temperamentorum physica eadem manet florentibus annis nisi homo terras alias mutet vel regimen in vescendo ; pars vero moralis mutationis susceptibilis est per exercitia propensioni et temperamento contraria, aut aliam moribus colendo societatem vel enixe virtutibus operam navando.

(1) Conf. Debreyne, *Physiologie humaine et Essai sur la Theologie morale*, p. I. Item Martinez Vigil, *Historia natural con Fisiologia e Higiene*, ult. part. ; Bota-Vila, *Elementos de Historia Natural* etc., p. III ; Meyer, *Man such as he is*, lec. 15 et 16.

30. Divina vocatio. — Nihil aliud est divina vocatio quam interior inspiratio seu admonitio ad aliquid bonum una cum suavi voluntatis inclinatione in idipsum a Deo in animum illapsa. Ratione causae dividitur in *naturalem* et *supernaturalem,* prout a Deo emanat tamquam auctore naturae civilisque societatis provisore, vel tamquam gratiae auctore et Ecclesiae suae provisore. Ratione obiecti datur vocatio *ad statum vitae, ad methodum vitae, ad determinatum opus aut exercitium,* etc.

Vocatio ad statum saecularem eiusque officia saepius a Deo tamquam naturae auctore determinatur, interdum etiam extraordinaria providentia ; ad statum vero clericalem et religiosum, necnon ad ingressum in Ecclesiam catholicam semper vocatio supernaturalis est, ordinaria vel extraordinaria pro casibus (1). Sic infertur ex ipsa natura rerum et ex historia.

Haec memorata doctrina, Deum, nempe, ad diversos vivendi status et modos homines vocare, ubi peculiares eis praeparat gratias bene vivendi, e Sacrae Scripturae sententiis et SS. Patrum, necnon ex historia sacra et ecclesiastica fundamenta mutuatur. De continentia sermonem habens dixerat Divinus Praeceptor : *Non omnes capiunt verbum istud, sed quibus datum est* (Matth., XIX, 11). Et Paulus Apostolus : *Unusquisque proprium donum habet ex Deo ; alius quidem sic, alius vero sic* (I Cor. VII, 7) ; *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tamquam Aaron* (Hebr. v, 4). — S. Hieronymus : *Sic Deus habet multam familiam ; habet quasi ad faciem suam, qui sibi ministrant : habet alios in agris* (2). Necessitatem vero divinae vocationi obsecundandi ne salus ipsa discrimen subeat, admonent S. Gregorius Magnus (3), S. Bernardus (4), S. Laurentius Iustinianus (5), S. Alphonsus de Liguori (6), aliique

(1) SCHRAM, *Institutiones...*, t. II, c. 2.
(2) *Super Psalmo 133.*
(3) *Epist. ad Mauritium imper.* (ep. 61, alias 100).
(4) *Epist. 105, 108, 109.*
(5) *Instit. de discipl. monas.*, c. 7.
(6) *Avvisi sulla vocazione religiosa*, c. I. — Conferatur etiam CORNELIUS A LAPIDE in Commentariis super illud *Vocavi et renuistis* (PROV. I, 24-26) et LA PUENTE, *Meditaciones...*, medit. 46 partis 6.

complures. Centiesque narrant historiae singularem ac inusitatam electionem, qua Deus pontifices, reges, prophetas, discipulos, etc. sibi adscripsit.

31. Vocationis signa. — Signa vocationis ad statum aliquem vel ad constantem vivendi rationem, praetermissis casibus miraculosis aut supernae revelationis, haec communiter dignoscuntur : 1° frequentes ad ipsum inspirationes ; 2° naturalis vel supernaturalis ad eum aptitudo ; 3° recta intentio qua quis ducitur in eo amplectendo ; 4° motuum et affectuum diuturnitas et constantia, maxime dum tempora animae placida dilabuntur ; 5° approbatio legitimi superioris vel prudentis confessarii. Ut quis ad ordinem sacrum vocari censeatur, sufficit ut candidatus recta ducatur intentione, idoneitate polleat, et ab Episcopo admittatur (1). Defectum vocationis minime indicat repugnantia ad sacrificia eidem obnoxia, dummodo ex aliis constet divina vocatio (2).

Ad rectam electionem status, officii, aut generis vitae haec commendantur : 1° *assidua oratio* cum Psalte : *Notam fac mihi viam in qua ambulem* (Ps. 142[8]) ; 2° *sancta indifferentia*, iuxta S. Ignatium (3), mortis aeternitatisque meditatione comparanda ; 3° *examen comparativum* propositi finis cum aptitudine et idoneitate ad ipsum, sicut de conanti turrim aedificare dixerat Christus (Luc. XIV, 28), et iuxta consilium illud S. Ambrosii : « Unusquisque suum ingenium noverit, et ad id se applicet, quod sibi aptum elegerit » (4) ; 4° praxis *spiritualium exercitiorum,* quasi supremum et efficax medium, ad normam S. Ignatii (5) ; 5° *consilium* prudentiorum virorum, ut supra dictum est (26).

Quum de electione agitur praxis alicuius spiritualis

(1) *Litterae Card. a Secretis Status,* nomine Pii X ad Episcopum Aturens. (Landas in Gallia, 2 Iulii 1912).

(2) Grim (Ioannes), *Theologia Pastoralis,* p. I, l. I, c. I.

(3) *Ejercicios espirituales,* super electione ; *Directorio de los ejercicios,* c. 33.

(4) *De officiis,* l. I, c. 44.

(5) Vid. Regonò, *Regole per qualunque saggia elezione.*

aut orationis methodi, tria erunt perpendenda: 1° *proclivitas* qua constanter ad eam quis ducitur; 2° naturalis atque supernaturalis *facilitas* in ea exercenda; 3° *provectus* qui ex eius experimentis provenerint.

32. Moderati munera. — Moderantis officiis munera debent moderati respondere, hinc: 1° quasi *discipulo* audiendus sibi magister erit addiscendaque documenta virtutis; 2° *aegrotus*, sincere se medico debet ostendere, eique conscientiam totam explicare (33); 3° *subditus* diligere debet atque revereri ductorem et patrem, eique obedientiam praestare, ubicumque peccatum evidenter non appareat; 4° *beneficatus* gratiam benefactori rependere, precesque pro eo fundere tenetur; 5° *christianus fidelis* debet ad Iesu Christi vicarium credens accedere, Deumque exorare ut per eum notas sibi faciat voluntates eius (1).

Comperta vero Dei voluntate per vicarium eius, aut quomodocumque per praefata media cognita, divina vocatio quantocius arripienda erit christifideli, nec unquam deserenda prout monet Apostolus: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est, in ea permaneat* (I Cor. VII, 20).

§ 3. — De moderamine.

33. De moderaminis materia. — In materia directionis hoc universale principium est stabiliendum: negotia omnia tam exteriora quam interiora animi moderandi, atque immediate ad christianam perfectionem attinentia pro cuiusque statu vel officio, moderationi subiacent spirituali, materiaque sunt rationis conscientiae reddendae moderatori. Sed huius rei terminos melius circumscribentes, varia ferunt magistri programmata rationis conscientiae, quae capitibus hisce continentur.

1um *Vitae methodus:* eius excogitatio; fidelitas in exsequendo (seu regularum observantia, si de religio-

(1) Conf. Arbiol, *Desengaños místicos*, l. II, c. 18-22.

sis agatur); eiusdem expolitio seu immutationes inducendae.

2um *Passio praedominans* inclinationesque pravae; in eis expungendis assiduitas; media in hunc finem adhibita, eorumque effectus.

3um *Tentationes* atque diabolicae instigationes; qualiter praeveniantur, eisque obsistatur, quibusve super rebus.

4um *Mortificationes* et corporales vexationes; quaenam sint, etiam parvae; quem ad finem ordinentur; quasnam victorias pepererint.

5um Rectae *inspirationes* ac propensiones; super quibus, quamque frequenter insinuentur; earum discretio; animi ad bona opera divinumque famulatum dispositio.

6um *Oratio:* qualiter in ea se gerat; qua methodo perficiat; quinam obices superandi; quem practicum fructum eruat.

7um *Devotiones:* quibusnam exercitetur, quem ad scopum ordinet; in eis modus; qualiter eis adiuvetur, et qualiter ad Sacramenta accedat.

8um *Proprii officii opera:* quibus in proximorum utilitatem incumbat; qualiter obediat aut familiam etc. regat; quaenam zeli atque misericordiae opera praestet.

9um *Examen particulare:* super quo versetur; qua fidelitate notet et conferat: quantum eius usu proficiat (1).

Non tamen singula haec sunt percurrenda quoties spiritualis redditur ratio, sed satis erit variationes ab ultima ratione notatas indicare. Nec fortuna et temporalia negotia in ea sunt pertractanda, nisi conscientiam aut opera virtuosa respiciant. De iis namque sic loquutus est divinus Magister: *Quis me constituit iudicem aut divisorem super vos?* (Luc. XII, 14).

34. Moderaminis proprietas. — Notiones quae de directoris officio et muneribus superius allatae sunt (**24** et **25**) normam praebent ad statuendas proprietates

(1) Conf. RODRIGUEZ, *Ejercicio de perfección*, t. III, tr. VII; SCARAMELLI, *Direttorio ascetico*, t. I, a. 3, c. 4; VALUY, *Du Gouvernement des Communautés religieuses*, l. VI, c. 3, a. 3.

quibus debet spirituale moderamen innodari, quae pariter in Scriptura et Sanctis Patribus fundantur. Ad haec quinque capita veniunt :

1° *Supernaturale* esto: non humanae prudentiae postulatis, sed praeceptis Evangelii, divinisque sententiis innixum, ita ut concludentes rationes atque considerationes, quae adducantur, e fontibus supernaturalibus eruantur, solumque per transennam et quasi secundarius recursus, rationes quandoque adducantur naturalis convenientiae ; non enim de civilibus et philosophicis virtutibus, sed de christianis excolendis res agitur : *Instaurare omnia in Christo* (Ephes. I, 10); *Non in persuasibilibus humanae sapientiae verbis, sed in ostensione spiritus et virtutis* (I Cor. II, 4).

2° Esto *paternum :* non quidem domini pro suo arbitratu praecipientis atque disponentis, sed matris, quae alienae miserata debilitatis, se filiorum conditioni accommodat, eorumque necessitatibus sollicita adlaborat inservire : *Misericordiam volo et non sacrificium*, ait Dominus (Matth. IX, 13); descendendo, si opus sit, et laeso se velut Bonus Samarites, accommodando (Luc. c. X, 33).

3° Esto *firmum :* haud sane blandum et molle ita ut totum indulgentia sit atque mella ; sed virile, tenax, omnesque proterens et superans humanos respectus : *Esto firmus in via Domini* (Eccli. V, 12). Et licet numquam asperitatem, despectum, imperiumve resipere debeat, non sit tamen accommodativum atque versatile ad arbitrium moderati, sed Sapientiae simile, *quae attingit a fine usque ad finem fortiter et disponit omnia suaviter* (Sap. VIII, 1).

4° Sit *ordinatum :* non incertum aut incohaerens, sine unitate et methodo, quasi in aleam operando; sed in practicum, determinatum et constantem finem, pro necessitate et conditione animi moderandi, intentum : *Omnia honeste et secundum ordinem fiant* (I Cor. XIV, 40).

5° Esto denique *practicum:* non ad solam instructionem discipuli circumscriptum, sed ad media practica atque concreta determinanda quibus animus moderati ad virtutem exerceatur, eumque faciant ad perfectiores

gradus conscendere, iuxta Iesu Christi sententiam: *Hoc fac, et vives... Vade, et tu fac similiter* (Luc. x, vers. 28, 37). Hocce vero practicum moderamen minime debet paterno adversari, animum opprimens nimiumque coarctans (1).

35. Documenta generalia moderaminis. — Ex doctrina in hoc capitulo exposita effluunt normae moderaminis generales, quas ab oculis suis abire, numquam directori sinere licet, quippe quae in ipsa moderaminis natura nuper allata fundantur. Ad duodecim nos capita redigimus, in suum locum reservantes peculiaria documenta, quae vel Asceticae vel Mysticae sint magis propria et vario animae discrimini aptentur.

1um *Animum moderati penitus dignoscere.* — Perpendere, inquam, accurate naturalem supernaturalemque capacitatem, qua animus polleat ad virtutem, una cum defectibus, propensionibus atque virtutibus. Perperam vitiis quibusvis medebimur, rectasve inclinationes fovebimus, si ea ignoremus. Hanc cognitionem respicit ratio conscientiae a moderato reddenda necnon perspicacia et discretio directoris, qui oporteret ut posset cum Iesu dicere: *Ego cognosco oves meas* (Ioan. x, 14).

2um *Subditi confidentiam sibi conciliare.* — Quoniam raro fructuose mandata suscipiuntur, multo minus correctiones, nisi ex iis quos dilectione prosequimur, necesse est in quovis regimine et animarum directione a voluntatis captatione ortum ducere, iuxta illud divi Ambrosii: *Primum noverimus nihil tam utile quam diligi, nihil tam inutile quam non amari* (2). Id vero ut obtineatur, moderato practice ostendendum est semper se a directore suo esse amice suscipiendum, apud quem sollicitudinem de bono spirituali suo reperiet; in quo tamen amorem vel alia subditi bona non sibi sed Deo quaerat moderator cum Apostolo dicens: *Non enim quaero quae vestra sunt, sed vos* (II Cor. xii, 14); *An quaero hominibus placere?* (Galat. i, 10).

(1) Vid. Saudreau, *Les degrés de la Vie spirituelle*, t. I, l. II, a. 1.
(2) *De officiis*, l. II, c. 7.

3um *Fundamentum perfectionis ponere in adimpletione munerum cuiusque.* — Perfectum supponit observantiam obligatorii, inanisque evaderet perfectio omnis, divinis praeceptis contradicens: *Non omnis qui dicit mihi, Domine, Domine, intrabit in regnum caelorum; sed qui facit voluntatem Patris mei, qui in caelis est* (Matth. VII, 21). Ideo numquam permittenda sunt pietatis exercitia in ecclesia, dum munus incumbat moderato invigilandi familiares, aut domestica officia sublevandi. Conetur etiam ut omnia pia religionis opera in hunc scopum tendant, scilicet ut anima perfectius suis obligationibus satisfaciat, et urgentioribus spiritus necessitatibus opituletur.

4um *Sancti Spiritus directioni obsecundare.* — Quum animarum praecipuus et intimus moderator sit Spiritus Sanctus, qui eas movet interius per gratiam suam, quique alias aliter dirigit inspirans (I Cor. VII, 7), consequens est ut secundarius et exterior moderator principali non contradicat, imo potius eius directioni se accommodet, ne forte opus Dei reddat incassum. Itaque talentum orationis in poenitente nolit immutare, aut pro suo arbitratu informare, aut moderatos omnes eadem spiritus norma excudere (1), nam omnis spiritus Dominum laudare debet (Ps. 150).

5um *Gradui virtutum cuiusque se aptare.* — Non solum speciali vocationi moderati se debet accommodare director (30 et 31) iuxta praecedentem regulam, sed etiam gradui virtutis et praesentibus adiunctis, quibus subiacet discipulus, aemulans Apostolum, qui: *Tamquam parvulis*, inquit, *in Christo lac vobis potum dedi, non escam, nondum enim poteratis* (I Cor. III, 2); *Gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus* (Rom. XII, 15). Atque S. Theresia suo exemplo doctrinam istam confirmat (2). Itaque incipientes velut incipientes, perfecti velut perfecti sunt dirigendi.

6um *Qualitatibus personae connaturalibus sapienter*

(1) S. Ioannes a Cruce, *Llama de amor viva*, canc. 3, v. 3, § 9; Godínez et Schram, loc. cit.

(2) *Vida*, c. 23, n. 3.

uti. — Temperamentis omnibus et ingeniis, quaedam insunt proprietates bonae, e quibus licet, quasi ex fodinis, magnas opes comparare, simul excoquendo scorias defectuum et imperfectionum, quae ipsis inhaerent; atque ea lex oeconomiae proponitur in primis, ut elementa quae prae manibus habemus reconstituamus et inservire faciamus priusquam dissipemus et nova foris comparemus. Illae enim proprietates partem substantiae constituunt, quam magnus Paterfamilias nobis dedit ad usuram (Matth. xxv). Aliunde socialis personae conditio honestumque officium, cui vacat, magni ad christianam perfectionem possunt conferre iis qui divino amore aguntur, iuxta illud Apostoli: *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum* (Rom. viii, 28). Omnia ergo debet moderator sanctificare, atque in unum perfectionis propositum cuncta convertere, de omnibus ad manum elementis utilitatem capessendo. Sic, exempli ergo, nedum a fronte biliosi temperamenti tenacitatem, aut sanguinei amabilitatem oppugnare contendat, verum ad magna pro Dei gloria et animarum lucro facinora alium accendat, alium vero ad amorem pulchritudinis Dei, virtutis, gloriae caelestis, etc. convertat; nervosi sensibilitatem et lymphatici tranquillitatem nedum exstinguat, verum moderari satagat, aliis commiserationem erga peccatores patientemque Iesum infundens, alios ad quietam orationem manuducens (1). Atque rusticanum et militem et scholasticum edoceat opera cuique propria sanctificare, quo ipsi sanctitatem assequantur.

7um *Subditos docibiles faciat*. — In exteriori hominum gubernatione aeque ac in interiori animarum moderamine dexteritas non tam in mandatis ferendis et imperiose praecipiendo posita est quam in efficiendo ut mandata sponte suscipiantur recteque adimpleantur. Ut enim scholastici ferunt difficultas inducendae formae tota in disponenda materia consistit. Itaque prius quam exercitium aliquod arduum praescribatur aut correctio vel repulsa sustineatur, animus prudenter erit praeparandus accurateque et suaviter procedendum: *In spiritu*

(1) Pinamonti, *Il Direttore*, c. 9; Meyer, *Man such as he is*, lec. 16.

lenitatis, considerans teipsum (Galat. VI, 1). Quod maxime cum pusillanimibus et infirmis erit tenendum. Praecipue cum de correctione agitur subditi culpabilis, directoris erit induere viscera pietatis atque prudentiae, considerans correctionem esse medicinam, quae non intempestive aut sine modulo adhibenda est. Eligendum ad id opportunum tempus (haud certe cum moderator vel moderatus quavis passione agitatur); personarum conditioni se aptare oportet, praecipitationem aut nimiam tarditatem vitare, atque in aestimanda culpa vel iniungenda poenitentia non nimius aut immodicus videri (1).

8um *Pedetentim procedere.* — Perfectio nihil est ephimerum, quod praepropere sit obtinendum, sed per partes, atque prout gratia ferat, uti docet S. Franciscus Salesius (2), iuxta vetus illud proverbium *Festina lente.* Dixerat etiam Sapiens: *Qui festinus est pedibus, offendet* (Prov. c. XIX, 2). Quod documentum non quidem tepidis et ignavis proponitur, sed iis qui terminum perfectionis attingere conantur, nullo medio interiecto, atque volunt per saltum, non gradiendo progredi (3). Ideo curandum est ut animae in exercitiis viae purgativae solide fundentur, prius quam ad exercitia viae illuminativae procedant, neque in sublimia contemplationis ferantur, dum liceat communis orationis vestigia calcare.

9um *Extrema et singularia vitare.* — Virtus moralis non in exaggeratis extremis sed in medio consistit; sic communis via, atque a maioribus trita semper certa est, non item nova atque rara (4). Ideo *medium virtutis* est attingendum, atque vitanda in poenitentibus exteriora, quae admirationem aut ridiculum nata sint parere: *Noli nimius esse, ne forte offendas* (Eccli. XXXI, 20). Minime vero inter singularia recenseantur opera illa, quae praestare tenemur, quaeque ab timoratis exercen-

(1) Vid. VALUY, *Du Gouvernement des Communautés religieuses*, lib. V.

(2) *Introduction à la Vie dévote*, p. 3, c. 10.

(3) CAIETANUS, *Comment. in Sum. D. Thom.*, II-II, q. CLXXXIX, a. 2.

(4) S. THERESIA, *Moradas*, VII, c. 4, n. 17.

tur ; quae quidem tenenda omnino sunt et absque humanis respectibus obeunda.

10um *Orationem atque abalienationem maxime inculcare.* — Quamvis plura documenta animabus perfectionem inhiantibus sint proponenda, ad haec duo capita necessaria reducentur, quae summam spiritualis vitae continent : *orationem* qua Deo appropinquamus et auxilia ab eo obtinemus, atque *mortificationem*, abalienationem seu christianam abnegationem, qua nos ab amore proprio, ab ostensione et vanagloria, atque ab inordinato creaturarum affectu elongamus : *Oportet semper orare et non deficere* (Luc. XVIII, 1); *Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, et tollat crucem suam quotidie, et sequatur me* (Luc. IX, 23); supremae vitae christianae leges moderatori aeque ac moderato prae oculis semper habendae (18).

11um *Omnium animos pacificare ac sublevare.* — Quum animi remissio, inquietudo atque diffidentia summopere nervos spiritus frangant, malumque ingravescat tribulationibus et maxime reincidentia in eosdem defectus, quibus saepe subeunt animae devotae, advigilare debet director, ut animos erigat poenitentium, et eorum mentes pacificet, animosiores reddat rationibus et considerationibus de divina providentia, de divinis promissionibus, aliisque quas zelus ipsi suggeret, iuxta Sapientis illud : *Sentite de Domino in bonitate, et in simplicitate cordis quaerite illum* (Sap. I, 1) et illud Prophetae : *Ecce non est abbreviata manus Domini ut salvare nequeat* (Isa. LIX, 1). Ne igitur admirationem significet de miseriis, tentationibus et lapsibus poenitentis, quamvis gravia sint et frequentiora, haec verba Davidis ad Ioab usurpans : *Non te frangat ista res* (II Reg. XI, 25). Quae bona in poenitente repererit solerter laudet ; non tamen eum aduletur, neque deterreat ; aut quoquomodo despiciat ; edoceatque non semper profectus dignosci quamvis adsint.

12um *Animas non quaerere moderandas.* — Zelo quidem animarum Deo lucrandarum semper debet praestare sacerdos, sed ipsis, divina mediante Providentia, curam relinquere debet quaerendi moderatorem, cui se

submittant. Admoneat eas alios potius quam se directores eligere, nec nisi a Deo sibi missas admittat (1), neve sinat umquam aliquas, religione interposita, suae directioni se committere. Ex contraria agendi ratione oriuntur zelotypiae et spirituales tyrannides a mystica Doctrice (2) et a S. Ioanne a Cruce (3) tam improbatae, atque dissensiones et sectae inter fideles ab Ap. Paulo tum temporis iam damnatae (I Cor. I, 12). Vitentur ideo quaevis amatoriae blanditiae, assentationes, proprius amor, inutiles atque productae nimis cum poenitente sermocinationes, et similia (4).

CAP. III.

Media generalia ad perfectionem.

36. Perfectionis instrumenta. — *Instrumenta perfectionis* dicimus media generalia, quae ad vitandos defectus et ad virtutes, etiam in sublimiori quo possunt gradu acquirendas, divina providentia nobis apparavit (5).

Quo melius haec notio et praesens capitulum intelligatur meminisse iuvat, terminum quem anima petit, viam spiritualem ingressa, perfectionem christianam esse, tramitemque illuc usque ducentem esse necessario legem, imaginem vero et exemplar esse illud, quod a Iesu Christo propositum est dicente : *Si vis perfectus esse, vade, vende quae habes..... et sequere me* (Matth. c. XIX, 21). *Ego sum via,* dixerat quoque divinus Praeceptor. Super quo notat Div. Bonaventura : « Via *de qua* egredimur, peccatum est ; via *in qua* ambulamus,

(1) Lopez Ezquerra, *Lucerna mistica*, tr. I, c. 12, n. 110.
(2) *Vida*, c. 13, n. 11 et 13.
(3) *Llama de amor viva*, can. 3, v. 3, § 12.
(4) P. Sarnelli, *Della discrezione degli spiriti*, p. III, c. 4, § 2.
(5) Ita P. Le Gaudier, *De perfectione vitae spiritualis*, p. V ; quamvis S. Thomas in *Summa* (II-II, q. CLXXXIV, a. 1, ad 2) verbum illud latiori sensu accipit.

virtutes ; via *ad quam et per quam* incedimus, Christus est » (1). Passus quibus hac via gradimur actus sunt bonae voluntatis, a gratia permotae, iuxta sententiam Augustini : *Non haec via spatiorum est, sed affectuum* (2) ; *Nec anima movetur pedibus sed affectibus* (3).

Quoniam vero in quovis arripiendo itinere, praeter viam, viatici etiam opus est aliorumque mediorum, quae terminum assequibilem faciant ; ita in hoc ad perfectionem itinere, pluribus egemus auxiliis, quae sub nomine veniunt *instrumentorum ad perfectionem christianam*.

37. Eorum enumeratio et divisio. — Copiosa, equidem, spiritualis annona qua divina largitas animas instruit ; utiliora vero atque omnibus mysticis et ascetis probatiora media perquirentes, duodecim invenimus, quibus pii fideles continuo usitantur, et sunt : *desideria perfectionis, electio spiritualis moderatoris, oratio mentalis et vocalis, mortificatio seu poenalia exercitia, lectio atque collationes spirituales, meditatio et contemplatio, exercitium divinae praesentiae, sacramentalis Confessio, conscientiae examen, Missae sacrificium atque frequens Communio, devotio erga Beatissimam Virginem et Sanctos, vitae methodus* (4).

Si in ordinem aliquem redigenda essent haec media, iuxta ideam itineris conficiendi ad capita sequentia redigeremus : *vires atque vehiculum* (desideria, atque oratio, quae gratias actuales obtinet), *dux* (moderator, Dei praesentia, sanctorum exempla), *alimenta* (lectio, meditatio et Communio), *medicamenta* (Confessio, macerationes, et examen), *ordo* itineris (vitae methodus). Possent etiam distribui pro diversa hominis facultate,

(1) *Super Psalmo 36.*
(2) *De doctrina christ.*, l. I, c. 7.
(3) *Manuale* (inter opera S. Augustini), c. 25.
(4) Haec media, fere omnia, videre est apud Scaramelli, *Direttorio ascetico*, t. I ; Larumbe, *El seminarista santo, sabio y cortés*, t. II per totum ; Le Gaudier, *op. cit.*, p. 5 ; Ribet, *L'Ascétique chrétienne*, p. III, c. 17 et seq.

cui praefata media adiumenta suppeditant, sicque tria capita poneremus: ad *erudiendum* apta (lectionem, meditationem, moderationem, etc.), ad *movendam* voluntatem (orationem, Dei praesentiam, desideria, etc.), ad *cohibendos* sensus (poenitentiam, macerationem, etc).

Arridet magis in eorum expositione ordinem sequi, quo prius enumeravimus, uti communiorem et tritum magis. Quamvis vero huius capitis doctrina potius ascetica sit, media tamen perfectionis hic enumerata etiam animas amplectuntur per vias mysticas incedentes, saltem extra actum ipsum contemplationis infusae de quo alibi agitur; unde eorum studium minime ab hoc loco abhorret.

§ 1. — Desideria perfectionis.

38. Huius medii natura. — Perfectionis desiderium est constans et efficax voluntatis impulsus ad virtutem assequendam quo altius fieri valeat. Posset etiam definiri: participatio quaedam in humana voluntate voluntatis divinae, perfectionem nostram suamque gloriam praecupide exoptantis (1). Desiderium illud, si verax est, comitari solet affectus quidam rerum spiritualium, plus minusve sensibilis. Licet habituale sit, prodit tamen in actus frequenter tum per iaculata verba et adspirationes, tum per exercitia virtutis atque pietatis, quae pariter illud fovent et augent.

Si vagum sit et genericum, nulla respiciens media illius exsequendi nata, *iners voluntas* dicitur (2), his verbis a Sapiente notata: *Vult et non vult piger* (Prov. XIII, 4), et *Desideria occidunt pigrum* (Prov. XXI, 25). Unde desiderium tum efficax est, cum media ad perfectionem ducentia, quantumvis difficilia, arripit generose, ut ea exsequatur.

Hoc desiderium moderatum satis in incipientibus vitam asceticam esse solet; acrius in proficientibus

(1) Le Gaudier, *op. cit*, p. III, sec. I, c. 6.
(2) *Veleidad, velleità.*

atque ferventioribus; vehemens in perfectis; nullum in tepidis. Unde ex huius medii exsistentia et efficacia coniici potest gradus vitae spiritualis in anima. Quamvis autem exstinctum appareat in diebus ariditatis atque desolationis, sciet prudens moderator illud dignoscere ex fidelitate, qua anima in exercitiis spiritualibus peragendis et voluntariis defectibus vitandis perseverat.

39. Eius praestantia. — Huius medii praestantia, imo necessitas ad perfectionem obtinendam comprobatur Sacrae Scripturae et Patrum testimoniis, ratione theologica atque ex eius fructibus.

E Sacra Scriptura. — *Desiderium iustorum omne bonum est* (Prov. XI, 23); *Beati qui esuriunt et sitiunt iustitiam* (Matth. V, 6); *Esurientes implevit bonis* (Luc. I, 53); Danielis exaudita est oratio quia *vir desideriorum* erat (Dan. IX, 23); itemque Salomon, quia sapientiam concupierat (Sap. VII).

E SS. Patribus. — *Tota vita christiana*, testante S. Augustino, *in sanctis desideriis posita est* (1). Desideria, iuxta Div. Thomam, hominem praedisponunt, aptumque reddunt ad desiderata suscipienda (2). S. Bernardo fervens desiderium ipsi perfectioni aequivalere videtur: *Vera perfectio est indeficiens illius desiderium et assiduus in procuranda labor* (3).

Ratio *dictorum* obvia est: Perfectio uti bonum absens atque difficile (possibile tamen) apprehenditur, quod, ut obtineatur, quaerendum est; motus autem in ipsum est desiderium. Quod quidem, iuxta Augustinum, sinus animae est (4), famesque spiritualis, iuxta Cornelium a Lapide (5): quanto ergo fuerit ardentius desiderium, eo maior in anima fiet virtutis capacitas, citiusque eam apprehendet. Contra vero, ex desideriorum remissione practice oritur in procurandis virtutibus ignavia atque remissio; invalescunt enim terrenorum affectus, ex

(1) *Tract. in epist. I Ioan.*, tr. IV, n. 6.
(2) *Summa Theol.*, I, q. XII, a. 6.
(3) *Epist. 253.*
(4) Loco cit.
(5) *Comm. in Prov.*, c. XVII, v. 8.

praesentia sensibilium fomentati : unde illud asceticum axioma : *In via Dei non progredi, regredi est* (1). Quod in hoc incidit : perfectionem non ambire semperque in votis habere, quo quidem animus supra terrena erigitur, sinit inordinatos affectus crescere atque supra rationabiles motus ita invalescere, ut sensim hominem ab alto deiiciant : *qui spernit modica, paulatim decidet* (Eccli. XIX, 1). Atque seraphica Doctrix : *qui non crescit, decrescit* (2).

Provectus atque fructus ex hoc desiderio in animam redundantes haud facile possunt annumerari ; en praecipuos : 1° *corda magnanima reddit* atque generosa (3), despicientia terrena, quibusvis humanis respectibus superiora, atque cum Davide inclamantia : *Quid mihi est in caelo et a te (Domine) quid volui super terram?* (Ps. LXXII, 24) ; 2° *gratiam* favoremque Dei *conciliat* qui cum largo largus est (Ps. XVII, 26), famemque spiritualem donis caelestibus satiat (Matth. V, 6 ; Luc. I, 53) ; 3° *meritum* adauget operum nostrorum, etiam minoris momenti, eo namque plus merentur, quo plures fines intendunt (si ex se prava non sint), cum recta intentio seu bonum desiderium virtutis tanti sit apud Deum quanti opera ipsa, iuxta S. Bernardi sententiam : *Voluntas apud Deum pro facto reputatur, quando factum excludit necessitas* (4). Et Venerabilis Palafox : *Desideria peccatores iustos reddunt, iustos autem perfectos, perfectos vero sanctos* (5).

40. Incentiva desiderii. — Ad excitanda in animis praelaudata desideria conferent : 1° Sibi persuadere omnes teneri ad christianam perfectionem curandam (12) ; 2° necessitatem atque praestantiam et fructus eiusmodi desiderii, iuxta praedicta, perpendere ; 3° sedulo meditari hinc divinam bonitatem atque maie-

(1) S. AUGUSTINUS, *Serm. 169*, c. 15 (edit. Migne); S. BERNARDUS, *Serm. 2 de Purific.* et *Epist. 254* et *341*.
(2) S. THERESIA, *Moradas*, VII, c. 4, n. 13.
(3) S. THERESIA, *Vida*, c. 13.
(4) *Epist.* 77.
(5) PALAFOX, *Varón de deseos*, in Introductione.

statem, inde propriam exilitatem et pravitatem; quantum itineris nobis peragendum restet, quantaque sancti pro Deo sint exsequuti. Director haec motiva poenitentibus pro rerum adiunctis proponet, atque paulatim in eorum animos instillare conabitur.

41. Praxis. — Ad hoc perfectionis studium augendum atque firmandum requiritur: 1° propositum in virtutibus proficiendi quotidie in oratione matutina renovare (1), non in genere tantum, sed in ea praecipue intendendo quae pro cuiusque necessitate perficienda sint seu reformanda; 2° intentionem rectificare initio cuiusque operis vel ad sonitum horologii; 3° pluribus intentionibus sanctis opera bona exornare, virtualiter saltem vel habitualiter; 4° si quando bona desideria defervere cernatur mediis nuper (40) allatis mentem excitare; 5° deficientibus perfectionis desideriis, desiderare nihilominus eis pollere (2). Monitum tertium quo melius adimpleatur, oportet aliquoties hoc pactum cum Deo renovare, ut scilicet, in maiorem eius gloriam et laudem, in peccatorum omnium satisfactiones, etc., cedant, opera omnia, verba, anhelitus, cordis palpitationes, etc., quae per illum diem perque totam vitam exsequamur, idque in unione Seraphim et Sanctorum, Cordis quoque Mariae et Iesu, uti plures efferunt libri pietatis (3).

§ 2. — Spiritualis moderatoris electio.

42. Huius medii ratio. — Allata est notio moderatoris spiritualis (23), eius moralis necessitas demonstrata est ut animae christianam perfectionem assequantur (26) ac demum munera sunt exposita moderantis et moderati tamquam materia capituli praecedentis (24

(1) Kempis, *De imitatione Christi*, l. I, c. 19.
(2) Palafox, *op. cit.*, p. II, sent. 1; Rodriguez, *Ejercicio de perf.*, p. I, tr. I; et p. II. tr. VIII, c. 6.
(3) Font (P. Ioseph. C. M. F.), *Devocionario Mariano*, Pacto del alma; Claret, *Camino recto* (Ejercicios de amor de Dios).

et 32); restat electionem ipsam moderatoris et mutationem expendere, velut generale perfectionis medium hic enucleandum.

Non semper arbitrii est animae devotae ductorem eligere viae percurrendae; saepius enim vel necessitate imponitur vel aliorum superiorum voluntate. Quotiescumque vero non invenitur moderator, qui optatis animae respondeat, divinae Providentiae est huiusmodi defectum supplere: licet enim Domino etiam per os hominum iniquorum et iumentorum loqui, sicut referunt Scripturae Sacrae; vel per pios libros animam edocere, sicut accidit S. Theresiae (1); vel per se ipsum ducere luminibus et inspirationibus desuper emissis (2), postmodum a Magistris approbandis, ut de Ap. Paulo novimus (Galat. II, 2). Praeter hos casus verae exceptionis, erit cuiusque animae moderatorem deligere qui sibi ad perfectionem ducatum praestet; qui tenetur enim ad finem, ad media quoque procuranda tenetur quibus liceat finem obtinere.

43. Ad electionem processus. — Quum persona deligenda erit, cuius prudentiae animi negotia committantur, nihil animae devotae intentatum omni sollicitudine relinquendum est, ut talem inveniat qui omni sit exceptione melior, quamvis, teste S. Francisco Salesio (3), *unus ex decem millibus inveniatur*.

Huius obtinendi gratia praecipua haec inculcanda veniunt: 1um quum Dei vicarius sit futurus, a Deo ipso instanter exposcendus erit; 2um perpendere quis inter confessarios et prudentia, et sanctitate et charitate praeemineat (4); 3um experimentum de eo capere priusquam stabili modo eligatur; 4um non humanos respectus, non indulgentiam, non blanditiem attendere (5) sed gloriam Dei et animae provectum quaerere; 5um electionem inspicere a personis prudentibus factam, quae

(1) *Vida*, c. 4, n. 2.
(2) S. Vincentius Ferrerius, *Tractatus vitae spiritualis*, c. 4.
(3) *Introduction à la Vie dévote*, p. I, c. 4.
(4) B. Avila, *Audi, filia*, c. 55.
(5) S. Theresia, *Moradas*, III, c. 2, n. 8.

simili ac nos spiritu aguntur; 6um ceteris paribus, sanctiorem ad casus ordinarios, sapientiorem vero ad extraordinarios eligere, ut ex doctrina S. Theresiae concluditur (1); 7um electo iam moderatore, Deo gratias rependere, seque totum fiducialiter eius directioni dedere, officia optimi discipuli exsequendo (30).

44. Directoris mutatio. — Semper improbanda est directoris mutatio si ex levitate fiat vel inconsiderate: evenit tamen ut ista mutatio quandoque necessaria evadat.

Minime mutari debet moderator: 1° quum voluntas alium quaerendi respectibus mere humanis suggeritur, uti esset, alium invenire amabiliorem vel indulgentiorem, maiori nobilitate vel auctoritate honestatum; 2° quum novus director, qui quaeritur, media adhibet quibus animas sibi attrahat moderandas, ab aliorum prudentium confessariorum directione subtrahendo; 3° quum diabolus in animam influit sine fundamento diffidentiam de moderatore, aut aliqualem sensibilem affectum, cui poenitens obsistit, quique nullum parit offendiculum, ut notat S. Theresia (2).

E contra, mutandus erit ex ipsa beata Doctrice (3) aliisque scriptoribus: 1° si notetur directorem ad vanitatem vel amorem sensibilem allicere, vel eum poenitentibus frivolis, curiosis aut inanibus colloquiis distineri; 2° si bonum animae parvi pendat, et spiritus necessitatibus ire succursum negligat; 3° si poenitentem voto adstringat alium moderatorem non adeundi, vel non sinat eum alios consulere; 4° si res aut exercitia imponat statui poenitentis aut regulis Instituti, cui nomen dederit, prorsus aliena vel aperte contraria; 5° si certo constaret eius moderamen spiritui moderati absonum esse, ita ut eius rationabilem progressum impediat. — Poterit quandoque mutatio ex necessitate vel ex superiorum praescriptis evenire, sicut de electione dictum est (42).

(1) *Vida*, c. 13, n. 12, et *Moradas*, VI, c. 8.
(2) *Vida*, c. 40, n. 14, et *Camino de perfección*, c. 4, nn. 7 et 8.
(3) *Camino de perfec.*, c. 4, n. 8, et c. 5, n. 2; *Vida*, c. 4, 5, 13, etc.

§ 3. — Poenalia exercitia.

45. Huius medii ratio. — De poenalibus exercitiis quae corpora affligunt agere solent ascetici libri, quum media exponunt viae purgativae propria, quasi vexationes illae id unum intenderent, sensibiles appetitus subiicere; historiae vero sanctorum et animarum omnium quae virtutibus admirandis emicuere testes sunt praefata exercitia maximi esse momenti et ad spiritum poenitentiae interiorisque compunctionis fovendum et ad progressus in via perfectionis faciendos in quocumque virtutis gradu animae versentur. Ideo haec exercitia inter media generalia perfectionis enumeranda sunt, quorum studio incumbimus in praesenti capitulo.

Sub nomine vero poenalium exercitiorum minime significamus moderantiam atque sensuum mortificationem generice sumptam, quae materia sunt viae purgativae propria (102); sed exercitia quae vulgo nomine veniunt poenitentiarum seu corporis vexationum, uti *ieiunia*, *abstinentiae*, *durus lectus*, *vigiliae*, *noctes orando traducere*, *cilicia*, *flagellationes*, etc. [1]. Cilicia duplicis sunt generis: hispida vestis, in modum pectinum extricandae lanae, vel catenulae amplae pungentes quovis ligamento devinctae. Flagella e cordulis vel e ferreis filis retortis conficiuntur quarum summitates tribulis quandoque terminantur, suntque cruenta vel incruenta. Quoad lecti duritiem in usu frequentius est super tabulas vel humi cubare, quod apud veteres poenitentes *chameunia* vocabatur.

46. Horum exercitiorum praestantia. — Contra modernorum spiritum, qui haec media velut obsoleta et irrationalia reiiciunt, exstat horum praestantia, innixa 1° in Sacris Scripturis, quae illa commendant, pluraque laudant et afferunt poenitentium exempla, qui similia sunt exsequuti, inter quos David effulget, Iudith, Esther,

[1] Vallgornera, *Mystica Theol. D. Thomae*. t. II, app. 3.

ninivitae, etc.; 2° in constanti praxi Ecclesiae, quae semper et ubique iis usa est, usque adeo ut asserat Benedictus XIV (1), nullam beatificationis aut canonizationis causam provehi (martyrum causis exceptis) si earum subiectum nullis praedictarum austeritatibus se dederit; 3° in magna utilitate talium exercitationum ad spiritualis vitae progressum.

Commoda et utilitates haec sunt praecipua: 1um pro peccatis *satisfacere*, iuxta illud Ioëlis: *Dicit Dominus: Convertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, et in fletu, et in planctu* (Ioël. II, 12); 2um appetitus *subiicere*, vestigiis beati Pauli insistendo: *Castigo corpus meum et in servitutem redigo* (I Cor. IX, 27); 3um orationem *efficacem reddere*, ut Archangelus Raphaël Tobiam docuit: *Bona est oratio cum ieiunio* (Tob. XII, *v.* 8), quod quidem Daniel (Dan. IX), Esdras (I Esdr., VIII, *v.* 21), Apostoli (Act. XIV, 22) aliique praestiterunt; 4um Dei consolationes *promereri* iuxta prophetarum effata (Ierem. XXXI, 13) et Christi Iesu sententiam: *Beati qui lugent...* (Matth. V, 5); 5um inimicis *obsistere*, sicut David: *Ego autem, cum mihi molesti essent, induebar cilicio* (Ps. XXXIV, 13), et S. Antonius Abbas confirmabat his verbis: *Credite mihi, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia* (2); 6um *offerre* Deo mysticum sacrificium totius substantiae nostrae, ut monet Apostolus: *Exhibeatis corpora vestra hostiam viventem, sanctam, Deo placentem, rationabile obsequium vestrum* (Rom. XII, 1); 7um passionem Iesu Christi *imitari* eiusque fieri participes, complentes quae desunt in nobis iuxta mentem Divi Pauli: *Adimpleo ea quae desunt passionum Christi in carne mea* (Coloss. I, 24); 8um *disponere* ad meditationem, contemplationem et unionem cum Deo, prout docent S. Gregorius (3), S. Theresia (4), Benedictus XIV (5), aliique non pauci; 9um digne

(1) *De Servorum Dei beatificatione, et Beatorum canonizatione*, l. III, c. 28 et 29.
(2) *Brev. Rom.*, die 17 Ian., l. VI.
(3) *Moralium*, l. V, c. 5.
(4) *Moradas*, V, c. 2, n. 5.
(5) *Op. cit.*, l. III, c. 28, n. 19.

et fructuose *apostolatum exercere*, Apostoli gentium monita et exempla sectando: *In omnibus te ipsum praebe exemplum bonorum operum, sicut Dei ministrum, in multa patientia, ..., in vigiliis, in ieiuniis multis* (Tit. II, 7 et II Cor. VI, 4-10).

Nec obiiciatur contra, praesentia tempora modernamque civilitatem alias agendi rationes exigere: allata enim argumenta absoluta sunt, vimque suam pro quolibet tempore et societatum cultura retinent; nam eadem nunc humana concupiscentia, idem caelum, eadem Christi lex, quae immutata perseverat, perseverabitque. Sancti quoque hac aetate nostra florent, qui arguunt, sicut in S. Theresiae temporibus, humanam naturam hoc afflictationum genus posse debitis conditionibus perferre.

47. Conditiones. — Iis suppositis quae ad omne bonum opus requiruntur, haec una poenalibus exercitiis conditio constituenda, ut non indiscrete assumantur, sed rationabiliter temperentur, *rationabile obsequium vestrum* (Rom. XII, 1); ut enim recte docet Benedictus XIV, «praenoscere opus est corporis afflictiones non esse virtutes sed instrumenta virtutum ideoque esse debita cum moderatione exercendas» (1). Haec autem discretio postulat, 1° ut aperte valetudini non noceant, ut monet S. Theresia (2), ad astus diaboli vitandos; 2° ut status et officii debita adimplere non impediant, ut Angelicus Doctor cum aliis admonet (3); 3° ut secreto fiant (cum a regulis vel publica consuetudine non sint instituta) ad vitandam singularitatem atque inanem gloriam, iuxta Divi Bernardi consilium (4); 4° ne sit e contra poenitens adeo timidus, ut quavis ex causa vel corporis debilitate, ea praetermittat, vel in exercendis sit remissus, prout et mystica Doctrix (5) scriptis, et sancti suis exemplis edocuere; 5° ut obe-

(1) Loc. cit., c. 29, n. 1.
(2) *Moradas*, I, c. 2, n. 16.
(3) *Quodlibeto* 6, a. 18.
(4) *Serm. I in Domin. 6 post Pentec.*
(5) *Vida*, c. 24, n. 1, et c. 27, n. 10, et *Moradas*, III, c. 2.

dientia moderentur, iuxta religiosorum Institutorum praescripta, auctorumque doctrinam (1), ut meritum augeatur, et illusionibus recludatur aditus (2).

48. Praxis. — Inde : 1° statuat virtutis amator corpus castigationibus exercere, moderatis tamen, et prudenter susceptis ; 2° mortificatio sit ei non finis sed medium, nec enim ipsa propter se est expetenda, nec se ideo sanctum aestimet, quod in ea exerceatur ; 3° per haec poenalia exercitia, id bona mente requirat, scilicet : ut praedicta emolumenta, vel ex eis aliquod saltem, referat ; 4° somno tempus necessarium ne detrahat, atque nolit omnia imitari, quae in hac re Sancti sunt exsequuti ; 5° sanguinis effusionem devitet, nisi alias Dei voluntas certo appareat, et flagella ex cordulis retortis vel nodosis eis praeferantur quae ex filis ferreis conficiuntur ; suadetur tamen ne in tergora convertantur ; 6° quoad usum ciliciorum, caveat devotus ne plures horas, aut constricta nimis, vel medio corpori circumducta deferat, ne congestionibus detur locus ; 7° ne pueris aut anhaemicis permittantur ieiunia, sed in his casibus et similibus ieiunii vicem cibus quadragesimalis teneat, si fieri possit ; 8° foveatur spiritus mortificationis tenuioribus rebus, v. gr. abstinentia exquisitae buccellae, bellariorum, etc. ; 9° curent omnes sedulo conscendere *ad montem myrrhae et ad collem thuris* (Cant. IV, 6), semper orationem mortificationi consociantes, iuxta S. Gregorii, Bernardi (3) et aliorum interpretationem et monita.

§ 4. — De oratione.

49. Definitio et divisio. — Oratio proprie dicta definiri solet : elevatio mentis in Deum cum petitione decentium ad vitam aeternam. *Oratio*, inquit Dama-

(1) S. Basilius, *Regula brevis*, q. 138 ; S. Benedictus, *Regula*, c. 49.
(2) Conf. Scaramelli, *Direttorio ascetico*, t. II, a. 1.
(3) *Serm. 59*, ex parvis.

scenus, *est mentis ad Deum ascensus, aut eorum a Deo postulatio, quae postulare convenit* (1). Et S. Bonaventura: *Oratio pius affectus mentis est, in Deum directus* (2); *Oratio est petitio decentium a Deo* (3). Sola mentis elatio absque ulla petitione consideratio vel contemplatio diceretur; addito vero sermone aliquo vel spirituali colloquio, dicitur oratio, quamvis nihil expresse petatur (sicut in psalmis accidit non paucis); unde aptior videtur S. Ioannis Chrysostomi definitio: *Oratio est colloquium cum Deo* (4).

Dividitur in *mentalem* et *vocalem:* prior solis interioribus animae potentiis exercetur; posterior in exteriores potentias terminatur. Ut autem haec hypocrita non evadat sitque Dei adoratio *in spiritu et veritate* ut ait divinus Magister (Ioan. IV, 24), bona voluntate seu recta intentione debet informari, saltem virtuali, iuxta theologorum sententiam. De quo S. Bonaventura: *Tria sunt adorantium genera; alii solis labiis; alii solo corde; alii labiis et corde: primi, dolosi; secundi, devoti; alii, veraces* (5).

Dicuntur *iaculatoriae* brevissimae et fere momentaneae orationes sive mentales sive vocales pio affectu elicitae. De his loquitur Augustinus quasi de praxi quae apud Thebaidae monachos invaluerat: *Dicuntur fratres in Aegypto crebras quidem habere orationes, sed eas tamen brevissimas et raptim quodammodo iaculatas* (6).

50. Orationis praestantia. — Praetermissa nunc orationis excellentia, quae ex ipsis allatis definitionibus deducitur, necnon omissa eius ad salutem aeternam necessitate (7), et praecepto passim et instanter in Sacris

(1) *De fide orthodoxa*, l, III, c. 24.
(2) *In lib. Sentent.*, dist. 7, a. 2, q. 3.
(3) *Dicta salutis*, tit. 2, c. 5.
(4) *Homil. in lib. Geneseos*, homil. 30.
(5) *Super Psalmo 16.*
(6) *Epist. ad Probam*, num. 121 (alias 130). Conf. super hoc orationum genere opusculum P. Malo (Fr. Franciscus O. M.), *Catecismo de Teologia Mistica*, Prácticas importantes, etc.
(7) Conf. S. A. de Liguori, *Il mezzo della preghiera...* etc.

Scripturis commendato (de quibus libri ascetici perplures sunt exarati), nostrum est in praesens orationis utilitatem ad proficiendum in virtutibus enucleare.

Nulli dubium esse potest, quin oratio proprie talis medium sit praecipuum atque necessarium non modo ad perfectionem perveniendi, verum etiam per viam virtutis incedendi, ut loquitur Chrysostomus: *Arbitror, cunctis manifestum esse, quod impossibile sit, absque precationis praesidio, cum virtute degere cumque hac huius vitae cursum peragere* (1). Ea sit ratio: quod sine orationis auxilio nullo modo possunt a Deo obtineri gratiae necessariae ad fines cuiusque triplicis spiritualis viae assequendos, quae gratiae per orationem habentur.

1° *Via purgativa:* David rex (Ps. L), filius prodigus (Luc. XV) et publicanus (Luc. XVIII) per orationem iusti facti sunt et peccatis valedixerunt. *Etiam si nos peccatis refertos precatio deprehenderit, celeriter purgatos reddit. Precatio non solum purgat a peccatis, verum etiam ingentia pericula depellit* (2). Haec Chrysostomi doctrina miros orationis effectus in animabus purgationi obnoxiis amplectitur.

2° *Via illuminativa:* Oratio Moysen in monte, Patriarchas atque Prophetas (Eccli. XLV, 5; Dan. IX) iustosque omnes illustravit: *Accedite ad eum et illuminamini* (Ps. XXXIII, 5). Prosequiturque Chrysostomus: *Quemadmodum sol lucem praebet corpori, sic animae lumen est precatio* (3).

3° *Via unitiva:* Orationis virtute Spiritus Sanctus super Apostolos descendit atque in viros perfectos transmutavit (Act. I); quod etiam nunc invisibiliter iteratur in animabus sanctis, quae caelestem sapientiam per orationem abunde percipiunt (Iac. I, 5). *Necesse est enim,* concludit Chrysostomus, *ut qui cum Deo familiaritatem habeat, superior evadat* (4); etenim, cum

(1) *De orando Deum,* l. I.
(2) Ubi supra.
(3) Loc. cit.
(4) Loc. cit., et S. PETRUS DE ALCANTARA, *Tratado de la oración,* p. I, c. 1.

essentialiter Sancto et sapiente miscere colloquia, non potest non efficere sapientes et sanctos.

In quovis statu : ut quis in virtutibus proficiat gratia indiget copiosa, qua naturae obstacula praevertere valeat ; oratio autem *clavis est caeli* iuxta Augustinum; *animae clypeus* iuxta Ambrosium ; arma potentissima, teste Chrysostomo ; flagellum diaboli ex Divo Bonaventura ; spiritualis militis armatura iuxta verbum Aquinatensis. Ipsa, demum medium est a Dei Providentia nobis paratum, quo possimus divina beneficia obtinere et virtutem ipsam adipisci ut ipse docet Angelicus Doctor (1).

51. De oratione vocali. — Quae superiori numero sunt exposita, cuivis devotae orationi, tam mentali quam vocali, conveniunt ; sed posterior haec peculiaribus ornatur proprietatibus, quae loco isto seorsim pertractandae videntur. De ipsa licet asserere quod de cultu externo edocent theologi, quod, scilicet, sequentia commoda et utilitates praestet : 1° namque perfectum laudis sacrificium Domino defert (Ps. CV), quum illi non animi tantum sed et corporis debitores simus, a quo linguam accepimus, in qua benedicimus Deum et Patrem (Iac. III, 9); 2° internam devotionem excitat et fovet, quae sine exterioribus manifestationibus, velut in corpore quodam inclusa, facile languescit et exstinguitur ; 3° fundamentum est publicae et socialis adorationis, nec enim aliter possunt homines in hac vita ad cultum religiosum consociari (2).

Minime, igitur, mirandum, si vocalis oratio inter fideles et in tota Dei Ecclesia usu venerit semper, atque ineffabilem consolationem uberrimosque fructus in ea animi perceperint, ut de se ipso fatetur magnus Augustinus his verbis : *Quantum flevi in hymnis et canticis tuis, suave sonantis Ecclesiae tuae vocibus commotus acriter!... exaestuabat inde affectus pietatis, et currebant lacrymae, et bene mihi erat cum eis* (3). Haud immerito contem-

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. LXXXIII, a. 2 et 15.
(2) Loc. cit., q. LXXXIII, a. 12.
(3) *Confessionum* l. IX, c. 6.

plativi Ordines officia divina inter praecipua sui instituti munera recensent, atque Ecclesia selectissimis sui corporis membris, Clero nempe saeculari et regulari atque in primis cathedralium coetibus, officii recitationem praescribit.

52. Orationis conditiones. — Non quovis modo effusa oratio tam praeclaros obtinet fructus, sed certis conditionibus emissa (1). Petenda sunt: 1° aeternae saluti consentanea; secus enim detrimenta potius quam emolumenta provenirent, et monente Augustino: *Non petitur in nomine Salvatoris quidquid petitur contra rationem salutis* (2); 2° animo pio et devoto, cum fide, scilicet, atque confidentia, quibus humilitas et amor accedant; quae quidem omnia requirebat Iesus ab iis quibus beneficia impertiebatur (Matth. VIII; Marc. c. XI, 23; Ioan. XV, 7); 3° fiat perseveranter; differtur enim saepe beneficiorum collatio, quo magis nobis prosint (Luc. XI, 8; XVIII, 1).

Super haec omnia exigit oratio vocalis ut attente ac devote fiat, id est, ut intellectus atque voluntas in id intendant quod labiis pronuntiatur; secus enim non Deus in spiritu et veritate adoraretur (Ioan. IV, 23). *Voces in auribus Dei sunt animi affectus*, docet Augustinus (3). Attentio haec iuxta theologos piosque auctores triplex esse potest; *ad verba* (ut recte pronuntientur), *ad sensum* (ut intelligatur quod dicitur), et *ad Deum* (aliqua divina meditando) (4).

53. Praxis. — Ex praecedentibus istis sequentia deducuntur: 1° nulla sit animo devoto requies donec spiritum assiduae orationis acquirat, quiete tamen et absque fatigatione, nihilque ordinariis operibus detrahendo; 2° hic spiritus orationis iaculatoriis foveatur, iis praesertim quae de corde sponte fluant, et animi

(1) *Summa Theol.*, ibid., a. 15.
(2) *Tract. 102 in Ioan.* (Vid. *Brev. Rom.*, lect. III Noct. Dom. V p. Pascha).
(3) *De catechiz. rudibus*, c. 9.
(4) *Summa Theol.*, loc. cit., a. 12.

statui accommodentur; 3° mentali orationi preces aliquae adiiciantur, quae devotionem internam excitent, nedum suffocent; 4° oratio vocalis, nisi obligatoria sit, tum suspendatur, quum internis motionibus, quas anima forte experiatur, impedimento esse possit; 5° precibus et exterioribus pietatis exercitiis modus imponatur, horis vacantibus et profectui subsequuto illa coaptando (1); 6° in orationibus vocalibus attentio maxime et devotio curanda, simul ac corporis habitudo reverens, atque recta et integra pronuntiatio (2) in orationibus praesertim liturgicis atque obligatoriis; 7° orationi insistendum est, quamvis eius fructus non continuo percipiatur, hoc certo intelligentes quod *non nos Dominus ad postulandum hortaretur atque moveret, nisi concedere vellet* (3).

§ 5. — Lectiones et collationes spirituales.

54. Quid sint. — Lectionem intelligimus exercitium legendi vel audiendi legere scripta ut inde in virtutibus proficiamus. A lectione scientifica (etiamsi ascetica sit), eo differt, quod non ad simplicem intellectus illustrationem assumitur, sed eo sane consilio ut voluntas moveatur ad viam virtutis altiori rerum cognitione prosequendam.

Lectioni similes sunt collationes spirituales quae duplicem formam induunt, conciunculae, scilicet, vel familiaris aut privatae sermocinationis. In eis viva vox, qua quis eloquens propriam persuasionem exponere et transmittere conatur, maiorem, quam lectio, vim solet obtinere atque efficaciam.

Libri huiusmodi exercitio nati sunt Scripturae Sanctae, necnon opera in ipsis fundata; non quidem ea quae more tractatuum criticorum, apologeticorum, aut

(1) Blosius, *Reg. vitae spir.*, c. 24.
(2) S. Theresia, *Camino de perfección*, c. 25.
(3) S. Augustinus, *De verbis Domini*, serm. 29.

controversiae et disceptationum exarantur, sed quae ascetica seu mystica, simplici atque ad affectus excitandos nata oratione conscribuntur, sententiis adornata SS. Patrum et scriptorum ab Ecclesia approbatorum. Possunt etiam in hunc finem adhiberi orationes et conciunculae a probatis oratoribus in lucem editae. Commendantur, inter alia, scripta Venerabilis Granada, La Puente, B. Ioannis ab Avila, S. Alphonsi de Liguori, atque PP. La Palma, Alphonsi Rodriguez, etc., una cum Sanctorum vitis.

Quoad spirituales collationes, eae praeferantur quae de rebus asceticis simplici stilo et pio agunt affectu, potius quam aures demulcentes vel quae doctrina vacuae sensiles affectus excitare conantur.

55. Earum utilitas. — Certe utilissima aestimanda est lectio spiritualis, quum in sanctorum scriptis adeo commendetur, atque in regulis Institutorum religiosorum praescribatur. Ne plurima testimonia in unum congeramus, satis superque sit aliud ex Sacra Scriptura aliud ex Divo Hieronymo decerpere. Paulus ad Timotheum: *Attende*, inquit, *lectioni* (Scripturarum), *exhortationi et doctrinae* (I Tim. IV, 13). S. Hieronymus ad Eustochium virginem: « Scripturas Sacras diu noctuque sic mente revolvas, ut tenenti codicem somnus obrepat, et cadentem faciem pagina sancta suscipiat » (1).

Praecipua lectionis spiritualis commoda haec sunt: 1um, gratia conversionis quandoque per ipsam in animas defluxit, uti evenit D. Augustino, audienti nuntium caeleste: *Tolle, lege* (2); 2um, ad virtutem accrescunt animi, sicut Divo Dominico et Divo Thomae collationes Patrum assidue pervolventibus (3), atque S. Theresiae, adhuc puellulae, acta martyrum perlegenti (4); 3um, animus veritatibus salutaribus enutritur, quae sunt cibus animae spiritualis, uti S. Augusti-

(1) *Epist.* ad Eustochium.
(2) *Confessionum* lib. 8.
(3) *Brev. Rom.*, in lect. diei 7 Mart.
(4) *Vida*, c. 1.

nus (1) S. Ioannes Chrysostomus (2) et alii (3) testantur; 4um, defectuum deformitatem, suamque ipsius, intuens homo in speculo lectionis, corrigere studet, iuxta mentem S. Gregorii Magni (4); 5um, anima meditationi et contemplationi disponitur, notiones enim spiritualium imbibit, primos gressus talium exercitiorum faciens, ut asserunt ascetici.

Praedicta omnia, suo modo, de sermonibus, collationibus et colloquiis dici possunt, quae quidem lectionibus hoc praecellunt, quod vehementiora sint atque efficaciora propter vim emotivam loquentis; lectiones tamen haec habent commoda, quod ad manum habeas quoties velis, et sine ambagibus atque libere te doceant et moneant, quod magis tua intersit. Bonus liber est excellens et constans amicus, spirituale colloquium aequivalet saepe sermoni aut fervidae meditationi: factum meminerimus discipulorum in castellum Emmaus facientium iter (Luc. XXIV).

56. Conditiones. — Ut lectio spiritualis relata commoda praestet, sequentibus conditionibus est habenda: 1a in spiritu fidei verba suscipiantur tamquam Dei verbum, et litterae atque nuntia de caelo nobis allata, iuxta D. Augustini monitum (5); 2a fiat in libris cuiusque conditioni necessitatique magis congruentibus, sicut alimenta sumentis conditionibus aptantur; 3a paulatim et considerate, quo melius possit spiritus traditam doctrinam ebibere; 4a saporem animae quaerendo, non autem subtilem intellectus illustrationem (6); 5a moderate fiat, nec longius protrahatur, ne fatigetur animus aut confundatur (7).

Eaedem conditiones concionibus et colloquiis spiri-

(1) *Serm. de tempore*, 112.
(2) *Homil. in Geneseos*, 29.
(3) Auctor, e. gr., *Speculi disciplinae*, c. 13.
(4) *Moral.*, lib. 2, c. I.
(5) *Epist.*, 143.
(6) Kempis, *De imit. Christi*, l. I, c. 5.
(7) S. Ephrem, *Serm.* 7; S. Bernardus, *Epist. ad fratres de Monte Dei*; Crispinus, *La Scuola del gran Maestro di spirito S. Filippo Neri*, lib. 4, l. 7.

tualibus sunt applicandae, aliae quidem a facientibus, ut liquet, aliae vero ab audientibus.

57. Praxis. — In legendo spiritualia haec admonenda veniunt: 1° singulis diebus praefinitum tempus eis deputetur, minuta quindecim, v. gr., et hora diei magis quieta; si bis in die, optatius esset; 2° libri seligantur aptiores, a directore approbati, qui varii pro temporum et hebdomadae dierum varietate esse poterunt; verbi gratia, tractatus de Passione Domini sexta quaque feria, de B. Virgine in sabbatis, de mysteriis occurrentibus in festis, etc.; 3° generatim loquendo ne libros legant de visionibus et extasibus agentes, personae illae quae vividioris sint phantasiae, vel rudioris intellectus, vel in via perfectionis parum provectae, sicut et timidis interdicendae sunt lectiones terrorificae, etc.; 4° ante lectionem exoretur Dominus, qui dat parvulis intellectum, post lectionem gratiae ipsi referantur; 5° si forte inter legendum illustrationem insuetam vel affectus motionem animus susceperit, in iisdem insistat, lectaque iam iterum iterumque perlegat, nisi communiter vel cum socio fiat lectio.

In colloquiis et collationibus spiritualibus caveatur ne quis de se loquatur vel de acceptis donis, vel de confessario moderante spiritum, simulque defectus linguae vitentur; sermo vero sit vividus, praeconceptus et semper de rebus aedificantibus atque captui audientium accommodatus.

§ 6. — De meditatione et contemplatione.

58. Horum mediorum notio. — Sub uno titulo comprehendimus, non quod unum sint, imo potius eo quod opponantur, alterumque alteri succedat, ita ut animus, qui cum priori bene se habeat, cum altero non proficiat, et vicissim. Primum semper intra limites Asceticae concluditur; alterum vero Mysticam quoque respicere potest, ut mox dicetur.

Meditatio, in genere, est omnis operatio intellectus

discursive seu per ratiocinium veritatem inquirentis. *Contemplatio* est veritatis cuiuslibet admirativa intuitio. Ita fere definitur a mystico philosopho Richardo de S. Victore: *Meditatio est occultae veritatis studiosa investigatio. Aliud est meditatio, aliud contemplatio. Meditationis est perscrutari occulta; contemplationis admirari perspicua* (1). Ante eum Augustinus: *Contemplatio est perspicuae veritatis iucunda admiratio* (2).

Meditationi vero et contemplationi, si considerentur ut exercitia spiritualia ad proficiendum in virtutibus, addenda est ea notio quae voluntati respondet, atque ita complendae earum definitiones: *Meditatio* est interiorum animae potentiarum exercitatio, qua veritas aliqua religiosa intellectu discurrente perpenditur, ut voluntas in pios affectus erumpat, et consilia suscipiat perfectioris vitae christianae. *Contemplatio* est intellectus exercitatio qua, intuitivo quodam modo et sine discursu, veritatem aliquam revelatam admiramur, unde voluntas in affectus erumpit, vehementer et intense ad Deum intendentes, in quo velut in centro anima requiescit. Essentialis atque specifica differentia inter eas in actu intellectus consistit, discursivo in priori, in altera intuitivo. Utraque ab oratione in genere (de qua supra, § 3), eo differunt, quod haec ex se considerationes praetermittit, illae vero petitiones et preces essentialiter non exigunt, etsi eas istae comitentur.

59. Earum species. — Contemplationis duae species distinguuntur: *acquisita* seu *activa* quae naturalis quoque dicitur, et *infusa* seu *passiva*, quae ex omni parte supernaturalis est. Prior illa, conditione longe inferior posteriori, viribus humanis potest obtineri, supposita Dei gratia communi, ad quam per naturalem meditationis evolutionem, valet homo, licet non necessario, pervenire (66). Altera vero ex solo pendet favore Dei, per extraordinariam gratiam, quam quidem humana industria impar omnino est mereri atque obti-

(1) *De exterminio mali*, trac. 2, p. 1, c. 15.
(2) *Auctor de spiritu et anima* (inter op. S. Augustini), c. 38.

nere (4). Haec una Mysticae proprie dictae iurisdictioni subest ; prior autem Asceticae terminos minime transgreditur (15 et 187).

Inter meditationem et activam contemplationem aliqui auctores, galli praesertim, gradum medium ponunt, quem *orationem affectivam* nominant (1), non ita quidem definitum ac notis peculiaribus concretum a scriptoribus ipsis de illo agentibus ; qui tamen gradus nihil est aliud quam ipsa contemplatio activa (et forte ipsa meditatio paucissimis reflexionibus ornata) in qua varii affectus, etiam non sensibiles, efflorescunt. Activa contemplatio, si quadam affectuum unitate constet, dicitur *oratio simplicitatis*, atque potius est acquisita contemplatio iuxta auctores, qui mediam afferunt *orationem affectivam* (2).

60. Gradus et talenta orationis. — Nomine *gradus orationis* veniunt diversi modi quibus anima Deo communicat, qui in maiori vel minori animi candore et ingenuitate vel in cogitationum et affectuum simplicitate consistunt. In via ascetica tres gradus ponuntur essentialiter diversi ; in mystica vero complures alii, qui triplici quoque ordini respondent ut in propriis tractatibus apparebit (242).

Asceticae viae gradus orationis communiter ab auctoribus traditi, tres numerantur, nempe : 1° *oratio vocalis*, etsi aliqualis consideratio et rerum ponderatio eam comitetur ; 2° *meditatio* seu *oratio discursiva*, prout supra definitum est ; 3° *contemplatio activa* seu *oratio simplicitatis*, cum affectuum varietate vel unitate. Qui *orationem affectivam* uti a duabus posterioribus diversam admittunt, mediam illam inter utramque ponunt,

(1) Auctor, qui ante omnes et ex consulto de *affectiva oratione* egerit, fuisse videtur P. Alvarez de Paz, S. I., in tomo III operis *De vita spirituali*, sub titulo *De inquisitione pacis*, lib. I, p. 3 (anno 1608) ; quem sequuti sunt PP. Godinez et La Reguera, S. I., et aliqui gallici scriptores : saeculo autem XIX communiter admissa est atque exaggerate commendata, licet immutata paulisper eius notione, ab auctoribus praefatae nationis, necnon ab aliis extraneis.

(2) Ita Poulain, S. I., in opere *Des grâces d' oraison*, p. I, c. 2, § 1.

eamque definiunt: orationis modum activae contemplationi affinem, magna affectuum varietate praeditum (1). Aestimamus characterem istum, pluralitatem, videlicet, vel paucitatem orationis affectuum, minime constituere alium contemplationis gradum; poterit, ut summum, accidentalem contemplationis vel meditationis modum constituere (2), unde minime de oratione affectiva, quasi de gradu a praenotatis diverso, sermo erit habendus. Omnis namque meditatio vel contemplatio essentialiter affectiva esse debet (vid. definitiones), atqui magis vel minus non mutant speciem.

Talenta orationis dicuntur gratiae seu dona diversa caelitus animabus in hunc finem impertita ut aliquo modo cum Deo habitualiter communicent. Sub his donis seu talentis comprehenduntur memorati gradus eorumque varietates, de quibus sermonem instituemus quum de variis meditandi methodis et similibus exercitiis dicendum occurret (64).

61. Convenientia inter gradus et vias. — Cum consideratio et oratio quasi succus spiritualis vitae sint, iuxta mysticos (3), consequens est ut orationis gradus gradibus vitae apprime respondeant, ita ut eorum altitudo horum altitudini conveniat simulque viis spiritualibus supradictis aptentur (19 et 20). Quum vero talenta orationis a Patre luminum proveniant (Iac. c. I, 17), nec Deus tramitibus nostris arduis teneatur, memorata convenientia generice tantum et uti in pluribus admittenda est, non necessario et absoluto modo. Aliunde, elevatio in gradibus orationis actibus intellectus potius quam voluntatis constituitur (4); at cuilibet patet actus intellectualis perfectionem individuo-

(1) Quamvis laudatus Poulain velut diversum memorat gradum orationis affectivae, didactice tamen parvi eam momenti facit, magis insistens in oratione simplicitatis ut ex eius explicationibus apparet.

(2) Sic etiam opinatur P. Seisdedos, S. I., *Principios fundamentales de la Mistica*, t. I, p. 2, c. II, § 3.

(3) Hugo de S. Victore, *De claustro animae*, lib. III, c. 8, etc.

(4) P. Seisdedos, op. cit., t. I, p. 2, c. II, § 3, versus finem.

ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

um sanctitati minime respondere, atque de condigno umquam posse mereri (1).

Ex iis potest concludi meditationem seu orationem liscursivam cum suis varietatibus viae purgativae et lluminativae respondere in Ascetica ; contemplationem rero unitivae (oratio vocalis cunctis communis est) ; ninime vero concluditur orationem discursivam quid rivativum esse viae purgativae, affectivam illumina- ivae, et orationem simplicitatis seu contemplationem ini respondere viae unitivae, ut recentiorum plures iutumant (2). Nec experientia nec perillustrium nostro- um asceticorum et mysticorum aurei saeculi testimonio haec placita probantur.

62. Horum exercitiorum praestantia. — Horum nediorum praestantia atque relativa necessitas ad per- fectionem obtinendam ab omnibus asceticis et mysticis (3) leclaratur et evincitur, uti videre est in quolibet lau- latorum librorum qui ad meditandum prae manibus fidelium habentur. Quoniam vero in perfecta medita- tione et contemplatione oratio mentalis includitur ; quae commoda et utilitates de hac superius sunt prae- dicata (50), ea demum istis quoque sunt assignanda. Insistentes modo in commodis animae provenientibus ex sola fidei veritatum consideratione, quod equidem

(1) In huius doctrinae confirmationem afferri possunt exempla multa hominum virtute praestantium, qui, etiam maxima adhibita diligentia, continuo in orationis ariditate versantur, vel non nisi vocali orationi vacare possunt, in qua tamen praesentiorem quam in mentali favorem Domini experiuntur ; quod quidem ipsius S. Theresiae testimonio confirmatur in *Camino de perfección*, c. 17, n. 2 et 3. Hae personae, non certe paucae, in via saepe illuminativa, quandoque etiam in unitiva versantur.

(2) Inter quos Saudreau sequutus Surin, Libermann, aliosque eiusdem scholae.

(3) Hanc vitae orationis praestantiam, imo et necessitatem, plurimi SS. Patrum et antiquorum Doctorum loci significare volunt, cum ipsam *contemplationem*, *illuminationem*, *mysticam*, *sapientiam*, *animae sponsalitia*, etc., vocant, quin infusam contemplationem his verbis indicare velint, ut nonnulli auctores opinantur (cfr. Honoratum a S. Maria, C. D., *Tradition des Pères sur la contemplation*, P. 2, Dis. 3, a. 3).

argumentum proprie ad perfectionis media in hoc paragrapho perpendenda pertinet, tria sequentia sponte occurrunt quae ad perfectam vitam spiritualem maximi referunt:

1um *Solida devotio*, quae firma deditio mentis est ad divinum famulatum (17), veram causam habet ex Angelico Doctore (1) attributorum Dei et humanae vilitatis considerationem, in quod omnis meditatio convergit. Ecclesiasticis atque religiosis maxime opus est ista devotio, ut suis officiis atque ministeriis satisfaciant; quam, solum veram eius causam attendentes, poterunt invenire. *In meditatione mea exardescet ignis* (Ps. XXXVIII, 3). E contra, meditationis defectus animos arefacit, hominesque impios reddit: *Aruit cor meum, quia oblitus sum comedere panem meum* (Ps. CI, 5). *Desolatione desolata est omnis terra: quia nullus est, qui recogitet corde* (Ier. XII, 11).

2um *Orationis efficacia* (id est, ita Dominum obsecrare, ut postulata non possit non concedere), e consideratione pendet indigentiae nostrae spiritualis, atque divinae misericordiae ac largitatis; ut enim docet S. Bernardus: *Meditatio docet quid desit; oratio, quod deest, obtinet* (2). Religiosi, et ecclesiastici praesertim, in meditationibus addiscent praecellentis ministerii sui dignitatem, virtutes minime communes, quibus ornari oportet, necnon omnimodam gratiae Dei necessitatem ad munera tanta rite obeunda: inde fiet ut excitentur hanc gratiam sibi ceterisque fervidi postulare: *Haec meditare; in his esto: ut profectus tuus manifestus sit omnibus* (I Tim. IV, 15). Et, e contrario, defectus huius cognitionis et fervoris inanes et vacuas reddit saepe orationes nostras: *Petitis et non accipitis, eo quod male petatis* (Iac. IV, 3).

3um *Triumphus de hostibus*, atque difficultatum superatio, opportuna consideratione obtinentur; qua quidem futura praevidere, et efficaciora remedia in promptu habere possumus. *Meditatione agnoscimus imminentia*

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. LXXXII, a. 3.
(2) *Serm. I* de S. Andrea, n. 10.

nobis pericula; oratione evadimus (1). Ecclesiastici vero atque religiosi, meditatione adiuvante, pericula pernoscent atque tentationes quibus obnoxii sunt, sibique opportune cavere scient: *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. XXVI, 41). Aliter vero reincidentiae ex inconsideratione sunt pertimescendae: *Nisi quod lex tua meditatio mea est, tunc forte periissem in humilitate mea* (Ps. CXVIII, 92).

63. Meditandi methodus. — Ascetici qui abhinc a saeculo XVI scripserunt in certam methodum exercitia meditandi redegere, non qua spiritus constringant et religent, sed ut potentiis animae viam demonstrent, ne inertia vel divagatione distineantur (2). Haec methodus, quae, vel parvis mutationibus, communis iam inter docentes asceticos evasit, dicitur *exercitium trium potentiarum*, quod sane totum meditationi proprie dictae, seu orationi discursivae tantum mirifice deservit. Triplici parte constat: *praeparatione*, scilicet, *meditationis medio* seu corpore et *conclusione*.

Praeparatio, amplissime considerata, triplex dignoscitur: *remota, proxima* et *immediata*. Prior in habituali cura consistit evitandi peccata, atque in rerum spirituali abstractione vivendi, perfectionem inhiando; altera iam a nocte praecedente praeparat puncta me-

(1) S. BERNARDUS, loc. cit.

(2) Ante saeculum XVI vel finem saec. XV, iuxta P. Poulain, nulla efferebatur certa meditandi methodus, et nequidem hora edicta erat apud antiquos religiosos Ordines ad vacandum orationi (exceptis collationibus, lectionibus et divinis officiis), religiosi enim existimabantur indeficienter in oratione persistere (*Grâces d'oraison*, p. I, c. 2, § 5); recentius tamen inventum est iam a saec. XIV et per totum saec. XV, methodum orationis certam et determinatam fuisse adhibitam (cfr. WATRIGANT, *Quelques promoteurs de la méditation méthodique au XV siècle*, Enghien, 1919) et tempus fixum ad orationem mentalem antiquius multum esse quam methodum ipsam. Hodierna methodus ex monitis Ven. Patris Granada, S. Ignatii, S. Francisci Salesii et aliorum coaluit. Exstitere tamen semper in Ecclesia Dei spirituales magistri, qui monita ad orationem mentalem opportuna dederint; ex quibus monitis, traditione susceptis, istae methodi sunt efformatae, novaeque aliae efformari possunt, nec enim una, multo minus ut exclusiva, tenenda est methodus, *sulpiciana* dicta, ut aliqui propugnant.

ditationis faciendae in matutino, quae mentem dormientis et assurgentis praeoccupent cum congruis affectibus; tertia constat quibusdam actibus meditationem iam iam faciendam praecedentibus, scilicet: cogitare breviter momentum rei gerendae, et rite peragendi desiderium excitare; fructum ex meditatione hauriendum praeparare pro cuiusque necessitate spirituali: actum fidei de divina praesentia elicere; Dominum humiliter adorare, eamque gratiam exposcere qua tantum opus sancte perficiamus, B. Virginis atque Sanctorum interposito patrocinio.

Medium seu *corpus meditationis* incipit duobus actibus, quos S. Ignatius *prooemia* vocat, et sunt: *loci compositio* et *particularis petitio*. Prior nihil est aliud quam imaginaria repraesentatio eorum quae in subiecto meditationis magis eminent, sive humanitatis Christi Iesu, quasi oculis et auribus perceptae, uti docet nos, etc. Hoc prooemium phantasiam defigere intendit, ne per alia divagetur. Altera est praemissa petitio, non generalis, qualis facta est prius, sed particularis, fructus videlicet ex meditatione emergentis et pro cuiusque necessitate eruendi.

Subinde sequitur *exercitatio*, quae dicitur, *potentiarum : memoriae, intellectus* et *voluntatis*. Memoria exercetur in mentem revocando obiectum meditationis vel tunc perlegendo; intellectus illud evolvendo atque perpendendo, usque dum menti veritas tam alte imbibatur, ut adigat voluntatem; quae quidem tunc eliciendis affectibus, consiliis capiendis, atque fundendis precibus est exercenda. Ut intellectus rite exerceatur, perpendendae sunt rationes seu motiva propositi vitii vitandi, vel virtutis amplectendae (puta necessitas, excellentia, utilitas, vel deformitas, damnum, etc.); vel conditiones personarum in re sacra proposita intervenientium (quid dicant, quid faciant, quid patiantur, etc.); vel adiuncta percurrantur dicti vél facti super quo meditamur, iuxta notum Tullii versum: *Quis, quid, ubi, quibus auxiliis, cur, quomodo, quando;* id est, *quis* dixerit vel fecerit, cuius conditionis, dignitatis, etc., *quid* fecerit, quale, quantum... et sic de ceteris.

Evicto iam intellectu, erumpet voluntas in *affectus* (doloris, confidentiae, humilitatis, amoris, etc.), in *proposita* seu consilia vitae spiritualis perficiendae (circa virtutem magis necessariam, contra dominantes passiones), et in *orationes* seu petitiones ferventes (ad Deum, ad Virginem, ad Sanctos). His omnibus expletis super aliquo meditationis puncto, ad aliud proceditur, si tempus suppetat, et animae necessitas postulet.

Meditationis *conclusio* tria complectitur: generalem respectum ad ea quae inter meditata maioris momenti sint, sive cogitationes, sive affectus, sive proposita, quod *epilogum* constituit; fervidam *gratiarum actionem* pro collatis a Deo per orationem beneficiis, atque *petitionem* auxiliorum ad arrepta consilia perficienda, necnon subsidii propriarum et alienarum necessitatum. Quibus omnibus, ex S. Ignatio (1), *examen meditationis* potest accedere, ut admissi defectus corrigantur; cumque Divo Francisco Salesio (2) *fasciculus spiritualis* carpendus, recordatio, scilicet, praestantiorum rerum sub aliqua sententia, quae per diem eorum memoriam excitet (3).

64. Aliae methodi similes. — Aliae quoque proponuntur meditandi methodi, praeinsertae similes, a S. Ignatio in suis *Exercitiis spiritualibus* praelibatae, nempe: *sensuum interiorum applicatio*, *examen meditatum*, atque *reflexiva* seu *considerata oratio vocalis*. Pauca de singulis dicamus, aliamque demum subiiciamus methodum, *sulpicianam* dictam, quam aliqui auctores antiquissimam et a traditione susceptam arbitrantur (4).

(1) *Ejercicios espirituales*, in additione 5.

(2) *Introduction à la Vie dévote*, p. 2, c. 7.

(3) Hanc methodum eiusque praxim fusius expositam videre licet apud: Ven. Claret, *El Colegial instruido*, t. I, et *Ejercicios espirituales;* P. Genover, *Arca de salvación*; P. Latorre, *Escala del paraiso;* P. Garzón, *Meditaciones espirituales*, et V. P. Lapuente, *Meditaciones espirituales*, in introductione; P. Chaignon, *Meditations sacerd.*, etc. In aliquibus ex his auctoribus *epilogus* est brevis totius meditationis repetitio.

(4) Faber, *Growth in Holiness or Progress of Spiritual Life*, c. 15.

1° *Contemplatio per applicationem sensuum interiorum.* — Minime agitur hic de contemplatione proprie dicta, neque de sensibus corporeis, sed de exercitio in quo intellectus, maxime a phantasia adiutus, operatur, actus quinque sensuum aliquo modo imitando. Ita, v. gr., in consideranda Iesu Christi passione, intellectus applicatur quasi *videns* flagellationem, vel super humeros crucem baiulantem, *audiens* verba Iesu, *olfaciens* spiritualem fragrantiam virtutum eius vel Calvariae loci foetorem, *degustans* dolorum eius amaritudinem, aut lateris dulcedinem, *palpans* duritiem crucis, aut vulnerum suavitatem, etc. Dumque devota consideratio hisce modis exercetur, voluntas affectus congruos elicit, consilia suscipit, atque preces effundit. Similiter exerceri potest circa alios Iesu Christi et B. Virginis vitae casus, et circa novissima ipsa (1). Modus iste ad contemplationem praedisponit animum, atque verae contemplationis exercitium esse potest.

2° *Examen meditatum.* — In eo positum est, ut mandata divinae legis aut Ecclesiae, sensus quoque corporei aut animae potentiae percurrantur, perscrutando in singulis obligationem custodiendi, necessitatem, commoda et incommoda, defectus admissos, necessitatem resipiscendi, etc. Idem fere super vitiis capitalibus et virtutibus oppositis fieri potest. Haec meditandi ratio ad emendationem vitae maxime confert, estque divagationis in exercitio discursivo efficax remedium (2).

3° *Oratio vocalis meditata.* — Ad phantasia quoque potiendum perutilis est, ne per plura facile dilabatur. Hoc modo fit: assumpta qualibet oratione, *Pater*, ex. gr., *Ave Maria*, *Salve Regina*, eius verba paulatim proferuntur, aliquantulum in singulis demorando, sensus etiam perscrutando eorum quae dicuntur, atque variis affectibus animum exercendo. Possunt etiam pro quo-

(1) Conf. La Palma, *Camino espiritual*, lib. 3, c. 7; Lapuente, *Guia espiritual*, t. I; Lehodey, *Les Voies de l'Oraison mentale*, p. 2, c. 7.

(2) Consule Tronson, *Examens particuliers*, ubi horum omnium praxim reperies; Lapuente, *Medit.*, 18-29.

libet verbo vel sententia actus fidei, spei, charitatis et contritionis excitari (1). Hoc vocalis orationis exercitium si momentaneis ac velut emensis fiat intervallis, dicitur *oratio ad numerum* atque divagationi minus obnoxia videtur (2).

Huic orandi rationi similis est *Rosarii* recitatio, quae mentali orationi vocalem consociat, quaeque potest recte percurri, preces ad Christum Iesum vel ad Virginem fundendo pro natura mysteriorum, quorum consideratio notam loci compositionem prae se ferunt (3).

Praeparatio et gratiarum actio in his methodis secundariis eodem fere modo perficiuntur, ac in normali methodo sunt traditae.

4° *Methodus sulpiciana.* — Sic appellatur a Congregatione et Seminario Sancti Sulpicii Parisiensi, a quibus veluti propria colitur, ex Ioanne Iacobo Olier fundatore et moderatore suscepta. Rationem continet completam et minutatim distributam, a remota praeparatione usque ad spiritualem fasciculum conclusionis; eius tamen specifica ratio in meditationis medio consistit, quod tria puncta continet immutabilia: *adorationem*, videlicet, *communionem* et *cooperationem*. In priori parte consideratur Iesus Christus velut exemplar virtutis, aut fons veritatis vel sententiae quae consideranda proponitur, consequenter adoratur, laudatur, amatur, Eique gratulans animus, grates refert. In altera, practicum illud documentum sibi quisque applicat, enitens sibi intime suadere eius praestantiam atque in praesentiarum necessitatem, unde gratiam enixe Deum deprecatur. Tertio consilia suscipiuntur practica, opportuna et efficacia. Exstat demum conclusio, quae gratias agit, defectuum remissionem postulat etc. (4).

(1) P. Lafiguera, *Suma espiritual*, Talentos de oración.
(2) Hispanice: *Modo de orar por compás.*
(3) Ven. Claret, *El Santisimo Rosario.*
(4) Olier, *Catéchisme chrétien pour la vie intérieure*, lect. 8 (éd. Migne, *Catéchismes*, col. II); Tronson, op. cit., *Examen de l'oraison;* Faber, *Growth in Holiness, or Progress...*, loc. cit.; Letourneau, *Méthode d'oraison mentale du Séminaire de Saint-Sulpice* (Parisiis, 1903).

Adeo non arbitramur *sulpicianam* methodum methodo principali superius expositae (quae *ignatiana* subaudit) contraire, quin potius ad amussim concordari existimemus, praesertim si minuta quaedam secundaria e parisiensi eliminentur, et monita inferius apposita prae oculis habeantur.

65. Methodi qualitates. — Quum orationis mentalis methodi eo spectent, ut animae potentiae in opere tanto recte dirigantur (63), sequitur ut methodus, quae in hunc finem adoptetur virtutes consociet sanctae libertatis et spontaneitatis cum aliquali subiectione et ordine actuum internorum facultatum earumdem temperatas (1). His extremis conciliandis, sequentia monita iuvabunt: 1um, non ita se alicui methodo subiicere ut nolit omnino anima illam praetermittere, etiam cum noverit aliud sibi magis prodesse; nec tamen ita se subtrahat methodo, ut potentiae hac illacque vagentur sine lumine certo; 2um, non omnes methodi tramites vel gradus sunt percurrendi, siquando motionem animae specialem in aliquo casu impediant, vel ei adversentur; sed neque ea, quae in re vel in methodo sunt praecipua, adspernanda erunt, ut in secundariis distineamur, quale esset mere idealia aut phantastica aut sensibilia nimis persequi, nihil fere curantes intime perscrutari veritatem, animae ciere sensus, et proposita ad vitae reformationem arripere; 3um, dandus est locus inquisitioni et studio ut veritas in mentem penetret; non ita tamen ut in sola consideratione insistatur et exaggerato *intellectualismo* (2), tempore fraudato affectibus, qui debent ex consideratione efflorescere; 4um, minime turbari vel deficere propter inquirendam vel exsequendam methodum; sed in manibus Providentiae quiescere fiducialiter; 5um, ita cum Deo Sanctisque miscere colloquia ut considerationes ipsae sermocinantis morem resipiant, quasi cum Christo Iesu, cum Virgine

(1) S. Theresia, *Moradas*, I, c. 2, n. 9 et 10.
(2) S. Theresia, *Fundaciones*, c. 5.; Card. Mercier, *À mes Séminaristes*, conc. 5.

Matre, etc., interius de re conversaremur ; 6um, denique gratiam Domini exposcere, nosque totos fidei illius permittere, nihil de methodo, industria, et consiliis nostris confidentes, quae nulla sunt sine gratia Dei (1).

66. De transitu ad contemplationem. — Cuiuslibet veritatis meditatio saepius repetita, naturaliter atque tramitibus ordinariis ad illius contemplationem perducit: adeo enim assuefit intellectus inspectae veritati, ut nullo ratiocinio sit opus ut illam apprehendat, sed intuitu quodam penetrans, voluntatem impellit ad actus sibi proprios. Aliunde, si profundae meditationis psychologia intime perpendatur, liquido patet eam ad inventionem veritatis perducere, quam, simul ac invenit, intellectus intuetur admirans ; quae quidem contemplatio, licet transitoria, semel atque iterum repetita habitum induceret, qui *statum contemplativum* constitueret (2).

Verumtamen haud facile est momentum discernere quo anima ad contemplationem acquisitam pervenit, cum transitus non nisi sensim fiat, cum fluctuationibus et vicissitudine. Transitus rapiditas non ex sola Dei gratia pendet, sed etiam ex naturali personarum indole ; nec raro datur hoc phaenomenum, ut animae simplices atque pacatae, propositi tamen tenaces, contemplationis statum prius assequantur, quam impigrae quaedam, multa sapientes ; nam ipsa idearum inopia efficere potest ut omnia sub uno intuitu percipiantur, sicut Magdalene ad pedes Iesu Christi provoluta (3).

Ut sciat moderator quando debeat anima, discursiva meditatione relicta, obfirmate contemplationem amplecti, triplicem conditionem attendere debet ab insigni doctore mystico S. Ioanne a Cruce notatam (4), nempe:

(1) Conf. cit. op. Lehodey, p. 2, c. 1, § 4, et c. 3, § 3, cum ceteris supra notatis. Item : S. Theresia, *Vida*, c. 13, n. 9, etc. ; Granada, *Oración y meditación*, p. 2, c. 5, § 8 ; idem, *Compendio de la doctrina espiritual*, c. 27.

(2) Poulain, *Des grâces d'oraison*, p. I, c. 2, § 2.

(3) Poulain et Lehodey, locis citatis.

(4) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. 11.

1°, impossibilitas vel notabilis animae difficultas in methodo discursiva ; 2°, displicentia atque dedignatio de particularibus rebus agendi, maxime de iis quae oblectamento sunt ; 3°, quies atque provectus de solitudine, in qua caelestia recogitans, mens cum amore in Deo defigitur.

Cum iam certo constat animam his dispositionibus habitualiter in oratione versari, nullo modo meditationi insistere conabitur, sed ad contemplationis exercitium erit sibi procedendum ; etenim si nocet valde contemplationis exercitiis vacare, cum ad illa dispositio abest (1), pariter nocet non vacare, quoties ad illa Deus impellit (2).

67. De exercitio contemplationis. — Activae contemplationis exercitium, sive *otium contemplationis*, de quo nobis hic sermo, minime est status intellectualis inertiae aut socordis requiei, ut *quietistae* autumarunt, sed superiorum potentiarum intensa applicatio ad suum obiectum, Deum scilicet, in quo velut in centro sine violentia nec defatigatione conquiescunt. Ut ita fiat, et exercitatio illa in *sensibilismum* (vulgo, *sentimentalismo*), illusionem aut fatuitatem minime abeat, prae oculis habenda sunt monita ex ipsa rerum natura atque e magistrorum doctrina desumpta (3) de quibus postea in propria sede nobis erit agendum (193). Sufficiat nunc animadvertere, animam cum frui contemplatione primum incipit, methodum eius meditationis similem sequi oportere, in illis omnibus quae paci et quieti animae ipsius non adversantur, et semper laborem nimium ad actus varios producendos vitandum, sicut et oppositionem spirituali gustui vel motioni, quae forte experiatur, hasque motiones fovendas esse et firmandas.

(1) S. Theresia, *Vida*, c. 12.

(2) S. Ioannes a Cruce, *Subida...*, prooemium, et lib. 2, c. 13.

(3) S. Ioannes a Cruce, *Noche oscura*, l. I, c. 10, et *Llama de amor viva*, c. 3, vers. 3 ; Poulain, loc. cit., § 4 ; Lehodey, loc. cit., § 5, etc. Cum de his agemus in via unitiva Asceticae, notiones horum et documenta complebimus, contemplationisque acquisitae exsistentiam, quam, sine fundamento, aliqui scriptores negant, astruemus.

68. Impedimenta atque difficultates. — Dubium non est, cuiusque experientia teste, quin in viis orationis frequentia diversaque occurrant impedimenta, quae, licet multa sint, ad tria capita reducuntur: *inquietudines*, *distractiones*, et *ariditates*. Earum generale remedium in eo est, ut causa dignoscatur, pro viribus removeatur, atque positivis actibus pravi eius effectus impediantur. Ad causas et remedia particularia veniamus.

1° *Inquietudines.* — Inquietudo sive animi perturbatio orationem impedit, pacem enim abigit, ad colloquendum cum Domino necessariam, qui Deus est pacis. *Factus est in pace locus eius*, ait Psaltes (Ps. LXXV, 3). Huius inquietudinis causas notavit Div. Bernardus, edocens impedimenta orationis haec esse: *culpa mordens*, *sensus concupiscens*, *sollicitudo pungens, et cogitationum turba phantasiam inutiliter occupans* (1). His causis accedere possunt scrupuli, et anxia cura attendendi, vel tentationibus resistendi vel divinam consolationem quaerendi. Remedium est in resipiscentia peccatorum, atque in paternae providentiae Dei fiducia, nihil aliud tunc temporis curando donec quietetur animus; nec debet actibus perturbari reflexis super iis quae cogitat, volens de singulis sibi ipsi rationem reddere, seque conscium facere. *Vade, crede te Deo, et nil aliud cogita*, dictitabat S. Philippus Nerius (2).

2° *Distractiones.* — Phantasiae divagatio impedit saepe intentionem intellectus ad meditationis propositum, radicitus succidens exercitium istud. Proveniunt distractiones vel ab imaginationis acritudine aut fatigatione, vel ex defectu abstractionis et solitudinis per diem, vel ex diabolica tentatione, vel tandem ex supra notatis anxietatibus et curis. Iis remedium affertur si modus ille orandi seligatur qui uniuscuiusque spiritui congruentior appareat, atque fiat meditatio coram

(1) Ex S. Bernardo colligit LA PUENTE, *Meditaciones*, p. 5, med. 33, puncto 2.

(2) CRISPINO, *La scuola del gran Maestro di spirito S. Filippo Neri*, lec. 9.

SS. Sacramento vel coram imagine, quae devotionem excitet. Non parvi conferet etiam corporis habitudo, intimus ad Deum clamor, propositum attentionis ab incepta oratione renovare, exercitium interdiu praesentiae Dei, rerum et agendorum ordinatio, etc. (131).

3° *Ariditates.* — Luminis atque consolationis subtractio arduam reddit orationem, atque discrimen tam salubris exercitii deserendi facit. Ariditatis causae possunt esse : inopia idearum religiosaeve institutionis, tepor spiritus, infirma valetudo aut corporis difficultas, abusus consolationum divinarum, quibus ante fortasse repugnatum sit, atque probatio, cui Deus animum subiicit (17). Remedia sunt : contra duas priores causas lectio spiritualis, et animae puritas ; contra ceteras, actus humilitatis, patientiae et conformitatis ; contra omnes, animo non deficere, nihilque temporis orationi fraudare. Orandum est tunc cum Iesu Christo in Horto : *Pater, si possibile est, transfer a me calicem istum ; sed non mea voluntas sed tua fiat* (1).

69. Praxis. — Vere practica sunt quae praemisimus ; adiiciamus tamen documenta usum et praxim meditationis activaeque contemplationis spectantia, quae ex doctrina prius exposita sponte fluunt : 1°, persona quaelibet devotionis cupida debet aliquid temporis singulis diebus iis exercitiis impendere sub quavis forma ; 2°, dimidiam saltem horam eis tribuat, et quidem magis quietam, praesertim in matutino ; 3°, corporis habitudinem servet reverentem, nec mollem nimis, nec admodum incommodam ; 4°, materiam assumat animi statui propriorem, quin seriem in libro expositam serviliter prosequatur ; 5°, suum quisque nosse

(1) Ad praedicta impedimenta et eorum remedia uberius explananda, conferantur : P. Alphonsus, Ord. Carm., *Práctica de la oración mental*, lib. 3 ; Lehodey, *Les Voies de L' Oraison mentale*, p. 1, c. 5 ; P. Faber, *Progress*, c. 15 ; S. A. de Liguori, *Pratica di amare Gesù Cristo*, c. 17 ; P. Rodriguez, *Ejercicio de perfección*, tom. I, tr. 5, c. 19 et 21, etc. Notetur nos hic de ariditate tamquam de impedimento meditationis agere ; sed conferatur infra (142) quod de hac ipsa ariditate, prout est generale medium purgationis animarum, disserimus.

studeat talentum orationis, et methodum magis aptam, cui firmiter constanterque adhaereat, quoad possit; 6°, vitam meditationis a lectionibus spiritualibus incipiat, quae lente fiant et considerate; 7°, ne dulcedo aut consolationes requirantur; emissas tamen a Domino non reiiciat, sed humiliter suscipiat, eisque ad serviendum strenue et fideliter Deo suo utatur; 8°, si meditari difficile sibi evadat, sanctis colloquiis simplicibusque cum Deo sermocinationibus mentem distineat, quibus proprias aerumnas aperiat, aut contemplationibus vacet, si forte invitetur a Domino; 9°, hunc, tandem, fructum ex illis exercitiis adlaboret percipere, ut animus convincatur, Dei famulatum impigre teneat, perfectiorem in dies vitam instituat, mores in melius instauret; sibique persuadeat omnia devotionis exercitia meram esse illusionem, si hoc non assequatur, atque ex illis firmiora proficiscendi in virtutibus non susceperit consilia, aliquod vero particulare, quod accuratius eo die perficiat (1). Haec proposita atque illustrationes in aliquo codicillo adnotentur, sicut inferius admonetur (96).

§ 7. — De praesentia Dei.

70. Huius exercitii notio. — Exercitium praesentiae Dei in frequentioribus intellectus et voluntatis actibus consistit, quibus animus se coram Deo habitualiter sistit, ipsum diligens atque inhians. A meditatione et contemplatione eo differt, quod actus breviores sunt, ac momentanei etiam esse possunt.

Actus intellectus in hoc exercitio quaedam est quasi perbrevis contemplatio vel intuitus in Deum aut Christum Iesum; actus vero voluntatis, priorem concomi-

(1) Conf. S. Theresia, *Camino de perfección*, c. 17 et 18. Praeter auctores per totum hunc paragraphum adnotatos, utiliter consulendi sunt: Granada, *Oración y meditación;* Lapuente, *Vida del P. Baltasar Alvarez*, c. 41 et 42; S. Alphonsus, *La vera Sposa di Gesù Cristo o sia la Monaca Santa*, per totum; Molina, *Oración mental;* Meynard, *La Vie spirituelle*, p. I, l. 2; Nepeu, *Práctica de la oración mental*, etc.

tans, in modum adspirationis seu iaculatoriae mentis aut vocis elicitur, vel in solo dilectionis et reverentiae actu consistit. Haec autem desideria atque anhelitus apud mysticos *actus anagogici* vocantur (1).

71. Eius praestantia. — Eius praestantia ad assequendam perfectionem ostenditur:

1°, *ex commendatione* facta in Scripturis Sacris; ait enim Sapiens: *In omnibus viis tuis cogita illum* (*Dominum*) *et ipse diriget gressus tuos* (Prov. III, 6); tale commendat Abrahae patriarchae Dominus ipse, dicens: *Ambula coram me et esto perfectus* (Gen. XVII, 1); atque Tobias filio suo: *Omnibus diebus vitae tuae in mente habeto Deum* (Tob. IV, 6); 2°, eo quod utriusque Testamenti sanctis hominibus velut excellens sanctificationis medium *in usu fuerit*, testante David: *Providebam Dominum in conspectu meo semper* (Ps. XV, 8), atque prophetis: *Vivit Dominus Deus Israël, in cuius conspectu sto* (III Reg. XVII, 1); quam rationem illi tenebant (Gen. XLVIII, 15) atque tenuerunt Sancti in Ecclesia Dei, ut constat in vitis eorum; 3°, *ex eius efficacia* ad vitanda peccata et tentationes propulsandas, iuxta illud verbum Iob: *Nonne ipse considerat vias meas, et cunctos gressus meos dinumerat?* (XXXI, 4), cui et sententia S. Hieronymi accedit, dicentis: *Memoria Dei excludit cuncta flagitia* (2); contra ac evenit obliviscentibus Deum: *Non est Deus in conspectu eius: inquinatae sunt viae illius in omni tempore* (Ps. IX, 25); 4°, eo quod animum *ad meditationem instruit*, cum illius sit proxima atque remota praeparatio; imo verum spiritum orationis creat in nobis, et eius commoda percipit; 5°, animam *ad contemplationem ipsam* evehit (3) et intimam unionem cum Deo (4), in qua christiana perfectio terminatur; 6°, quia *cuncta*, demum, *pia exer-*

(1) Card. Bona, *Via compendii ad Deum per motus anagogicos*, c. 1.
(2) *Super Ezech.*, l. 3, c. 22.
(3) Bona, *Via compendii...*, c. 9.
4) S. Alphonsus, *La vera Sposa di Gesù Cristo...*, c. 16, § 3.

vitia supplet, ipsum vero nullo alio substituitur, iuxta Div. Franciscum Salesium (1).

Praefatis emolumentis ea omnia possunt accrescere, quae desiderio perfectionis (39) necnon orationis exercitio adscribuntur (50), quippe quae in isto contineantur, id etiam moderantibus commodum praestans, ut eo possint dignoscere gradum provectus in anima, prout in citatis locis adnotatur (38).

72. Huius exercitii modi. — Hoc exercitium praesentiae Dei, licet substantialiter unum, varias induit formas, pro vario modo quo animae illud concipiunt, vel pro facilitate quo ipsum in praxim deducunt. Triplex ratio sive forma communiter dignoscitur a mystica Doctrice proposita (2), et ab aliis asceticis auctoribus (3) commendata, scilicet:

1° *Per modum fidei:* Deum inspiciendo velut spiritum purissimum, praesentissimum omnibus quae geruntur, nullo de eo phantasmate confecto, prout Psaltes intuebatur: *Si ascendero in caelum, tu illic es, si descendero in infernum, ades* (Ps. CXXXVIII, 7); vel se ipsum considerando divina substantia circumfusum, quae omnia replet, nos vivificans atque conservans, iuxta illud Apostoli: *In ipso vivimus, movemur et sumus* (Act. XVII, 28), testante quoque Domino per prophetas: *Numquid non caelum et terram ego impleo, dicit Dominus?* (Ierem. XXIII, 24). Quumque illum sic nos intuentem consideramus, insimul et nos eum intuemur atque diligimus.

2° *Per modum repraesentationis:* cum Dominum Iesum iuxta nos effingimus vel coram nobis in aliquo vitae suae eventu, aut nos eum comitantes vel ad crucem eius adstantes: id autem non descripte nimis, ne phantasia fatigetur, sed affectibus potius quam

(1) *Introduction à la Vie dévote*, p. 2, c. 13.
(2) *Camino de perfección*, c. 26 et 28.
(3) Sales, *Introduction à la Vie dévote*, p. 2, c. 2; Morotio, *Cursus vitae spiritualis*, p. 3, c. 1, § 2; S. Alphonsus, loc. cit.; P. Rodríguez, *Ejercicio de perfección*, p. I, tract. 6; Murillo (Fr. Didacus), *Escala espiritual*, p. 3, c. 13-15.

cogitationibus mentis intenti, uti Magdalene ad pedes Praeceptoris caelestis : *Magister adest, et vocat te* (Ioan. XI, 28).

3° *Per modum recollectionis:* Deum vel Iesum-Christum in interiori cordis hospitio contemplantes, ubi tributa adorationis et amoris persolvimus, iuxta iteratam Apostoli doctrinam: *Christum habitare per fidem in cordibus vestris* (Ephes. III, 17); *Nescitis quia templum Dei estis?* (Cor. III, 16). Haec cellula erat S. Catharinae Senensis et deliciae Sanctorum. Stultum est foras quaerere Deum, qui praesentissimus inest (1).

73. Praxis. — Istud perfectionis medium quo facilius evadat simulque utilius in praxi, sequentia monita serventur, ex praecedenti doctrina laudatisque auctoribus excerpta: 1° prior modus erit praeferendus, nisi anima satis virtutibus profecerit, vel alius modus facilior sibi succedat; 2° semper voluntati potiores quam intellectui partes adscribantur; docente, enim, inclita Theresia (2) « non est profectus in multis cogitationibus, sed in dilectione plurima »; 3° aliqua tempora designentur et horae, quibus exercitium innovetur, sonitus v. gr. horologii, principium operum, quae tunc Deo offerantur; 4° officiis incumbens vel orationibus aliquam prae oculis imaginem habeat, quae devotos excitet affectus; 5° quum aliquod beneficium accipiat, vel contrarietatem subeat meminerit ad Deum grato animo referre; 6° Dei sapientiam, bonitatem, providentiam omnibus in rebus, etiam minimis, assuescat intueri, lucis praesertim, aquae, florum, camporum, firmamenti adspectu recreatus, uti mos fuit S. Francisco Assisiensi, S. Theresiae, aliisque compluribus; 7° semper denique adlaboret mens devota in iis exercitiis progredi, donec liceat cum Propheta Rege exclamare: *Oculi mei semper ad Dominum* (Ps. XXIV, 15).

Animus fervidus monitis et incitamentis raro erit acuendus; si tamen exercitationum istarum fuerit

(1) S. THOMAS, *Opusc.* 63, c. 3.
(2) *Fundaciones,* cap. 5, n. 2.

oblitus, atque, etiam moderatore sibi admonente, parvi duxerit, et agendi rationem non immutaverit, tepidum se, atque suae perfectionis desiderio omnino destitutum ostendet (**40** et **41**).

§ 8. — De sacramentali confessione.

74. Huius medii ratio. — Non agitur hic de sacramento Poenitentiae tamquam medio ad peccatorum gravium remissionem obtinendam, neque de conditionibus ad validam confessionem requisitis, aut de praecepto quo tenentur christifideles hoc sacramentum suscipere; haec enim omnia ad theologos morales pertinent. Ascetici et mystici refert in sacramentali confessione medium ad animarum perfectionem considerare, quo quidem adspectu nunc perpendemus.

Confessio dicitur *frequens* si octavo quoque vel etiam quinto decimo quoque die peragatur; dicitur *generalis*, si totius vitae sit, vel notabilis partis eius, iteratis etiam partialibus confessionibus. Cumque differant inter se munera confessarii et moderatoris, sic differt a directione confessio, quamvis practice consocientur.

75. Huius medii praestantia. — Frequens confessio maximi momenti est ad christianam perfectionem, nam: 1° *mentem purificat* per susceptam sacramentalem gratiam, necnon per actus doloris et propositi, in quos poenitens erumpit; 2° *eam roborat*, relapsusque praevenit, in quod proposita ipsa, proprii periculi experientia et monita confessarii conspirant; 3° *superbiam frangit* et animo medetur, illum ad nova beneficia disponens. *Est enim confusio adducens gloriam et gratiam* (Eccli. IV, 25); 4° *pacem adauget* animosque, de remissione magis securam reddens animam, recreatam verbo Domini Iesu: *Vade in pace* (Marc. V, 34); 5° *spiritus directionem expeditiorem* reddit, cum abscondita cordis et vulnera confidentius et sponte aperiantur.

76. Eius conditiones. — Ut haec emolumenta adferat confessio, oportet ut sit: 1° *dolens* et *humilis*, nec

enim instituitur ad enumerandas virtutes, sed ad peccatorum manifestationem atque resipiscentiam; *cor* autem *contritum et humiliatum non despicit Dominus* (Ps. L, 18); 2° *sincera* et absque excusatione, recondita cordis aperiendo, quasi res alius ageretur; *non in verbo malitiae ad excusandas excusationes in peccatis* (Ps. CXL, 4); 3° *sine ambagibus simplex,* superfluas narrationes, temporisque iacturam devitando, nec enim eo adferenda sunt, quae ad conscientiae forum non pertinent mulierciarum more, quas improbat Paulus: *non solum otiosae sed et verbosae, et curiosae, loquentes quae non oportet* (I Tim. v, 13).

77. Praxis. — Quod ad confessionis frequentiam attinet, haec apud prudentiores moderatores commendantur et tenentur communiter: 1° semel in hebdomada fiat, aut bis, si causa rationabilis exsistat; quamvis non defuerint sancti qui quotidie ad confessarium accesserint (S. Catharina Senensis, inter alios, S. Ignatius, S. Franciscus de Borgia, S. Carolus Borromaeus); 2° si materia desit confessioni certa et necessaria, aliquod peccatum anteactae vitae confiteatur; 3° totius vitae confessio generalis non iteretur, si quando recte iam fuerit instituta, sed annua tantummodo, vel paulo latior, quando status capessendus fuerit; 4° spiritus interioris compunctionis curandus est, qui vitam totam informare debet (1); non autem illam exteriorem formam generalium confessionum innecessariarum; 5° in consuetis confessionibus, conscientiae discussio et accusatio ne longius protrahantur, sed more communi deposito, doloris atque propositi sit cura potissima, quin tamen velimus dolorem sensibilem violenter emulgere (2).

(1) S. THOM., *Summa Theol.*, p. III, q. LXXXIV, a. 8.

(2) *Summa Theol.*, Suppl., q. III, a. 1. Super confessione, citata opera conferantur S. Francisci Salesii, S. Alphonsi, Scaramelli, Ven. Claret, etc.

§ 9. — Examen conscientiae.

78. Notio atque divisio. — Conscientiae discussio dici potest, atque revera est, *spiritualis confessio:* ideo post sacramentalem confessionem, quasi proprio loco, pertractanda venit. Iam vero, examen conscientiae est inquisitio atque discussio cogitationum, verborum, operum atque omissionum vitae nostrae communis, ut defectus illapsos emendemus.

Dividitur in *generale* et *particulare:* hoc in re singulari versatur, illud totam agendi rationem nostram respicit. Utrumque eosdem actus amplectitur, quos in sacramentali confessione poenitens peragit, excepta peccatorum vocali coram confessore accusatione (1).

79. Examinis partes. — *Examen generale* quinque partes continet, nempe: 1° Deo grates rependere de beneficiis illa die acceptis; 2° lumen exposcere ad dignoscenda peccata, et gratiam poenitendi atque emendandi; 3° rationem sibi ipsi reddere, cogitationes, verba et opera per horas illius diei perscrutando; 4° defectuum intime poenitere; 5° emendationem proponere et aliquam sibi poenam iniungere (2).

Examen particulare tria tempora amplectitur: 1° in matutina oratione statuere aliquem particularem defectum diligenter corrigendum; 2° meridie conscientiam super hoc excutere, ea exsequendo, quoad tempus matutinum, quae supra de examine generali sunt proposita; 3° idipsum nocte peragere super tempore vespertino. Quibus haec tria adiunguntur facienda: 1) manum per diem pectori secretim admovere, quoties in culpam aliquam incurrerimus, statimque poenitere; 2) post examen in chartula vel codicillo aliquo punctis aut lineis commissos defectus adnotare; 3) numerum eorum in nocte cum defectibus matutinis conferre, unius diei

(1) Vid. Kempis, *De imitatione Christi*, lib. 4, c. 7.
(2) S. Ignatius, *Ejercicios espirituales.*

cum anteacti, praesentis hebdomadae cum praeteritae lapsibus computare, ut emendationem aut retrocessum cognoscere liceat (1).

80. Huius exercitationis praestantia. — Ascetae omnes et mystici clari nominis fatentur maximam examinis praestantiam, quam non iusti modo utriusque Testamenti confirmant, sed philosophi etiam illustriores antiquitatis (2). Rex Propheta David ita fecisse testatur: *Et exercitabar et scopebam spiritum meum* (Ps. LXXVI, 6); id ipsum Ieremias commendabat iudaeis: *Scrutemur vias nostras* (Thren. III, 40); atque Dominus noster Iesus Christus eos damnabat qui, aliorum defectus aestimantes, suorum obliviscebantur: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui; et trabem in oculo tuo non vides?* (Matth. VII, 3, 5). Non itaque mirandum si praxis ista in regulis omnium Institutorum religiosorum consignetur, et a S. Ignatio ita magni ducatur, ut eam orationi ipsi aequiparet, in utroque exercitio summam mediorum constituens, quae maxime perfectionem promovent (3).

Haec sane praestantia e fructibus dignoscitur quos secum affert exercitium istud, scilicet: 1° medium efficax est ad quemlibet defectum evellendum (4) virtutesque animo inserendas; 2° illius unius opera propria cognitio acquiritur, in via spiritus tam necessaria, atque progressus vel retrogressus patefiunt, quasi in rerum animae supputatione (5); 3° defectus praeveniuntur atque appetituum effrenatio castigatur velut

(1) S. Ignatius, ibid. Conferantur item: Rodriguez, *Ejercicio de perfección*, t. 1, tr. 7; La Palma, *Tratado del examen*; Gutiérrez, *Manual de los ejercicios espirituales*, c. 10 et 11; Bellecio, *Medulla asceseos, seu Exercitia spiritualia S. Ignatii*, d. 2; Ven. P. Claret, *El colegial instruido*, p. 1, sec. 2, c. 20; Tronson, *Examens particuliers sur divers sujets*. — Cum in hoc opere de vitiis atque virtutibus agemus, puncta quaedam exponentur, quae huic conscientiae discussioni inservient.

(2) Larumbe, *El seminarista santo, sabio y cortés*, t. 2, c. 7; Rodríguez, etc.

(3) P. Gutiérrez, op. cit., c. 1, n. 5.

(4) B. Avila, *Audi Filia*, c. 62.

(5) S. Ioannes Chrysostomus, *Serm. de poenitentia.*

spirituali hortus mystici putatione [1]; 4° districtum Dei iudicium praeoccupat, dicente Apostolo: *Si nosmetipsos diiudicaremus, non utique iudicaremur* (I Cor. XI, 31); 5° denique animi puritatem affert, secumque pacem verumque gaudium, ut tenet Doctor Angelicus [2].

Super haec commoda *examen generale quotidianum* consequentia, additur *particulari* maior in exstirpandis defectibus, et virtutibus accrescendis efficientia, eo ipso quod animi vires in unum obiectum ferantur, et arcis interioris pars debilior roboretur, tuncque fit quod Dominus populo suo de inimicis nuntiavit: *Consumet nationes has in conspectu tuo paulatim atque per partes. Non poteris eas delere pariter* (Deut. VII, 22). Ita docent antiqui anachoretae [3] hodiernique scriptores [4].

81. Praxis. — Bene sibi conscius animus nihil alia media spirituali progressui profutura, nisi istud comitetur, curabit illud nullo die missum facere, sequentia monita servans: 1° in nocte *generaliter* conscientiam discutiat, officia sua in Deum, in seipsum et proximos expendens; 2° bis in die vacet examini particulari de vitio aliquo vitando, vel acquirenda virtute sibi magis necessaria, ea servans tempora et puncta quae superius sunt notata; 3° studeat defectuum radices et causas perscrutari; 4° de firmitate propositi satagat ante omnia, ex eius enim infirmitate eveniunt iterati prolapsus [5]; 5° si tamen in eadem peccata recidat, ne deficiat animo, sed in Domino confidat seque humiliet in conspectu eius [6].

In examine *particulari* haec etiam monita teneantur: 1° examinis materia bene praefiniatur, gradatim procedendo, atque per partes, et quidem parvas; 2° maiori spiritus necessitati aptetur atque in primis contra maiores defectus dirigatur, eos maxime, qui proximis

(1) S. Bernardus, *Serm. 52 in Cant.*
(2) *Opusc.* 64; Vallgornera, *Mystica Theol. D. Thomae*, t. 2, app. 6.
(3) Cassianus, *Collat.* 5.
(4) In cit. operibus.
(5) Kempis, *De imitatione Christi*, l. 1, c. 19.
(6) Lafiguera, *Suma espiritual.*

scandalum pariant, audito moderatoris consilio ; 3° si inter habituales defectus nullus emineat, poterit tunc, ab animis praesertim inquietis, tentari methodus quaedam *circularis*, ut scilicet primum mensem contra unum defectum dimicetur, secundum contra alium, tertium contra alium, idemque circulus iterum suscipiatur, quasi qui latera aedificii per gyrum pariter attollere conetur, quod quidem animum aptius sine fatigatione distinet (1) ; 4° examen super una eademque re (vel rerum *circulo*) ne deseratur donec vitium ita sit profligatum, aut virtus stabilita, ut in nullis fere super ea re offendamus (2) ; 5° moderatori reddenda ratio de fidelitate in examine exsequendo, quo fiet ut non facile negligatur aut deseratur hoc perfectionis medium.

§ 10. — De frequenti Communione.

82. Huius medii notio. — Communionem *frequentem*, iuxta hodiernam praxim Ecclesiae, dicimus realem participationem Corporis Domini nostri Iesu Christi ab eo qui rationis usum attigerit ad animi sanctificationem, si pluries in hebdomada fiat habitualiter (3). Si fiat singulis diebus, aut quinquies saltem in hebdomada, dicitur *quotidiana*. Si non vere et corporaliter suscipiatur, sed solo actuali desiderio, communio dicitur *spiritualis*.

83. Eius praestantia. — Praeter altissimam SS. Sacramenti excellentiam ac dignitatem, praeterque honorem incomprehensibilem quo dignantur suscipientes, ineffabilia ad vitam spiritualem commoda praestat sacra Communio, testimonio Sacrae Scripturae, Doctorum atque experientiae quotidianae confirmata.

Haec Communionis beneficia, ex doctrina S. Tho-

(1) Vid. Saudreau, *Les degrès de la Vie spirituelle*, t. 1, l. 3, p. 2, c. 4.
(2) Rodríguez, op. cit., tr. 7, c. 6.
(3) S. Alphonsus, *Sulla materia della Comunione frequente.*

mae [1] et Catechismi Romani Pii V Pontificis [2], haec sunt praecipua : 1° vitam spiritualem nutrit et roborat per collatam gratiam, uti verus animae cibus : *Caro mea vere est cibus* (Ioan. VI, 56) ; 2° *antidotus* est qua liberamur a peccatis quotidianis et a mortalibus praeservamur, iuxta Tridentinae Synodi verbum [3] ; 3° inordinatos animi *motus reprimit,* sedatque quod theologi *fomitem peccati* vocant, pravas scilicet inclinationes, teste quoque S. Cyrillo Alexandrino : « Sedat enim saevientem membrorum nostrorum legem, pietatem corroborat, perturbationes animi exstinguit » [4]; 4° nos *Christo per amorem coniungit*, iuxta illud Salvatoris : *In me manet, et ego in illo* (Ioan. VI, 57); unde Eucharistia dicitur a S. Thoma *Sacramentum amoris* [5] ; 5° denique animum *dulcedine* et *consolationibus replet*, eo quod praelibatio sit atque pignus felicitatis aeternae, ut canit Ecclesia : *O sacrum convivium, in quo ... futurae gloriae nobis pignus datur !,* quod et affirmat Christus Iesus : *Habet vitam aeternam* (Ioan. VI, 55).

Quod si tanti tamque uberrimi fructus ab una tantum Communione proveniunt, quid non efficiat frequens Communio ? quid non quotidiana ? Vere igitur est cur tantopere istud sanctificationis medium fidelibus commendemus, votis Pii Papae X obsecundantes iuxta hodiernam Ecclesiae disciplinam [6], aetatis apostolicae (Act. II, 42 et 46) et christifidelium in prioribus saeculis praxi maxime consonam [7]. Nunc temporis

(1) S. THOM., *Opusc.* 57 (vid. lect. 2 noct. in Off. Corporis Christi) et *Summa Theol.*, III, q. LXXIX et LXXX.

(2) Parte 2, c. 4, nn. 47-54.

(3) Sess. XIII, c. 2.

(4) *Lib. 4 in Ioan.*, c. 17 (vid. lect. III nocturni in Oct. Corp. Christi, Brev. Rom.).

(5) *Opusc.* 38, c. 25.

(6) Decretum *Sacra Tridentina*, S. Congr. C., 20 Decembris 1905. — Hanc praestantiam commendat quoque Mater Ecclesia permultis adaugens indulgentiis et gratiis in frequentanda communione pietatem. Conf. opusculum nostrum *Tesoro de indulgencias*, ubi videre est facilitatem eas lucrandi per Communionem frequentem.

(7) BONA, *Rerum liturg.*, l. 2, c. 17, n. 2.

vere conveniunt verba Augustini ad populum alloquentis : « Eucharistia est quotidianus cibus. Norunt enim fideles quid accipiant, et bonum est eis accipere panem quotidianum, huic tempori necessarium » (1). Atque ad parvulos verba faciens, qui, suscepto modo Baptismate, ad sacram synaxim erant accessuri : « Debetis, inquit, scire quid accepistis, quid accepturi estis, quid *quotidie accipere debeatis* » (2). Saeculo VII magnus Isidorus noster quotidianae Communionis praxim adhuc probat (3) ; unde nullo negotio deducimus eam tunc temporis plus minusve in moribus fuisse fidelium.

84. Conditiones. — Ut quis licite et fructuose sacram Communionem etiam quotidie valeat suscipere, supposita gratia et (nisi in casibus) naturali ieiunio, sufficit ut cum recta intentione accedat, sciens quid accipere intendat (4). Ut autem magis in via perfectionis proficiatur, uberioresque gratiae ex communione proveniant, requiritur: 1° confessarii consilium, qui veniam denegare non debet, si praefatae dispositiones adsint; 2° adaequata praeparatio (per actus fidei, humilitatis, spei, charitatis, desiderii) ; 3° gratiarum actio fervida, cum supplicationibus, atque propositis in posterum; etenim hora Communionis aptissimum tempus est rem nostram cum Deo agendi, et gratias impetrandi, iuxta S. Theresiam (5) et pios scriptores (6).

(1) *Serm.* 58, n. 4 (edit. Migne, alias homil. 42).

(2) *Serm.* 227, n. 1 (edit. Migne, alias sermo 83 *de diversis*). Ex iis aliisque locis S. Augustini explicitis aeque ac authenticis evincitur falso Divo Doctori adscribi sententiam illam « quotidianam Communionem nec laudo nec reprobo ». Et re sane vera, constant haec verba in libro *De ecclesiasticis dogmatibus*, cap. 23 (alias 53), quem hodierni critici Gennadio attribuunt, Massiliensi presbytero, qui decedente saeculo V scripserat.

(3) *De Ecclesiasticis officiis*, l. 1, c. 18.

(4) Decretum S. C. C. superius citatum.

(5) *Camino de perfección*, c. 34, n. 8.

(6) S. Alphonsus, *La vera Sposa di Gesù C.*, c. 18, § 3, ubi solvuntur rationes, quae obiiciuntur, quod praestantius effert *La Comunión frecuente* P. Tordelespar, C. M. F.

85. De Communione spirituali. — Quoniam semel tantum in die licet ad sacramentalem Communionem accedere, mos est devotis per *communionem spiritualem* suis votis semper et ubique Christum in sacramento suscipiendi satisfacere. Communio haec tribus constat actibus successivis, qui breviter vel moratim pro animi opportunitate eliciuntur ; sunt autem : 1° actus fidei de reali praesentia Iesu Christi in Eucharistia ; 2° actus amoris in ipsum ; 3° actus desiderii tunc sacramentaliter suscipiendi, si fieri posset. Hoc exercitium inter Sacrum audiendum, atque in stationibus ad SS. Sacramentum praecipue commendatur [1].

86. Praxis. — His perspectis, debet anima devota, si vere talis esse desiderat, quotidie ad Christum sacramentaliter accedere, si gravia munia vel magni momenti difficultates non impediant ; ut vero Communio sit quam maxime salutaris, haec monita observentur : 1° ante Communionem dimidiam horae partem meditationi ac praeparationi incumbat, dimidiam (vel horae quadrantem ut minimum) gratiarum actioni se dedat ; 2° haec meditationis puncta tunc temporis ruminentur : quis veniet (vel iam venit), ad quem, quo proposito, etc...., et officia recogitet Christi Iesu erga nos, Patris, scilicet, Magistri, Medici, Amici, Pastoris, Regis, etc. [2] quamque sibi opus sit ut animae suae illis officiis opituletur ; 3° per diem tanti beneficii memoriam excitet et spiritualibus communionibus mentem accendat, v. gr. ad sonitum horarum ; 4° si in ipsa communicatione Corporis Christi animus divagaverit, mentis sensus excitet piorum librorum lectione, necnon actibus fidei, spei, et charitatis ; 5° a gratiarum actione numquam recedat anima devota quin prius propositum renovet Divinae Maiestati fidelius inserviendi, proque amore eius se ipsam vincendi ; 6° quoad

[1] S. Theresia, *Camino de perfección*, c. 35, n. 1, et plurimi libri pietatis.

[2] Vid. P. Lercari, *Mensis Eucharisticus;* S. Alphonsus, op. cit.; La Puente, *La perfección del cristiano*, t. 2, et *Meditaciones*, p. 5, med. 40; Genover, *Arca de salvación*, serie 3, n. 12, et alios.

ceteros, apud omnes satagat quotidianam Communionem fovere, etiam apud pueros iam rationis compotes ; arceat illos, e contra, qui solis humanis respectibus vel vanitate, aut more acti, vel absque recta intentione praesumant accedere.

87. Similia exercitia. — Cum Communione intime connectuntur Sacri auditio, visitatio SS. Sacramenti, quam persona quaelibet mediocriter imbuta pietate quotidie non praetermittet, nisi gravi impedimento praepediatur, itemque fervida devotio erga Cor Iesu Sacratissimum.

De Missae Sacrificio iuvat cum S. Francisco Salesio asserere: «Sol est spiritualium exercitiorum, christianae Religionis centrum, anima devotionis, vita pietatis, mysterium ineffabile, abyssum continens divinae charitatis» (1). Ut devote atque fructuose audiatur, liber aliquis devotus eligatur ex iis quibus christifideles communiter utuntur, ab Ecclesia probatis ; recolatur maxime memoria Passionis Iesu Christi (2) quae praeparatio erit aptissima ad quotidianam Communionem.

SS. Sacramenti visitatio vespere fieri solet, in qua Communio etiam spiritualis paulo latius habetur. Praxis ista secum affert propositorum totiusque spiritus renovationem, quibus in matutinis exercitiis animus informatus est.

Devotio erga Sacratissimum Cor Iesu quasi substantia esse potest exercitationum, quas in hoc paragrapho percurrimus, quae quidem ex illa facilitatem illecebrasque et dulcedinem mutuabuntur, omnesque simul populum sanctificabunt atque in eo verum spiritum Christi praemunient (3).

(1) *Introduction à la Vie dévote*, p. 2, c. 14.

(2) Ven. P. Claret, *Camino recto y seguro* et *El Colegial instruído*, etc. Ista methodus, una cum significatione sacrarum vestium et caeremoniarum, cum Passione Domini collata, a saeculo iam XIII originem trahit, atque iam tunc familiaris evasit populo christiano, cui quidem admodum profuit. Cfr. I. Braun, S. I., *Die liturgische Gewandung im Occident und Orient.*

(3) Super iis opera consulantur Ramière, Gautrelet, Franco, Arnoldo, Sauvé, etc.

§ 11. — De devotione in Beatissimam Virginem et Sanctos.

88. Huius medii notio. — In devotione erga B. Virginem et Sanctos non hic consideramus cultum ipsis exhibendum, sed instrumentum acquirendae perfectionis attendimus: eius studium sub primo adspectu ad theologos dogmaticos pertinet, sub altero autem ascetarum refert atque mysticorum. Sed quoniam devotioni erga Sanctos longe supereminet devotio in B. Virginem, tota huius paragraphi tractatio ad Eam maxime spectat. Agimus igitur de christiana perfectione obtinenda, ad hoc amorem Virginis, obsequia, frequentem ad eam recursum uti medium aptissimum usurpantes.

89. Eius praestantia. — Triplici argumento huius medii praestantia commendatur: 1° Marialis patrocinii universitate et efficacia; 2° eius devotionis cultusque virtute ad animos instituendos; 3° Sanctorum exemplo, et constanti experientia.

1° *Marialis patrocinii universitas et efficacia* in praecelsa. et quodammodo infinita dignitate (1) divinae Maternitatis innituntur. Et certe, tam altissimae dignitati, omnium creaturarum dignitatem longe supergredienti, is gratiarum cumulus, privilegiorum atque virtutum respondet ut etiam omnibus angelis simul et sanctis praestantiorem fateamur (2). Quum autem Mater sit Christi Iesu, et nostrum omnium Mater esse debet, quos Iesus fratres appellare non est dedignatus (Hebr. c. II, 11), qui etiam e cruce pendens eam nobis in Matrem donavit (Ioan. XIX, 27). Itaque et *potest* nobis in omnibus opitulari, cum tantae sit dignitatis, et *vult* cum invincibilis sit charitatis (3), et reapse *perficit*,

(1) S. Thom., *Summa Theol.*, I, q. XXV, a. 6, ad 4.
(2) S. Thom. a Villanova, conc. 2 de Nat. B. M. V.
(3) S. Petrus Damianus, *Serm.* I de Nat. Virg. (vid. lec. 2 et 3. noct. in offic. Matris pulchrae dilec.).

cum omnia dona caelestia nunc mortalibus erogata per ipsam descendant, in quam ipse fons gratiarum prius descenderit Christus Iesus [1]. Item per eam ad Iesum nobis patet accessus: « Ad Iesum per Mariam » [2].

2° *Marialis devotionis influxus* ad animos instituendos, equidem suavis, transcendens et efficax in ipso Matris nomine et munere, quo Virgo Sanctissima mirabiliter fungitur, fundamentum habet ; nihil est enim ad corda filiorum rite efformanda quod maternam operam, sapienter datam, possit aequare. — Sicut in ordine physico atque sociali, ita et in ordine supernaturali matris opus est nobis, nec poterat Deus huic humani cordis necessitati non subvenire. Ideo, animus pius, Mariam matrem pietatis agnoscens, adsuetusque illam sic intueri atque cum illa conversari, non poterit non seipsum velut filium indigentem et amantem agnoscere ; quae quidem cogitationes practicae et repetitae, necessario sensus creabunt humilitatis, confidentiae atque divinae dilectionis, perfecto Christi discipulo maxime consentaneos. Haec omnia maiorem, abs dubio, efficaciam obtinent si devotio *in Cor* purissimum intendat *Virginis Mariae*, quod filialem magis animum inspirat confidentia et amore plenum.

3° *Sanctorum exempla* et quotidiana experientia huius medii praestantiam evidenter demonstrant; omnes enim sancti, quibus cultum in altaribus exhibemus, quique etiam nunc in terris conversantur, per illud ad sanctitatem pervenerunt. Devotio erga B. Virginem signaculum semper impressit sanctis eminentioribus, communitatibus et institutis religiosis observantia praestantibus, clarioribus etiam scriptoribus ecclesiasticis, toti denique Ecclesiae Catholicae ; eius historiam percurrenti liquido patet. E contra, hac devotione in animis aut religiosis familiis exstincta, vel etiam defervescente, ipsae pariter frigescunt et pessum abeunt.

[1] S. Bernardus, *Serm.* 3 in Nat. B. M. V. ; S. Alphonsus, *Le Glorie di Maria*, p. 1, c. 5.

[2] S. Bonaventura, *Speculum*, c. 6.

90. Media huius devotionis assequendae. — In tria capita vergunt media a sanctis atque magistris spiritus commendata, ad marialem devotionem (vel, data proportione, alterius sancti cuiuslibet) assequendam : 1° *studio se dedere* privilegiorum et eximiarum qualitatum eius, bonitatis praesertim atque munificentiae, nihil etenim ad admirandum et redamandum efficacius, nihil ad obsequendum alicui incitantius quam eius excellentia et ab eo accepta beneficia ; 2° *devota exercitia* in eius honorem, obsequiumve *peragere*, devotio enim ipsa devotionis exercitatione augetur, ut asserit S. Gregorius Magnus de discipulis Emmaus [1] ; 3° *imitari* Mariae virtutes : unusquisque diligit sibi similem, amorque pariter similes aut invenit aut facit. Quo quidem non significatur Mariae devotum iustum iam et sanctum esse debere, sed oportere, ut vere devotus sit, christianam saltem vitam instituere, eoque pia sua exercitia referre [2].

91. Praxis. — Posito desiderio se tradendi Virginis Mariae devotioni, sequentia sunt attente diligenterque explenda candidato : 1° aliquando, suscepto Corpore Christi, ante imaginem Virginis Mariae specialiter se Dominae famulatui *consecrare ;* hanc consecrationem quotidie, sed praecipue in solemnioribus Virginis festis renovet, semper se quasi famulum et servum a placitis Mariae pendentem considerans ; 2° assuescat ex ea servitute omnia et singula opera Deo *per Mariam* offerre, *cum Maria* perficere, quam sibi exemplar constituat, et *in Maria* vivere, in cuius sanctissimo Corde preces fundat atque vacet operibus [3] ; unde nusquam solus pergat, sed Mariam in omnibus comitem habeat, iuxta illud melliflui Bernardi monitum : « Quidquid est illud quod offerre paras, Mariae commendare memento,

(1) *Homil.* 23 in Evang. (vid. l. 3 in fer. 2 Pasch., Brev. Rom.).
(2) *Le Glorie di Maria*, c. 8, § 1.
(3) B. Grignion de Montfort, *Traité de la vraie dévotion à la Sainte Vierge* et *Le Secret de Marie,* ubi mirabiliter ista praxis exponitur.

si non vis sustinere repulsam » (1) ; 3° in periculis, in tentationibus, in omnibus animae necessitatibus statim ad Mariam accurrat, sicut infans matrem appellat suam ; 4° frequenter privilegia Virginis, excellentias, dolores, virtutes *perlegat atque meditetur,* quo sensus illius vitamque induat ; 5° quotidie Rosarium Virginis, ter in die *Angelus Domini...*, *Ave Maria* ad horarum sonitum, etc. *recitet ;* 6° eius festa speciali devotione concelebret novendialibus et aliis precibus, in sabbato ieiuniis et aliis pietatis operibus atque mortificationibus illam honoret ; 7° sodalitiis eius *det nomen*, et scapularia induat, satagens plurimas eis adnexas indulgentias lucrifacere ; 8° illius sacras imagines et sacella vere religiosa mente *visitet ;* 9° suam gloriam et laudes studeat efferre, ut servos illi attrahat (2).

92. Devotio erga alios Sanctos. — Praeposita doctrina ad Angelorum quoque et Sanctorum devotionem, proportione servata, potest applicari ; sed eorum devotio longe minus proderit ad animorum institutionem, licet devotioni erga Virginem apprime consonet.

Inter Sanctos vero, quos anima fidelis singulari dilectione ac devotione colere debet, annumerandi sunt: 1° *S. Ioseph*, Sponsus Mariae Virginis, in eiusdem doloribus et gaudiis socius indivisus, Verbi custos, universalis Protector, atque, testante Seraphica Doctrice (3), orationis magister perfectissimus ; 2° *S. Angelus Custos*, dux noster in via salutis, actionum nostrarum testis, necessitatum animae cognitor (4) ; 3° *Sanctus* ille *cuius nomine* honoramur, aut alius specialis patronus, electus in advocatum et exemplar vitae nostrae ; 4° *Fundator* Instituti vel Patronus sodalitatis cui nomen dederimus, velut specialis advocatus et exemplar status aut vitae generis, in qua versamur ; 5° *S. Theresia a Iesu* velut

(1) *Lib. Florum*, XI, c. 5.
(2) *Le Glorie di Maria*, in fine.
(3) S. Theresia, *Vida*, c. 9.
(4) S. Bernardus, *Serm.* 1 de S. Michaële. (Vid. Brev. Rom., die 2 Octobr.).

perfectionis magistra, erga quam maximo affectu vehementique devotione afficiuntur animae vere spirituales, ut experientia docet.

§ 12. — Vitae methodus.

93. Definitio. — *Vitae methodum* intelligimus ordinem constantem occupationum, quas expedire tenemur, respectu habito temporis eisdem assignati. Duobus igitur constat essentialibus elementis : munerum serie, et horarum distributione. Sed quoniam actus omnes viri spiritualis ad perfectionem christianam ordinentur oportet, tam illi qui ex obiecto boni sunt, quam indifferentes, ipsique actus necessarii et naturales, ideo methodus vitae non actus modo, qui proprie dicuntur pietatis, sed actus omnes hominis conscientis debet amplecti.

94. Vitae methodi praestantia. — Ordinata vivendi ratio, prout ab Apostolo commendatur dicente : *Omnia autem honeste et secundum ordinem fiant* (I Cor. c. XIV, 40), haec commoda refert : 1° operibus nostris aliquam similitudinem cum operibus Dei imprimit, qui : *Omnia in mensura, et numero, et pondere disposuit* (Sap. XI, 21) ; 2° tempus bene impendere iuvat [1], confusionem otiositatemque a nobis intercludens ; 3° opera ex omni parte perfecta reddit, eo quod regulis fixis et moderatoris obedientiae vel approbationi submittat, unde illud S. Augustini effatum : « Ubi aliquis ordo est, aliquod bonum est ; ubi nullus ordo, nullum bonum est » [2] ; 4° mores humanos honestat, pacemque spiritus parat, splendor enim et pax ex ordine manant, ex perturbatione vero his opposita nascuntur, ut docet Augustinus [3] et ita confirmat auctor operis *Speculum disciplinae* iuxta doctrinas S. Bonaventurae : « Omne

[1] Ven. P. Claret, *El Colegial instruido*, p. 1, sec. 2, c. 1.
[2] *De natura boni*, c. 23. Conf. etiam Le Gaudier, *De perfectione vitae spiritualis*, t. 3, sec. 14, c. 12.
[3] *De vera religione*, c. 41, et *Confessionum*, l. 1, c. 12.

ordinatum decorum esse necesse est » (1); 5° perseverantiam virtutis optimorumque consiliorum obfirmat, animi potentias virtutemque omnem alveo coarctans, ne per plura decurrant: *Haec est via, ambulate in ea; et non declinetis neque ad dexteram neque ad sinistram* (Isa. xxx, 21).

95. Methodi virtutes. — Ut christianae vitae methodus optime instituatur, hae virtutes seu conditiones ipsius prae oculis sunt habendae: 1° *solidum fundamentum*, nam veris atque stabilibus principiis inniti debet, quae actiones cunctas in unum redigant atque certe dirigant; 2° *aequitas*, quae rebus atque horis modum ponat pro cuiusque viribus et officiis, his enim duobus elementis constat methodus; 3° *legitima approbatio*, subiicienda est enim Superioris vel moderatoris auctoritati, ut obedientiae merito gaudeat, et proprii amoris illusionum sit expers.

Principia seu fundamenta methodi vitae, hic supra commendata, haec sunt praecipua: ea quae implere tenemur iis praeponere, quae devotionis sint atque consilii; substantiale pro accidentali non omittere, nec utiliora pro placentioribus; quod prius agendum sit ne differatur praepostere faciendum; ceteris paribus, ea anteponere explenda, quae magis ardua sint atque molesta; cuique rei suum tempus dare, cuique tempori rem suam: cum omnia, quae volumus, perficere non valemus, necesse est nihil velle, quod facile non possimus, iuxta verbum S. Francisci Xaverii.

96. Praxis. — Ad praxim descendentes, vitae methodus instituitur, gerenda sequenti ratione ordinando, suum cuique rei tempus et horam praefiniendo.

1° *Singulis diebus:* hora surgendi (esto tempestiva; septem horas dormire communiter satis est), preces matutinae, meditatio, Missae Sacrificium atque Communio, ientaculum, officii munera, lectio spiritualis, examen antemeridianum, prandium et coena, animi

(1) *Speculum discipl.*, p. 1, c. 32.

relaxatio, visitatio SS. Sacramenti Virginisque Mariae, Rosarium, preces serotinae, requies.

2° *Singulis hebdomadis:* confessio, propositorum atque notationum lectio, adesse sacris functionibus, collationibus, coetibus piis, et sodalitiorum exercitiis... ; feria sexta Cor Iesu, sabbatis vero Cor Mariae speciali cultu prosequi...

3° *Singulis mensibus:* dies spiritualis secessus, examen generale, lectio illustrationum, inspirationum et propositorum, quae per mensem in codicillo sint annotata ; iis aut illis functionibus, novendialibus, spiritualibus exercitiis interesse, quae menstruis temporibus per annum locum habent (1).

Addenda monita. — In ipsa ordinis praefixi chartula vel alio seorsim libello exarentur haec monita : 1° si quando me necessitas aliquod pium exercitium omittere compulerit, quamprimum supplere curabo, etiam inter agenda, quibus valeat consociari ; 2° non ita ordine tenebor ut ipsum praetermittere non patiar, si charitas vel obedientia aliter postulent, his tamen exceptis, in nullo eum praetermittam sciens ; 3° scripto consignabo proposita praecipua, illustrationes etiam et inspirationes quas mihi Dominus in oratione vel alias immittere dignetur ; quasdam itidem de perfectione sententias potissimas, quas statutis temporibus perlegam.

Sententiae istae vel e Sacra Scriptura, vel e SS. Patribus seligi possunt, vel etiam ex opere *Avisos* S. Theresiae a Iesu, *Sentimientos y avisos espirituales* Ven. P. Lapuente, e documentis denique et monitis S. Alphonsi, P. Lafiguera, Ven. P. Claret, etc. Aliquas exempli ergo subiiciemus.

1. Abnega temetipsum, tolle crucem tuam quotidie, et sequere Christum Iesum (Luc. IX, 23).

2. Oportet semper orare et numquam deficere (Luc. XVIII, 1).

(1) Conferantur opuscula quaedam Ven P. CLARET, v. gr. *El Colegial instruido, Las religiosas en sus casas, Avisos a los sacerdotes*, etc., ubi varia reperientur methodi vel horaria. Item LE GAUDIER, loc. cit.

3. Noverim te, mi Deus, et noverim me! (S. Augustinus).

4. Deus meus, et omnia! (S. Franciscus Assisiensis).

5. Ab omnibus discedat cor tuum, quaere Deum et invenies (S. Theresia).

6. In omnibus te humilia teque mortifica usque ad mortem (ibid.).

7. Desiderium tuum videre Deum esto ; timor tuus quod eum amittere possis ; dolor tuus quod illo non frueris ; gaudium tuum de iis quae ad illum te perducant ; sic in pace requiesces (ibid.).

8. Qui bene orare desiderat, bene studeat mortificationi vacare (S. Philippus Nerius).

9. Vade, Deo curam relinque, nihil aliud cogita (id.).

10. Humilis esto et obediens ; docebit te Spiritus Sanctus (id.)

11. Quidquid possis pro Deo perfice, perficiet pro te Deus, quaeque non possis (Ven. P. Lapuente).

12. Parva tu exsequere, et Deus magna te iuvabit exsequi (id.).

13. Si quae nunc vales non perficis, in dies minus valebis (id.).

14. Dulcia vitae huius ingrata reputa, ingrata vero reputa dulcia, et pace frueris (id.).

15. Satage quae Dei sunt, de tuisque sataget ipse Deus (id.).

16. Omnia vanitas, quae non prosint ad aeternitatem (S. Franciscus Salesius).

17. Nihil time nisi peccatum. Omnia amittuntur, amisso Deo (id.).

18. Recte agito et nihil time : sin autem male egeris, omnia tibi pertimescenda (id.).

19. Praestat devote dicere semel *Pater*..., quam pluries festinanter atque ex more (id.).

20. Nihilo opus sum Deo, nisi ut dona sua mihi impertiatur (P. Lafiguera).

21. Plus quam pro meritis habeo mercedis et gratiae, minus laboris et punitionis (id.).

22. Cum quis semel decreverit Deo perfecte famulari, non erubescat taliter videri (id.).

23. Qui oraverit salvus fiet, qui non oraverit condemnabitur (S. Alphonsus de Liguori).

24. In Deo totam fiduciam habe, de te vero et de consiliis tuis diffide (id.).

25. Ne tristeris de casibus tuis; sed continuo humilia teipsum, ad Deum accede poenitens cum vero proposito, et quiesce (id.).

26. Quam pulchra est oratio animae, quae libenter contemptus amplectitur! (id.).

27. Dum Deus probet, pili est ut reprobet mundus (Ven. P. Claret).

28. Prius mori quam peccare (id.).

29. Deum te intuentem intuere (id.).

30. Nihil cibi Deo gratius offerre possum, nihil potus exquisitius, quam animas poenitentes (id.).

31. Omnia nobis donavit Dominus, ut unum dilectionis eius praeceptum impleamus (id.).

32. Post Deum, Maria. Diligite eam, quia Mater est, quae vos potenter diligit (id.).

33. In omnibus dicite: Cor Mariae sacratissimum, hoc meum donum suscipe atque benedic (id.).

Hoc fac, et vives (Luc. x, 28).

PARS SECUNDA

ASCETICA

—

SECTIO I.

VIA PURGATIVA

97. Huius sectionis materia. — Praeinscripta epigraphe sive titulus indicat satis in *prima ista Sectione* sermonem esse de studio viae purgativae quatenus Asceticae terminis continetur, ipsi applicando notiones atque regulas generales in priori parte operis nostri delibatas. Duplex igitur quaestionum genus amplectitur : ex parte moderatoris *notiones ac documenta* quae sibi sunt opus ad dirigendas animas ista via gradientes ; ex parte moderati *exercitia*, quae sibi velut incipienti sunt arripienda.

Sed quoniam praefata in hunc finem praecipuum immediatumque conspirant ut animum *purgent* sive purificent, obstacula removendo, quae in causa sunt ne anima per viam virtutis incedat (21), eaque purificatio duplici modo perficiatur, activo, scilicet, et passivo (18), aequa apparet horum exercitiorum in duas species distributio : *activorum* alia, eorum, nempe quae directe procedunt ab ipso homine, qui se moderatur atque mortificat ; *passivorum* altera, sive illorum, quae ab aliis proveniunt, et, agente vel permittente Deo, animum, etiam non quaerentem talia, exercent atque purificant iuxta divinae providentiae consilia secretissima.

Inde Sectio ista naturaliter in tria capitula dividitur, hoc ordine digesta : *notiones et documenta* viae purgativae propria ; *exercitia purificationis activae* sive sensus, sive spiritus; *exercitia purificationis passivae* sensus, quoad Asceticam attinet. Caput primum rationem genericam sortitur horum quae ad viam purgativam pertinent, atque ad cetera huius sectionis capita sic se habet, quemadmodum prior pars operis ad reliquas eius partes : sic ordinate atque uniformiter omnes partes atque sectiones in hac elucubratione nostra evolventur.

CAP. I.

Notiones ac normae directionis.

98. Huius capitis argumentum. — In praecedenti numero et epigraphe duplicem notionem perstrinximus, quae caput praesens informat, huiusque genericam rationem ad quaestiones solutionesque practicas viam purgativam consequentes. Iam vero notiones capitales hic leviter indicandae, atque normae directionis proponendae nihil aliud sunt, communiter loquendo, quam conclusiones particulares e principiis iam in Mystica generali perpensis, quatenus statum vias Asceticas aggredientium spectant, quemadmodum duorum insequentium capitum practicae conclusiones, velut applicatio sunt habendae normarum atque principiorum in praesenti capite statuendorum. Iure igitur evincitur ex iis recta capitis huius in duos paragraphos distributio.

§ 1. — Notiones cardinales de via purgativa.

99. De incipientium statu. — Novimus necessariam convenientiam *viae purgativae* cum *statu incipientium*, itemque notas aliam ab alio distinguentes perpendimus (**20** et **21**). Hoc autem supposito orsi, quod

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

anima viam arripit perfectionis, prima licet vestigia ponat in ea, ideo statuendum est eam supernaturalem gratiae vivere vitam, primos licet vagitus edentem supponamus. Charitas ergo sive amor Dei incipientem informat infimo gradu vel minus perfecto, si velimus.

Iam vero charitas ignis divinus est (Deut. IV, 24); ignis autem nequaquam iners manere potest aut aliquando dicere: *sufficit* (Prov. XXX, 16). Hoc autem in primis efficit ignis, priusquam alte et potenter accendatur, prohibentia removere, donec victor exsultet et inflammandis formam suam imprimat perfecte: hic pariter finis est viae purgativae, in hoc incipientibus proprie erit insudandum. Tunc enim debet charitas contra praeiudicia pugnare, contra inordinatos appetitus, contra sensuum licentiam et potentiarum divagationem, contra domesticos simul atque exteriores inimicos, deiectumque interdum animum, atque divinae Providentiae purificantis operae subiacentem erigere et sustinere.

Quamvis autem certamen istud vel acrius vel remissius per alias quoque vias et animae status erit sustinendum, in isto incipientium gradu hoc praecipuo atque elementario labore perficiendo distinetur; nam immediate eo spectat ut peccata, gravia praesertim, avertat, animumque in suscepta virtutis via ita confirmet, ut non sinat in pristina errata prolabi faciliter; ideo agitur hic de compescendis potentiis nimium liberis, passionibus effrenatis, inclinationibus depravatis, atque praecipue, de obsistendo tentationibus sensus abiectioribus. Incipientes peccata mortalia oderunt, non item venialia, in quae saepius prolabuntur.

100. De animabus hac via incedentibus. — Incipientes animae ad tria genera reduci possunt, scilicet: *poenitentium*, *innocentium*, et *nihil proficientium* (1).

Animae poenitentes, verum exemplar earum quae per viam purgativam incedunt, illi sunt qui, cum vitam

(1) Vid. Le Gaudier, *De perfec. vitae spiritualis*, t. 1, p. 2, sec. 1, c. 3; item, Saudreau, *Les Degrés de la Vie spirituelle*, t. 1, l. 1, c. 2, a. 2.

egerint aliquando aversi a Deo, sincero corde resipiscentes, ad Eum convertuntur, anteactae vitae peccata satagunt digne deplorare, et pravos habitus inordinatasque inclinationes debellare contendunt, quae ipsos denuo peccatis insumere conantur. Non sunt confundendae cum aliis iam purificatis animabus, quae interdum diabolicas subeunt impugnationes, quaeque, prima quidem facie, audita earum status narratione, videntur inter poenitentes computari. Iam purificatae cito distinguuntur ex facilitate, qua hostes superant, ex fidelitate qua Deo famulantur, peccata vel levissima devitantes, demum ex praecedenti vitae ratione fervidae quidem, nec ullo positivo retrocessu maculatae.

Animae innocentes, viam autem purgativam adhuc terentes, illae sunt quae, bonam pacatamque indolem sortitae, non vitiosa institutione vel mundana contagione corruptam, numquam tamen studuerunt sibi ipsis dominari, nec umquam serio enixae sunt spiritum orationis virtutesque christianas adipisci. Iis accedunt pueri omnes atque iuvenes aetate tenera, qui honestis moribus imbuti, piamque vitam agentes, minime praeventi sunt gratia extraordinaria, ideoque inconstanter leviterque se gerunt.

Nihil proficientes, aut, si mavis, cunctantes, seu postremo loco incedentes animae, appellari possunt turba illa multa devotorum, qui numquam securi mortificationis defectuum radices eciderunt, atque vere conversi ad Dominum, dominari non curant pravam ac deformatam indolem, semperque eisdem defectibus innodati, ultra procedere neutiquam conantur. Exerunt vires quandoque in via virtutis, atque plus minusve recta cum intentione aliqua bona opera perficiunt ; unde aperte non retro in via gradiuntur ; sed neque purgationis exercitationibus obfirmate se tradunt, unde semper exigua atque inconstanti virtute pollent. Huc referendi sunt tepidi, qui quondam ferventer incesserint ; sed ii facile in peius quotidie abibunt, inque praecipitia prolabentur passionum, si spiritualia exercitia viriliter non arripuerint (122).

De hoc triplici genere animarum licet asserere statum incipientium tenere, quamvis vitam totam sic perseveraverint; sed primum tantum genus proprie dicitur *incedere* via purgativa, quippe quod id unum serio de purificatione sit sollicitum. Genus etiam datur animarum, altiores vias ingredientium, quibus interdum, nihil a perfectione sua deficientibus, exercitia viae purgativae suut arripienda propter transitoria adiuncta gerendorum, lubricarum occasionum, aut insuetarum supervenientium tentationum. Animae istae beatae, vitam activam communiter gerentes, minime inter incipientes versantur, sed earum exercitia cum incipientium exercitiis plus minusve conveniunt, dum transitoria perstant adiuncta.

101. Media quibus instruuntur. — Ut homines ista pergant via, duodecim mediis sive instrumentis, quae superius recensuimus (37 et seq.) instruuntur, quae tamen, cum incipientium statui accommodantur, rationem propriam prae se ferunt, qua differunt ab eorum usu in ceteris viis. Praecipuos characteres adnotemus.

1. *Meditatio* magis discursiva esse solet, utilitatis vel necessitatis argumentis potissimum innixa, eo tendens ut sensus moveat timoris Dei, atque compunctionis de peccatis, unde communiter agit de novissimis aliisque argumentis, quae ad peccati detestationem maximam vim habent. Primum meditatio quasi lectio esse debet lenta, brevesque discursus admiscentur de veritatibus aeternis aut de morte vel Passione Christi: dein animus redditur expeditior, ut libro non sit opus. Idem evenit in modo audiendi Sacrum, in gratiarum actione post Communionem, etc.

2. *Examen particulare* super passione dominante vel aliquo exteriori defectu, qui offensioni sit ceteris, versatur. Difficile obtinebitur finis viae purgativae, si non serio et perseveranter examen adhibeatur, super iis quae insequenti capite adnotantur.

3. *Corporis castigationes*, quae aliter vel aliter in hac via infligendae sunt, ad fines ei proprios assequendos

sunt ordinandae (duo priora commoda num. 51). Item alia perfectionis media eidem fini, supra memorato, sunt applicanda.

Super omnia tamen sensuum ac potentiarum mortificatione insudandum est incipientibus, velut in exercitatione magis propria et directa huius quam aliarum viarum; quod quidem paulo latius studium postulat, quod subsequentibus numeris praestamus.

102. De christiana mortificatione. — Est *christiana mortificatio*, generice sumpta, series actuum, quibus homo studet sensuum atque potentiarum licentiam rectae rationi fideique postulatis subiicere. Mortificatio non est proprie specialis virtus, sed est nisus vel vis quaedam moralis, quae in fortitudine maxime atque temperantia continetur. Rationem habet moralis illius certaminis, quod saepius describit Paulus Apostolus loquens de contradictione inter *veterem hominem* secundum Adam et *hominem novum* secundum Iesum Christum, vel de bello a *parte inferiori* indicto contra *superiorem* hominis partem (Galat. v, 17; Coloss. III, 9; Rom. VI, 6, et VII, 23, etc.).

Vetus homo, ut Apostoli verbis utamur, dicitur in Ascetica pravarum propensionum cumulus, quas homo in semetipso persentit; *mors* igitur *spiritualis* sive ascetica dicetur earum propensionum mortificatio atque subiugatio. *Novus homo* vel *interior homo*, *qui renovatur de die in diem* (II Cor. IV, 16) dicetur, e contra, christianus, qui pravos appetitus subegerit, vitamque fuerit imitatus Christi Iesu, qui vere novus homo est, creatus in sanctitate, atque humanae naturae exemplar.

Haec christiana mortificatio, *abnegatio* quoque dicta, *odium sui*, sui *superatio*, etc., minime supponit aut significat destructionem aliquam naturae nostrae aut passionum exstinctionem more stoicorum, aut verum odium sui, aut irrationabile et indiscretum certamen; sed duo ab iis vere diversa, nempe: *moderationem* passionum fomentorumque ipsarum, atque *privationem* aliquam eorum, quibus licite perfrui vel uti possumus,

quo longius simus, ad illicita decurrere. Haec vera notio est quam de mortificatione tradunt cum Scripturae Sacrae, tum ascetici auctores (1).

Dividitur mortificatio in *internam* et *externam* : prior amplectitur internarum potentiarum subiectionem, ita ut non defluant ab iis, quae ratio dictat a fide illuminata ; altera complectitur sensuum corporalium frenationem, exteriorumque vexationum usum (50).

Distinguitur etiam, ut supra dictum est (96), in *activam* et *passivam :* posterior haec, quae conformationem animi atque patientiam importat, omnibus viis spiritualibus propria est ; illa vero, quae vim implicat positivam atque directam voluntatis ad sui victoriam, exercitium est proprium (minime privativum) viae purgativae.

Si mortificationem uti bellum activum consideremus, appellabimus *defensionis* et *offensionis :* prius ab inimicis animae vel ab inordinato appetitu incursum praesupponit, alterum pacatis etiam passionibus, in sui propria devictione exercetur, vel licita aut innecessaria sibi denegando, vel passionem (haud quidem tunc periculosam, irae v. gr.) provocando, ut protinus subigatur (**108, 4°**).

103. De mortificationis necessitate. — Necessitas, qua tenetur homo se ipsum castigare interius et exterius, active atque passive, pluribus rationibus evincitur, praecipue tamen eam exigit :

1° *Quod homo christianus sit.* — Haec definita Christi lex est : *Si quis vult post me venire* (id est si christianus, assecla Christi esse vult), *abneget semetipsum* (active se mortificet), *et tollat crucem suam quotidie*

(1) Vid. S. Ioannes a Cruce, *Subida del monte Carmelo*, l. 1 ; Le Gaudier, *De perfectione...*, t. 3, p. 5, sec. 13 ; Rodríguez, *Ejercicio de perfección*, t. II, tr. 1, c. 2 ; Tissot, *La Vie intérieure simplifée...*, p. 2, l. 1, c. 2 ; Morotio, *Cursus vitae spiritualis*, p. 1, c. 12 ; Meschler, *Drei Grundlehren des Geistlichen Lebens*, p. 2, c. 2 ; G. Arintero, *Desenvolvimiento y vitalidad de la Iglesia*, l. 3, p. 2 ; aliique.

(patienter ferat passive se mortificantia), *et sequatur me* (vestigiis meis insistat, virtutes meas imitando). Unde, ut Christi vestigia sequamur (in via illuminativa et unitiva) ab omnimoda et quotidiana mortificatione incipiendum est (Luc. IX, 23). Purgandi palmites sunt, ut fructum plus afferant (Ioan. XV). Sic intellexerunt Apostoli, dicente Paulo: *Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitiis et concupiscentiis* (Galat. V, 24); *Semper mortificationem Iesu in corpore nostro circumferentes, ut et vita Iesu manifestetur in corporibus nostris* (II Cor. IV, 10). Multo magis necessaria erit ista mortificatio ad christianam perfectionem assequendam; adeo ut frustra huius aedificii moles assurgat, nisi supra firmam petram exstruatur deiectionis eversionisque pravorum sensuum et inclinationum, quae impedimenta sunt virtutis perfectae. Sic, inter alios, S. Ioannes a Cruce : « Ut quis in perfectione proficiat, atque in Dei suique ipsius cognitione, non magis sibi proderunt quaecumque egerit (obmissa mortificatione) quam seminibus inculta humus » (1). Et S. Theresia : « Credere autem Deum in suam amicitiam suscipere viventes in deliciis et absque aerumnis, insania est »(2). Item Auctor Imitationis : « Tantum proficies quantum tibi ipsi vim intuleris » (3). Inde praeclarum illud Ignatianum axioma: *Vince te ipsum* (4).

2° *Quod sit rationalis.* — Non modo ad vitam agendam christianam et spiritualem, sed rationabilem tantum, necessaria est mortificatio. Vita sensuum vitam impedit mentis, nisi ei subordinetur, eiusque legem et frena obediens suscipiat. Ut autem contrarietas et pugna inter utramque liquido pateat, nihil est opus ad originale peccatum ascendere (5); sed satis est ipsam

(1) *Subida del monte Carmelo,* l. 1, c. 8.
(2) *Camino de perfección,* c. 18, n. 1.
(3) *De Imitatione Christi,* l. 1, c. 25.
(4) Ruiz Amado, S. I., *Ascética Ignaciana.*
(5) Commune est apud oratores sacros piosque scriptores, hanc pugnam et sensuum inordinationem exaggerantes, rem semper ab originali peccato repetere, huiusque exsistentiam ex illius experientia probare et explicare contendunt. Sed argumentatio ista,

conditionem sensuum et superioris partis hominis naturam perpendere. Quum enim sensus spiritualia non possint attingere, sed singulare tantum et corporale percipiant, in id naturaliter feruntur ; sed obiectum sensibile, rationali atque spirituali semper ignobilius, hoc impedire potest, excaecat enim, infirmat et deprimit ; tuncque in malum convertitur hominis, qui essentialiter rationalis est, quique bonum rationis bono sensibili anteponere debet. Unde lex membrorum lexque mentis, de quibus Apostolus (Rom. VII, 23), quodammodo sunt homini connaturales. Hae leges mire consenserunt per elationem humanae naturae ad statum originalis iustitiae in paradiso ; sed, amissa per originale peccatum sanctitate, disparatae, imoque contrariae, processerunt. Unde evenit, sicut ante elationem evenisset, ut homo vel in angelum convertatur vel in bestiam, prout lex altera victoriam referat. Haec hominis abiectio, quae triumphum consequitur animalis partis de rationali, mire describitur a Rege Propheta dicente : *Homo, cum in honore esset, non intellexit : comparatus est iumentis insipientibus, et similis factus est illis* (Ps. XLVIII). Atque Sapiens : *Vidi servos in equis, et principes ambulantes super terram quasi servos* (Eccle. X, 7).

3° *Quod sociabilis sit.* — Sed neque in ipsa civili societate vivere licet sine mortificatione et sacrificio. Munia sunt multa fungenda in familia et societate, in qua vivitur ; multa superiorum in subditos officia, et vice versa ; multa aequalium inter se, ut omnes pacifice convivere possint. Quae quidem omnia privatarum particulariumque rerum sacrificium exigunt quandoque, et ideo mortificationem et sui ipsius devictionem. Iam vero hac aetate nostra, in qua socialis civilisque cultura in astra tollitur, in qua palam frequentibus lamentationibus inopiam virilium hominum in hodierna societate comploramus, urget, quam maxime, se ipsum

ut apparet, valde infirmatur : nam peccati originalis exsistentia ex sola fide constat, absque eo tamen, etiam in statu naturae purae, ut theologi loquuntur, contrarietatem illam et oppugnationem experiremur.

abnegare, cum virilitas animi in eo consistat maxime, ut cordis volubilitas atque libertas superetur (28); ast irrationabilium vita, culturae pacisque incapax omnino decurrit (1).

Christiana denique mortificatio omnia obtinet commoda, quae corporali macerationi superius (51) sunt adsignata, ad eam etenim refertur tota doctrina tunc exposita.

104. Mortificationis gradus. — Asceticorum librorum scriptores diversimode gradus expendunt, per quos in mortificatione progredimur; si vero exercitationem istam uti medium consideremus ad animae purificationem, viae purgativae proprium, in tres gradus est distinguenda, respondentes fere tribus humilitatis gradibus, quos S. Ignatius in suis *Exercitiis spiritualibus* numerat, scilicet: 1° ut animus adeo se vincat et humiliet, ut promptus sit omnia amittere, omnia sacrificare priusquam in re graviori Dei praecepta transgrediatur; 2° ut haec eadem praestare promptus sit, ne leviter offendat; 3° ut communiter, vel saltem saepius, difficiliora magisque incommoda, quamvis indebita, amplectatur, tum quo magis Iesu Christo conformetur, tum quo longius absit ab illicitis (2).

105. De permanentia in via purgativa. — Via purgativa, ut ex dictis patet, usque eo generatim producitur donec animus habitualiter ita purificatus est, ut non difficulter inordinatos passionum motus reprimat, tentationes superet, gravia peccata vitet, atque in leviora manifesta non nisi raro deliberate decidat.

Si velimus tempus definire quo animae purgationi subiiciantur, varium valde reperiemus pro diversitate personarum, quarum purificationis brevitas vel diuturnitas semper ab his tribus pendet: 1° a diuturnitate vitiorum necnon vehementia passionum, cum via vir-

(1) Meschler, *Drei Grundlehren d. G. L.*, p. 2, c. 3; Rodríguez, op. cit., t. 2, tr. 1, c. 9; Torras y Bages, *La formació del carácter*, conf. 1.

(2) Vid. Le Gaudier, op. cit., p. 6, c. 28, medit. 6, et alii *Exercitiorum* expositores.

tutis arrepta est ; 2° a conatu, quo anima laboraverit in exercenda activa purificatione, inque passiva sustinenda ; 3° a gratia Dei, quae magis aut minus abundanter in animum effluxerit. Practice vero res maxime pendet a conatu, quo anima suum negotium spirituale suscipit, prudentis moderatoris obedientiae obsecundans.

Facile intelligitur menses paucos sufficere posse animis innocentibus et adultis ad viam purgationis percurrendam : vere poenitentes poterunt uno anno eum cursum facile perficere, si tempus optime transmiserint ; tardiores autem animae atque novissimae forte vitam totam in hoc statu perseverabunt (100). Meminerit autem moderator ab una in aliam viam transitum sensim fieri, et unius terminos a terminis alterius haud facile posse distingui (20). — Plures aliae *notiones generales* possent hoc loco adduci de *passionibus, vitiis, peccatis*, etc. ; sed eorum studium ad Philosophiam potius vel Theologiam moralem pertinet, ubi perquirenda sunt, si opus fuerit.

§ 2. — Normae directionis ad hanc viam.

106. Opera moderatoris in genere. — Iis positis, quae in priori huius operis parte dicta sunt de notitia, qua moderator pernoscere debet poenitentem, necnon de sollicitudine, qua illius animam dirigere tenetur, ea documenta tenens, quae ibidem sunt proposita (34 et 35), eius labor praecipuus et opera in dirigendis incipientibus, ad haec quinque capita veniunt : 1° eos in vita pietatis *initiare* ; ipsis enim incognita via est, et intentata, quam ut inveniant, ductore opus est ; 2° eos de spiritualibus *edocere*, quoniam in tenebris versantur, donec ad viam illuminativam perveniant ; 3° *fundamenta* in eis *iacere* practicorum sensuum atque virtutum eius status, super ea namque eorum sanctitatis aedificium est consolidandum ; 4° fervores eorum impetusque *moderari*, cum discretione orbi sint in suis studiis et propositis ; 5° quasi milites novos parumque strenuos eos *sustinere*. Haec ipsa incipientis status natura, necnon

monita auctorum ita suadent (1). Sed quoniam horum documentorum praestantia maioris momenti est, quam ut obiter perstringantur, ea paulo enucleatius exponere tentabimus.

107. Initiatio. — Quum iis, via perfectionis ostendenda est, qui eam arripere decernunt, divinae Providentiae imitandus est modus, quae ad finem propositum fortiter obtinendum, cuncta media suaviter disponit (Sap. VIII, 1): 1° non illico ostendendae sunt difficultates, nec tota vitae devotae severitas proponenda ; sed neque deliciae multae, consolationesve magnae promittantur, quae forte non supervenient ; 2° nullus primum de sanctitate, perfectione, austeritatibusque sermo habeatur, sed de necessitate Deo inserviendi, honestamque vitam gerendi, de pulchritudine virtutis, de conscientiae tranquillitate (2), et similibus; 3° paucis ac brevibus exercitiis contentum esse, et consilia atque monita pedetentim et suaviter instillare; 4° admoneat ut libris et piarum precum collectionibus ad sua exercitia utantur, eorumque meditatio modum induat brevis et consideratae lectionis ; 5° incipientes, licet importuni sint, amanter et grato semper animo suscipiantur ; ast neque tempus cum illis teramus, vel plus quam opus sit, impendamus, nec alliciamus blanditiis, nec dominatione vel exactionibus deterreamus ; 6° peccata eorum, si gravia non sint, primo dissimulare, paulatimque prudentibus insinuationibus emendare curemus, iuxta doctrinam S. Gregorii (3).

108. Disciplina. — Magister spiritualis sensim et per occasionem curabit animos, via purgativa gradientes,

(1) Schram, *Institutiones...*, p. I, c. II, § 27 et seqq., et p. II, c. II, § 150; Pinamonti, *Il Direttore*, p. I; López Ezquerra, *Lucerna mystica, Manuductio*, in fine operis ; Scaramelli et alii.

(2) Vide *Introduction à la Vie dévote* S. Francisci Salesii, p. I, cc. I et II; et opus « *Padre espiritual según S. Fr. de Sales* », P. N. Cousino, S. J., ss. 7 et 8; et *Direttorio Ascetico* P. Scaramelli, p. I, a. 2, c. VI.

(3) *Pastoralis*, p. II, c. X; P. Murillo (Fr. Did.), *Escala espiritual*, l. 1, cc. XVI, XVII, XVIII.

veram edocere imaginem vitae devotae, exercitiis imbuere ipsis utilioribus, et ea maxime, quae ad orationem et mortificationem spectant, inculcare, sequentia explicando :

1° *Veram christianae perfectionis notionem :* quae equidem non consistit (ut indocti credunt) in exterioribus pietatis exercitationibus, vel in quadam sensibili et dulcorata devotione, vel in operum serie quae ex alicuius ingenio et voluptate temperantur, vel in intellectualibus illustrationibus, quibus anima forte abundet, sed neque in absentia tentationum, contradictionum et repugnantiae, vel in gratiarum aut charismatum singularium et praeter ordinem possessione ; sed in vera Dei et proximorum dilectione, enutrita atque sustentata christianorum praeceptorum observantia atque proprii status vel officii obligationum perfunctione (1).

2° *Impedimenta perfectionis,* quae removenda sunt, inordinationem, scilicet, passionum atque sensuum, vitia defectusque, quibus irretitur moderatus, quaeque fortasse non animadvertit : unde debet moderator de eis pro tempore ipsum admonere.

3° *Praedominantis passionis cognitionem ;* quae non quidem ea est, quae molestior homini videtur, sed ea quae saepius in culpas inducit maioris momenti, atque radix exstat actualium peccatorum. Cognitam vero oportet in eam tela omnia coniicere propositorum, examinis, meditationis et precum, corporis cruciatuum, etc. (2). Ea devicta, in aliam bellum indicitur, vel contra notabiliorem defectum, ab iis incipiendo, qui proximo sint offensioni.

4° *Modum coërcendi sensus atque passiones ;* per fugam, scilicet, imaginum et occasionum, si de vitiis carnalibus agatur, minime conando a fronte eisdem obsistere ; ut enim admonet S. Augustinus, in iis rebus « apprehende fugam, si vis invenire victoriam » (3) ; si de aliis vero passionibus res habeatur, duplici arte,

(1) Scheybers, *Les principes de la Vie spirit.*, l. II, p. III, c. I.
(2) Rodriguez, op. cit., t. II, tr. I, c. XIV.
(3) *Serm.* 250 de Tempore.

defensiva atque *offensiva*, dimicandum est (102). Defensiva arte utimur cum animus actibus contrariis exercetur, id est, actibus virtutis oppositae tentationi, vel etiam obiectum mutando, v. gr. actus humilitatis exercendo, cum assurgit inanis gloria, vel ad maiorem Dei gloriam dirigendo opus illud, quod mundanam gloriam versus declinabat. Arte utimur offensiva cum, quiescentibus passionibus, irae, ex. gr., vel invidiae, casus adversos effingimus, qui probabiliter supervenient vel per diem evenire contingunt de ea re, et simul ac appetitus ista consideratione commovetur, actibus contrariis reprimimus, rationes etiam considerantes vitii eius, quod commotum est, profligandi (1). Hoc dicitur *regimen politicum* appetituum; sensus vero exteriores, ut docet Div. Thomas (2), atque subinde dicemus (123 et 131), regimine tyrannico subiiciendi sunt.

Contra omne vitiorum genus atque depravatas passiones media possunt adhiberi communia, oratio, nempe, examen, macerationes, etc., quae moderator poenitentes edocere conabitur.

5° *Methodum orandi* atque frequentem ad Deum recursum : assiduum certe quotidianumque argumentum disciplinarum magistri ad poenitentes atque discipulos, quos edocere debet modum meditationis habendae, librum aptiorem, quo ipsi uti debeant (3), earum materiam, tempus ipsis dandum, fructumque capiendum, pro cuiusque animae necessitatibus (101). Unaque cum iis, sacramentorum frequentiam, praesentiam Missae Sacrificio, Rosarii recitationem, etc.; ut autem temporis compendium faciat, suadeat lectionem piorum librorum, in quibus praedicta omnia solerter exponuntur.

109. Spiritus solida institutio. — Praecipua ad incipientes moderatoris cura in eo ponenda est ut di-

(1) Castañiza, *Lucha del alma;* Scupoli, *Combattimento spirituale*, p. I, c. xvi; Morotio, *Cursus vitae spiritualis*, p. I, c. ii, § 3.

(2) *Summa Theol.*, I, q. lxxxi, a. 3, ad 2.

(3) In fine annotationum ad num. 63 et 69 aliquos ex his libris laudabiles commemoravimus.

scipuli in christiana perfectione solida sternant fundamenta ; secus enim facile corruet tota eorum aedificatio (Matth. VII, 27). Quod quidem obtinebitur si iam a principio persuasionibus et sensibus imbuantur proprio statui congruentibus : haec habeto.

1. *Timor Dei sanctus* sive servilis, sive praecipue filialis : qui si alte imbibatur, rectam conscientiam efformabit, atque fugabit hypocrisim (175) : *Si non in timore Domini tenueris te instanter, cito subvertetur domus tua* (Eccli. XXVII, 4). Per ipsum animus in vera humilitate constituetur, iuxta mysticae Doctricis sententiam : « Timorem Domini meditari frequenter, cor creat humiliatum atque compunctum » (1). Id in poenitente ut assequatur moderator, aliquas de novissimis considerationes atque sententias proponat, moneatque saepe saepius illa verba repetere, quae flagitia tanta et pene innumera vitarunt : *Intuetur me Deus* (2).

2. *Compunctio atque poenitentia* de peccatis commissis, sive pauca sint, sive multa. Sic omnes vere poenitentes, uti David, sic ipsae innocentes animae, teste Aloysio a Gonzaga, defleverunt : *Lavabo per singulas noctes lectum meum, lacrymis meis stratum meum rigabo* (Ps. VI) ; *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (Ps. L). His excitandis sunt considerationes de malitia peccati, de hominis ingrato animo atque vilitate, etc., quas in libris asceticis fere omnibus invenire licet.

3. *Summum odium peccati*, etiam venialis, ut ab eius commissione longius abstemus. Haec sequela est praelaudati spiritus compunctionis, iisdemque mediis concipitur. « Primus lapis (spiritualis aedificationis) esto bona conscientia, totisque viribus abstinere vos a peccatis venialibus » (3). Numquam excidat a mente peccatum maximum malorum esse atque infortuniorum, quae nobis evenire possunt, plusque nobis inferre detrimenti quam infernum totum, iuxta S. Theresiae verbum. Vitentur ideo accurate occasiones proximae

(1) *Avisos*, n. 61.
(2) GAUME, *Catéchisme de persévérance*, p. I, l. III.
(3) S. THERESIA, *Camino de perfección*, c. V, n. 2.

peccatorum, nihil de propositis suis anima confisa ; defectum quemlibet protinus expellat per tranquillam contritionem. Moderator suggeret poenitenti conceptus atque sententias, quarum ope odium peccati concipiat, etc.

4. In omnibus piis operibus *cum sinceritate quaerere Deum*, non autem exteriorem apparatum vel ostentationem aut sensibilem delectationem ; velut Patrem eum consideret, eiusque se Providentiae committat. Sic Deum adorabit in spiritu et veritate, sicut praecepit Christus Iesus (Ioan. IV, 24 ; Matth. VI, 5, 6). Non tamen ideo imagines aspernat, religionis cultum, vel exercitia pios affectus resipientia : haec enim sunt incipientibus necessaria. Iis addat firmum Deo famulandi consilium, unde cetera nascuntur (1).

5. *Plurima divinae gratiae aestimatio*, sine qua nihil valemus, qua tamen adiuvante, ardua quaeque viae spiritualis superantur (Ioan. XV, 5 ; Philip. IV, 13), passionesque profligantur : *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis huius ? Gratia Dei per Iesum Christum Dominum nostrum* (Rom. VII, 24, 25). Gratia haec oratione obtinetur (46), peccato mortali amittitur, levibus infirmatur. Ideo ad orationem in periculis, ad contritionem vero, cum anima peccatum subit aliquod, protinus confugiendum est.

110. Desideriorum moderatio. — Incipientes, si quam sensibilem devotionem in suis exercitiis repererint, vel divinae gratiae affluentiam fuerint experti, facile sancti sibi videntur, atque in extrema solent abire circa vota, precationes, austeritates, etc. Prudens magister impetus huiuscemodi moderari debet : 1° vota perpetua, vel temporalia ardua nimis, interdicendo, cetera autem per brevius tempus, necnon multitudinem precum temperate permittat ; 2° corporales cruciatus non indiscrete concedat (52 et 53), citraque poenitentis desideria in iis fervoribus sistat ; 3° ne suo consilio optatis foveat facinorum et consiliorum, quae tunc in

(1) S. THERESIA, *Vida*, c. II, n. 1 et 2.

illusionem ut plurimum evanescent, elata vero revelationum et similium desideria retundat, etc.

111. Imbecillitatis levamen. — Si pro consolationibus ariditatem, amaritudines et contrarietates experiatur incipiens, facile ab incepto itinere desistit, vel in piis exercitationibus tepescit ; tunc moderantis est munus imbecillem sustinere, decadentemque animum attollere, et confortare. Id ut assequatur, eum enixe et amanter hortetur : 1° ut *speret* fore ut rerum vices mutentur, nam Dominus *non dabit in aeternum fluctuationem iusto* (Ps. LIV), atque post hiemem ver succedet, ut observat Kempis (1) ; 2° aliquid *tolerare* pro Christo, semper enim solitus est Dominus amicos suos cruci admovere ; unde sancti omnes per ista transierunt ; 3° ordinaria exercitia *non deserere* quamvis difficiliora appareant, et derelicta forte ex tepiditate *resumere*, in hoc enim eius fidelitas Domino apparebit, qui purgationem animarum hisce solet certaminibus perficere (videatur n. 35, monitum 11, et cap. III huius sectionis per totum).

CAP. II.

Exercitia purificationis activae.

112. Activae purgationis termini. — Campus, in quo anima purificationem activam exercere debet, dum via purgationis incedit, latus nimis est atque complexus; omnes enim potentias sensitivas aeque ac rationales, et omnia hominis peccata atque vitia complectitur (99). Ut autem ordinatius atque simplicius in re tam intricata procedatur, notandum est potentiarum, sive interiorum sive exteriorum, purificationem ac rectitudinem necessario includere vitiorum omnium et peccatorum exstirpationem ; unde fas est eo ordine studium instituere, ut, pertractatis exercitiis purgativis illarum, et

(1) *De Imitatione Christi*, lib. II, c. VIII.

vitiorum purgatio sit satis perspecta. Ceteroquin, opportunius arbitramur vitiorum capitalium purgationem studio moderandarum passionum praeponere, cum quidem sub vitiis contineantur humanae passiones, quarum inordinationes peccata constituunt: quae vero passiones in vitiorum reformatione non fuerint contentae, in studio sensuum atque potentiarum suam vicem sortientur.

Ex iis facile efflorescit methodus nostra de activa purificatione, in eo posita, ut ordinate per gradus vitiorum capitalium emendationem, postea potentiarum activarum rectitudinem in homine pertractemus, hoc ordine: *de peccatis capitalibus*, *de sensibus exterioribus*, *de sensibus internis*, *de potentiis superioribus*.

Non alienum erit, hac data occasione, animadvertere auctores, per capita et paragraphos successivos distinguentes gradus ab anima percurrendos in sui purgatione vel in assequendis virtutibus, nullo modo id intendere (sicut nec nos intendimus), ut anima pia, in percurrenda via virtutis hoc ipso rerum ordine se exerceat, ut primum, nempe, in exstirpanda vitia capitalia ei sit incumbendum, deinde in sensuum reformationem, et quoad peccata, ei superbia primum, deinde avaritia, etc., sit profliganda. Aliud est enim studium theorico-practicum, aliud exercitatio ipsa, cuius gratia posita sunt in praecedenti capitulo documenta generalia, atque illa in primis quae dominantem passionem spectant (**108**). Hoc item meminisse debemus, quod animus, serio satagens de alicuius vitii exstinctione, vel virtutis adquisitione, indirecte ceterorum vitiorum reformationem, atque virtutum perpolitionem operatur.

§ 1. — De vitiorum capitalium expugnatione.

113. Ratio studii nostri. — Quoniam de ascetico studio agimus vitiorum capitalium essentialiter practico, multa nobis praetermittenda sunt eorum, quae morales auctores considerant; atque defectuum enumeratio

cuiusque vitii propria, iis defectibus erit circumscribenda, qui magis apud animas ad perfectionem nitentes invalescunt: ceterum ab huius CURSUS proposito aberraret. Hi tamen defectus quos consideramus, non sensu spirituali, ut a quibusdam mysticis accipiuntur (1), sed proprio cuiusque atque formali sensu sunt accipiendi. Quoniam vero vitia infirmitates animae sunt, quas sanare debet asceticus, infirmitatibus subinferuntur remedia, ex his duobus confecta, scilicet, *motivis* inducentibus ad vitii profligationem, atque *actibus*, quos *contrarios* inscribimus. Actus isti communiter ascendenti gradu proponuntur, a minus perfecto, nempe, ad magis perfectum procedendo.

Igitur ratio invariabilis in hoc vitiorum studio adoptata tria complectitur: 1° singulorum notionem atque praecipuas in animis incipientibus manifestationes; 2° incitamenta ad illa odienda et expugnanda; 3° actus quibus dimicandum usque ad eorum profligationem.

Supervacaneum videtur animadvertere omnia illa dimicandi media, quae velut instrumenta perfectionis superius sunt exposita (101), cuiuslibet vitii expugnationi accommodari posse.

114. De vitiis capitalibus in genere. — *Vitia* sunt habitus in malum ducentes. *Capitalia* dicuntur ilia, ad quae cetera reducuntur, quaeque sunt eorum quasi radices et capita. Septem ponuntur, cuilibet nota. Quamvis cursum perfectionis arripientes, remissis iam peccatis mortalibus, gratia Dei informentur, remanent tamen in illis haec septem vitia, plus minusve mortificata, vel aliquod eorum saltem, cum quo decertare tenentur, si nolint rursus in peccata prolabi.

Eorum connexio. — Vitia atque peccata minime inter se, sicut virtutes, perfecte connectuntur (2); peccata

(1) S. IOAN. A CRUCE, *Noche oscura*, lib. I, ubi de peccatis capitalibus spirituali sensu loquitur, appellans, v. gr. *gulam* atque *cupediam* appetitum immodicum spiritualium dulcedinum. Sunt tamen ibi notandi defectus non pauci qui sensu recto conveniunt vitio capitali de quo agitur.

(2) S. THOMAS, *Summa Theol.*, I-II, q. LXXIII, a. 1.

vero capitalia aliquam habent connexionem cum inordinata hominis dilectione erga seipsum, quae efficit ut ipsa quoque inter se quodammodo cohaereant, atque invicem attrahantur. Ex amore proprio oritur ut quis ceteris se anteponat et praeferat, altiora sibi arroget, atque admirationem obsequiumque ab aliis exigat : hoc *superbiae* vitium est, peccatis fecundissimum. Inde, ut plenum obtineatur oblectamentum et gaudium, appetentia sequitur delectationum sensibilium, erumpuntque *gula* atque *luxuria ;* quoniam vero ad haec obtinenda atque conservanda opes maxime conferunt, insequitur *avaritia ;* ceteris autem, horum bonorum assequutionem impedientibus, vel quoquomodo obumbrantibus hominis praecellentiam, animus superborum *ira* succenditur atque *invidia* tabescit ; atque his terrenis nulliusque momenti rebus irretito animo depravati hominis, nec tempus suppetit nec voluptas rerum spiritualium, earum etiam quas munus et conscientia postulant, unde *pigritia* nascitur (1). Ex iis autem vitiis cuncta hominum flagitia iniquitatesque pullulant, ex quibus, iuxta S. Augustini sententiam, terrena civitas assurgit, in amore sui usque ad contemptum Dei fundata (2).

Motiva ad odienda peccata. — Ut homo in praedicta peccata odium summum concipiat satis est scire ipsa septem esse capita illius inferni draconis, qui sanctis bellum committere pergit (Apoc. XII, 3), iuxta multorum interpretum sententiam (3) ; septem civitates inimicas populo Dei, quae illum a terrae promissionis possessione deturbant (4) ; septem vitae difficiles et arduas vias, ex Divi Antonini sententia, verba alludentis, quae Sapiens impiis atque damnatis attribuit,

(1) Morotio, *Cursus vitae spiritualis*, p. I, c. II, § 1.

(2) *De Civitate Dei*, l. XVI, c. XXVIII. De hisce quaestionibus conferantur *Summa* D. Thomae, p. I-II, q. LXXXIV; cit. opus Morotii, p. I, cc. II-XI ; La Puente, *Meditaciones*, p. I, med. 18-24; opusc. P. Dirckink, *Semita perfectionis*, p. I, n. 16-22 ; libellus Illmi Torras, *La formació del carácter* ; López Pelàez, *Los siete pecados capitales ;* opera item Ven. P. Granada, etc.

(3) Cornelius a Lapide, loc. cit.

(4) Cassianus, *Collat.* 5, c. VI.

dicens : *Ambulavimus vias difficiles* (Sap. v, 7). Perbelle atque perlucide incidit S. Antonini sententia : *Septem sunt viae difficiles : via montuosa, superborum ; via spinosa, avarorum ; via lutosa, luxuriosorum ; via tenebrosa, invidorum ; via tumultuosa, iracundorum ; via sumptuosa, gulosorum ; via taediosa, acediosorum* (1). Omnia, denique, vitia illa menti tenebras offundunt, rectumque iudicium eius pervertunt (**133**).

Actus contrarii. — Hos communes habe : 1° se ipsum intime cognoscere, quo vitia illa patefiunt, quae maxime oblitescunt (2); 2° principiis obstare, simul ac prava inclinatio caput erigit (3); 3° nullum intermittere diem absque aliqua mortificatione, vacuumque existimare, qui taliter exciderit (4). Praeterea, per gradus, uti dictum est (**104**), incedere, etc.

115. Superbia. — *Est appetitus inordinatus propriae excellentiae.* Ex illa nascuntur inanis gloria, iactantia, ambitio seu honoris appetentia, praesumptio, hypocrisis, iudicii tenacitas, elatio, atque ceterorum despectio, cum omnibus horum sequelis.

Defectus. — Praecipui defectus, quibus animae devotae hac in re maculantur, hi sunt : interiores vel etiam exteriores querelae, quod a Deo non exaudiantur, vel quod non pro meritis ab eo mercedes recipiant ; appetitus in omnibus elucendi, et spiritualia negotia pertractandi ; dexteritatem atque notitiam spiritualium ostentare ; aliorum iudicio se non subiicere, moderatorum praesertim, existimantes se melius quam ceteros res intelligere ; animi exacerbatio quod se missos faciant, vel quod aliis in obeundis muneribus posthabeantur ; in pluribus fictiones ; de omnibus iudicare, et disceptare atque sententiam ferre dictatorum more ; sui ipsius in omnibus exhibitio, το *ego* usque ad fastidium dictitantes.

(1) *Summa*, p. I, tit. V, c. III, § 1.
(2) Conf. inter alios ascetas, Maturin, *Me connaître, me discipliner* (Parisiis, 1913).
(3) Kempis, l. I, c. XIII.
(4) S. Ioannes Clymacus, *De verbis Domini*, c. IV.

Incitamenta ad certamen. — Vitium istud initium est omnis peccati (Eccli. x, 15); peccatum daemonum (Isa. xiv, 15); horribile monstrum, quod excaecat homines (Apoc. iii, 17) tantas secum trahens iniquitates, tanta supplicia, utpote Deo invisissimum (Eccli. x, 9 et xxv, 3): « Superbia turrim Babel evertit, linguas confudit, prostravit Goliath, suspendit Aman, interfecit Nicanorem, peremit Antiochum, Pharaonem submersit, Sennacherib interemit, Holofernis caput amputavit », ait Innocentius Papa III (1). Denique signum est reproborum, ex S. Gregorio Magno (2) et maxime spiritui Iesu Christi contrarium, qui humilitatis exemplar est atque Magister (Matth. xi, 23).

Actus contrarii. — Praecipui sunt : 1° notionibus rectis imbui cogitantes parum boni, quod in nobis sit, ex Deo esse (I Cor. iv, 7) cui ratio omnium reddenda (Matth. xxv, 15); 2° se ipsum occultare, cum vel obedientia vel charitas aliud non postulant ; 3° se ipsum coram Deo conviciari, indignum se nisi punitionum confitendo ; 4° ceteris se subiicere, eorum iudicio acquiescendo, primas eis in dicendo partes tribuendo, submissiori voce loquendo, cum simplicibus conversando ; 5° pauperibus inservire, eos in suis casulis vel nosocomiis visitare, etc.

℣ **116. Inanis gloria.** — Quamvis hoc vitium nihil aliud est quam modus quidam praecedentis, neque specie ab eo differt, operae pretium ducimus de illo seorsim verba instituere eo quod in vita spirituali lamentabilis momenti sit, quodque saepissime animos etiam devotos inficiat. *Est autem inanis gloria inordinatus appetitus gloriae mundanae,* id est effrenata appetentia apud homines dignosci, admirari, laudibus celebrari sine causa, ex sua solius delectatione.

Defectus atque gradus. — Quidquid ad mundanam gloriam potest conferre, id omne complectitur vitium istud, una cum defectibus de superbia praedicatis ;

(1) *De contemptu mundi,* l. II, c. xxxi.
(2) *Moralium,* l. XXXIV, c. xviii.

cupidus autem inanis gloriae minime ambit, ut superbus, ceteris dominari, vel servitutem sibi praestari. Alitur autem in minutissimis quibusque rebus, neque parcit maxime spiritualibus atque sanctis, interiusque de se ipso oblectatur, deque suis qualitatibus, etiamsi flocci sint, sibi supplaudit et quasi relambitur.

Tres gradus in vana gloria possunt distingui: 1° *dominae*, scilicet, cum omnia ex sola vanitate fiunt; 2° *sociae*, cum recta quidem intentione peraguntur, sed subintrat vanitas, quasi secundarius finis; 3° *ancillae*, cum statim ac exorta fuerit vana cogitatio, illam animus per rectitudinem intentionis deprimit. Si primum, totum opus depravatur; si alterum, opus bonum exstat ex parte; si tertium, integre bonum exstat.

Incitamenta ad certamen. — Contra nullum vitium oportet magis invigilare quam contra inanem gloriam, eo quod subtile admodum sit, veneficum, atque universale. S. Basilius eam appellat « dulcem praedonem, iucundum hostem, virtutum vermem, occultum venenum » (1); ex Divo Chrysostomo « tinea caelestis thesauri inanis gloria est » (2), asseritque « illam esse gloriam nomine tantum, non vero re, vanam per se, inanem atque stultam » (3); item S. Antoninus affirmat « primam inanem gloriam in campum exire contra virtuosos pugnaturam, et ultimam esse in recessu » (4). Pauca sunt tam instanter a Iesu Christo nobis commendata quam ut inanem gloriam fugiamus, humilitatemque amplectamur (Matth. VI, 1-6; Ioan. VIII, 50-54), quod item Apostolus edocuit, vitam occultam in Christo magnopere commendans (Coloss. III, 3, 4, 12). Uno verbo: inanis gloria nihil omnino praestat nobis, omnia dulciter subripit, spemque aufert praemii caelestis: *Receperunt mercedem suam* (Matth. VI, 2).

Actus contrarii. — Praeter eos, qui superiori numero propositi sunt, commendantur quoque: 1° nihil de se loqui; 2° singularitatem omnem vitare, praesertim in

(1) *Const. monast.*, c. X.
(2) *Homilia* 72 in Matth.
(3) *Homilia* 28 in Ioan.
(4) *Summa*, p. II, tit. 4, c. I.

exteriori habitudine, in vestitu, etc.; 3° intentionem saepe in agendo ad Deum dirigere; 4° inanem cogitationem illico a se propellere, illa Divi Bernardi verba usurpando, si opus honestum fuerit: *nec propter te coepi, nec propter te desinam;* 5° maxime vereri ne Deus nobis rependat in solis plausibus hominum, ullius sane momenti atque frugis expertibus, aut iure nos orbet bonis, quibus gloriamur.

117. Avaritia. — Definitur, *appetitus inordinatus divitiarum vel temporalium rerum.* Peccata omnia complectitur contra septimum decimumque praeceptum, nimiam insuper adhaerentiam cordis ad illa bona, licet honesta sint atque licita, necnon in religiosis defectum omnem contra votum virtutemque paupertatis.

Defectus. — Apud viros devotos in iis praesertim rebus apparet avaritia: in sordida parcitate atque cum famulis de stipendiis disceptationibus; in occasionibus captandis ut pauperes opifices, agricolasque cogant male vendere vel minori mercede operam praestare; in delectatione, qua supellectilem pretiosam, pecunias, obiecta ipsa devotionis ac pietatis, resque curiosas atque superfluas ob oculos versant; in quaerendis atque conservandis nimium sollicite rebus materialibus; in conquerendo, si quid sibi deesse existiment; in elargiendo parcissime pauperibus, etc.

Stimuli contra avaritiam. — Avaritia genus quoddam est idololatriae (Ephes. v, 5); a Christo saepius improbata est, qui divites spiritu etiam anathemate confecit (Luc. v, 24; xiv, 33); radix est et origo omnium malorum (Eccli. x, 9, 10; I Tim. vi, 9); occasio est perpetuarum contentionum et dissensionum, ut enim loquitur Chrysostomus *causa litium semper haec verba fuere* **meum** atque **tuum** (1); infamiam contemptibilem odiumque parit in eos, qui hoc vitio irretiuntur, sordidos enim atque parasitos totus mundus appellat avaros; signum stultitiae inurit hoc vitio devictis, iuxta Evangelium: *Stulte, hac nocte ani-*

(1) *In Geneseos*, c. xiii, hom. 33, et *In Acta Apost.* homil. 7.

mam tuam repetunt a te; quae autem parasti, cuius erunt? (Luc. XII, 20); *Quid enim prodest homini?...* (Matth. XVI, 26). Demum, avaritia iram Dei atque flagella in se convertit; nam propter cupiditatem « Giezi lepra percussus est, Iudas laqueo se suspendit, Ananiam et Saphiram subitanea mors exstinxit » (1).

Actus contrarii. — Curandum est: 1° cultui moribusque se accommodare personarum eiusdem status atque socialis conditionis, quae simplicius moderatiusque se gerunt; 2° nihil prae oculis habere superfluum, nequidem pecunias quae sumptus quotidianos superent; 3° singulis annis destinare, quae in eleemosynas cultumque religiosum sint eroganda, et augmentum potius quam diminutionem in ea computatione procurare; 4° animam pudeat improbe parcere pecuniae, et cor divitiarum tyrannidi subiicere; 5° eliciantur actus confidentiae in divina Providentia: *Quaerite primum regnum Dei, et iustitiam eius; et haec omnia adiicientur vobis* (Matth. VI, 33); 6° imitatio, demum, Iesu Christi pauperis (Matth. VIII, 20).

118. Luxuria. — Hoc nomine venit *appetitus inordinatus carnalium delectationum.* Eius species et innumera peccata omnibus nota sunt.

Defectus. — Loquimur hic de defectibus, qui indirecte cadunt sub genere luxuriae, in quos incipientes devoti solent incidere; sunt autem: nimia familiaritas, cum personis praesertim alterius sexus; amicitiae particulares, non admodum spirituales; lectiones amatoriae fictarumque narrationum; libertas oculorum aut verborum, licentiam subolentium; deliciae proprii corporis, in commoda praesertim habitudine, in vestitu, in molli lecto, etc.; imaginationis effrenatio, timorisque parum in terminis liciti definiendis, vel in levibus a gravibus secernendis in hac re.

Incitamenta ad castitatem. — Nullum aliud vitium sic a Deo avertit uti luxuria, propter nimiam adhaerentiam materiae, nullumque tanta infamia ignomi-

(1) INNOCENTIUS III, *De contemptu mundi*, l. II, c. IX.

niaque hominem deturpat. Satis sit quosdam eius effectus atque punitiones perstringere. Effectus quidem a S. Gregorio Magno praeclare in summam rediguntur his verbis: « Ex quo luxuria semel mentem occupaverit, vix eam bona cogitare permittit... De luxuria caecitas mentis, inconstantia, praecipitatio, amor sui, odium Dei, affectus praesentis saeculi, horror autem vel desperatio futuri generantur» (1). Innocentius, vero, Papa III brevibus sententiis poenas praecipuas enumerat a Deo luxuriantibus inflictas: « Luxuria, inquit, Pentapolim cum adiacente regione subvertit; haec filios Iudae percussit, iudaeum et madianitidem pugione transfodit, tribum Beniamim pro uxore Levitae delevit, filios Heli sacerdotis in bello prostravit; haec Ammon in convivio interfecit, Uriam occidit, presbyteros lapidavit, Ruben maledixit, Sansonem seduxit, Salomonem pervertit, etc.» (2). Ad haec usque extrema decurritur, semel ac quis in labili declivi collocatur, suis viribus confisus, ut notat Div. Augustinus (3); iam vero licentia atque sensibiles amicitiae superius notatae ut minimum omnimodam devotionis amissionem inferent, displicent enim Deo corda dimidiata.

Actus contrarii. — 1° praedictas occasiones, familiaritatem praesertim, fugere diligenter, iuvenumque diversi sexus alternationes (4), atque modestiam servare (**124**); 2° impuram cogitationem, velut ignitos calculos inferni, a se quamprimum expellere; 3° cor sanctis affectibus et cogitationibus per diem imbuere, et agendis continuo intendere; 4° corpus ieiuniis et asperitatibus castigare, necnon a vino, liquoribus, lautisque cibis abstinere; 5° quietem animi procurare, inanes timores aspernendo, nimiamque sollicitudinem et anxiam curam fugiendo. — Item servandae castitati sunt

(1) *Moralium*, l. XXXI, c. XVII.
(2) *De contemptu mundi*, l. II, c. XXIII.
(3) *Soliloquiorum* c. XXIX.
(4) Consortium eiusmodi etiam in scholis seu gymnasiis (nisi parvulorum) est interdicendum propter omnigena et positiva mala, quae inde suboriuntur. Vide BLANCH y BENET (José), *Ensayo crítico sobre la coeducación sexual.*

fuga superbiae (1), atque meditatio novissimorum, et, velut physica remedia, manualis labor, non accurata nimis corporis mundities (semper honesta), ususque balneorum tepidorum vel frigescentium vel in modum pluviae, de consilio medici experti aut personae prudentis et doctae, super latus dextrum accubare, nec nimium parcere somno, numquam super stratum plumeum carpendo, a liquoribus (sit fas dicere) alcoholicis et irritantibus condimentis se abstinere, levioribus uti coenis, frequenter ambulare (2), etc. (141).

Quoniam dilectio spiritualis in sensibilem saepe atque carnalem degenerat, prae oculis habenda sunt signa, quae incipientem degenerationem denuntiant, scilicet; 1° in conspectu dilecti, morosi intuitus, diuturnae inutilesque sermocinationes, manuum lusus, atque ioca; 2° absentem dilectum frequenter recordare maxime in oratione; zelotypiae, eius defectuum excusationes; 3° hora ipsa abeundi ab eius conspectu magnus animi dolor et inquietudo, verba multiplicia dilectionis et affectus, munusculorum in memoriam traditio (3). Haec destruenda sunt, atque talis amicitia quantocius excidenda.

119. Ira. — Hoc vitium capitale est *appetitus inordinatus vindictae.* Iram comitari solent invidia, odium proximi, atque multiplicis generis iniustitia.

Defectus in personis devotis. — Impatientiae multiplices, etiam in res materiales et insensibiles, si quando ad arbitrium non inserviant; verba inculta, mordacia, insolentiora vel incomposita; torva facies, taciturna, elataque in eos quos adversarios arbitramur; male frenatae cogitationes vindictae, delectationisque de damnis proximorum, effingendo etiam se inimicum alloqui et increpare; mortis desiderium non quidem ex fine

(1) B. Ioannes ab Avila, *Audi filia*, c. xii.

(2) Vide Gemelli, *Non moechaberis*; Blanch y Benet, *La moderación de la libidine*; P. Vermeersch, *De castitate et de vitiis contrariis* (Romae, 1919).

(3) S. Franciscus Salesius, *Introduction à la Vie dévote*, p. III, c. xvii-xxii.

sancto ; vivida inquietudo quod optata non illico assequamur.

Incitamenta ad iram profligandam. — Ira vitium ferarum est, ideoque irrationale quoad potest. Eius abominandi effectus, iuxta S. Gregorium Magnum, sunt : « Per iram sapientia perditur, ratio obfuscatur, quid agendum sit ignoratur, vita amittitur, iustitia relinquitur, gratia vitae socialis deperditur, concordia rumpitur, Sancti Spiritus splendor excluditur » (1).

Punitiones promeritae in Cain atque Lamech sunt expletae, necnon a Domino Iesu in sermone montis praenuntiatae (Matth., v, 22).

Actus contrarii. — 1° Tacere, atque tempori parcere, cum quis ira succendi se cognoverit ; 2° non considerare malitiam proximi in molestiis, quarum sit causa vel occasio, forte enim malitia non aderit ; 3° cito reconciliari ei quem offendimus, ut admonet S. Paulus : *Sol non occidat super iracundiam vestram* (Ephes. IV, 26) : 4° sursum aspicere, Deique Providentiam agnoscere in malis nobis supervenientibus, vel illatis a proximo, David imitantes dicentem de Semei : *Dominus praecepit ei ut malediceret David* (II Reg., XVI, 10) ; 5° Iesum crucifixum intueri opprobriis iniuriisque onustum *qui tamen cum malediceretur non maledicebat* (I Petr., II, 23).

120. Gula. — Hoc nomine distinguitur *appetitus inordinatus cibi vel potus.* Huius vitii emendatio eo difficilior evadit, quod ad vitam quotidianam necessaria sint ea, in quibus offendit.

Defectus. — Ante omnia considerandi sunt quinque illi defectus, quos Div. Thomas quinque verbis notat huius versiculi : *Praepropere, laute, nimis, ardenter, studiose* (2). Id est : 1° ante vel extra tempus edere ; 2° cibis vesci exquisitis atque delicatis ; 3° cibos ultra modum sumere ; 4° avidissime voraciterque deglutire ; 5° exquisitiori diligentia et variis condimentis praepa-

(1) *Moralium*, l. V, c. ultimo.
(2) *Summa Theol.* II-II, q. CXLVIII, a. 4.

rare. Iis adde : frequenter de cibis cogitare, eis se oblectare, de comessationibus et ebrietatibus sermocinari, quemcumque defectum in cibis parandis conqueri, tempus epularum producere, bellaria multa multaque vina degustando, etc.

Incitamenta ad vitium debellandum. — Consideretur quam dedeceat christianum hominem, quam multi quamque perniciosi effectus ex illo nascantur ex vini praesertim atque liquorum usu immoderato, quantis puniatur a Deo.

« Ventri servire non hominum sed belluarum est » (1). « De ventris ingluvie inepta laetitia, scurrilitas, immunditia, multiloquium, hebetudo sensus circa intelligentiam propagantur » (2). « Gula paradisum clausit, primogenita (Esau) vendidit, suspendit (Pharaonis) pistorem, decollavit Baptistam... » (3). Dimidia pars infirmitatum, quibus homines affliguntur ab intemperantia nascuntur (4). Religiosis autem adeo necessaria est huius vitii mortificatio, ut ab ea sancti Patres Thebaidae tironum institutionem coeperint, testante S. Ioanne Clymaco (5).

Actus contrarii. — 1° In edendo servare tempus, qualitatem, quantitatem et modum contra praenotatos quinque defectus ; 2° expletis epulis, quantitatem ciborum et vini praesertim sumendam pro necessitate constituere, nec morem gulae gerere inter epulas (6) ; 3° per quindecim dies experiri an valetudine bona, vel forte meliori, utamur, aliquid de consuetis cibis detrahendo, ut ipsi (corporales physici) *hygienistae* suadent (7), quod si acciderit, per alios quindecim dies plus aliquid detrahere, donec medium invenia-

(1) S. Ioannes Chrysostomus, *Homil.* I super Ioan.

(2) S. Gregorius, *Moral.*, l. XXXI, c. xxxi.

(3) Innocentius III, *De contemptu mundi*, l. II, cap. xviii. Videantur quoque lect. 2 nocturni Domin. IV Quadragesimae, in Brev. Rom.

(4) Descuret, *La Médecine des passions*, p.II, c. ii.

(5) *Gradus* 26.

(6) S. Ignatius, *Ejercicios espirit.: Reglas para ordenarse en el comer.*

(7) Codera (Franciscus), *Preocupaciones alimenticias*, et alii hygienistae.

tur; 4° mensam benedicere, atque intentionem erigere, cibumque quasi in Dei praesentia sumere, aliqua spirituali lectione intercedente; 5° singularitatem ac praerogativam vitare, si praesertim communiter vivatur; 6° ab aliqua re quotidie, dissimulate tamen, se abstinere, atque singulis mensibus vel hebdomadis ieiunio se exercere, si valetudo permiserit, praeter dies ab Ecclesia statutos. Si agatur de compescenda in aliis ebrietate, nullum naturale remedium reperitur efficax praeter vim ac reclusionem [1]; ad sibi medendum, proderit a vino abstinere extra epulas, inque epulis ipsis illud aqua temperare.

121. Invidia. — Est invidia *tristitia seu dolor de bono alterius, quasi bonum nostrum imminuente.* Illi sociari solent odium proximi, susurratio, detractio, calumnia, aliaeque iniustitiae.

Defectus communiores. — Complacentia quaedam in aemulorum infortuniis, vel in sola eorum apprehensione, itemque dolor de auditis vel perspectis eorum prosperitatibus; infinita peccatorum multitudo in detrectando; de cognitis aut ab alio celebratis proximorum qualitatibus affectatum silentium; curiositas in aliorum defectibus inquirendis, ut in lucem prodantur, vel gaudium in eorum notitia et evulgatione; mille nocendi artes ut inimicum supplantent, eiusque opera vel inventiones diffamentur, omnia haec praetextibus honoris, ordinatae charitatis, etc., obtegere ac iustificare conando.

Incitamenta. — Ut vitio isti totis viribus obsistatur, considerandum est illud daemonum esse proprium, despicabilium sordidorumque animorum, plusque invidenti quam inviso nocens. *Invidia autem diaboli mors introivit in orbem terrarum* (Sap. II, 24).

« Invidia pura malitia est nihil habens commodi, sed tormenti plena, nihil solatii, nihil voluptatis », ait S. Thomas a Villanova [2]. « Tolle invidiam, et tuum est

[1] Capelmann, *Medicina pastoralis, De quinto praecepto*, III, appendix (Aquisgrani, 1896).

[2] *Concio* in fer. IV post Dom. Pass.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

quod habeo ; tollam invidiam, et meum est quod habes ; livor separat, charitas iungit », notat Augustinus (1).

Actus contrarii. — 1° Nihil detrectare iis, quibus invidemus ; 2° cogitationes invidiae quamprimum avertere per actus divini amoris ; 3° Deo gratias agere, quum in proximis defectus perspicimus, quibus caremus ; 4° item grates Deo referre, si appareant in inimico virtutes atque fortunae bona, quae nobis non suppetunt, iuxta illud Rebeccae propinquorum : *Soror nostra es, crescas in mille millia* (Genes. XXIV, 60) ; 5° oculos mentis in potiora bona intendere, qualia sunt amor Dei et gloria caelestis, quae nemo nobis eripere poterit.

122. Acedia. — Acedia seu pigritia est *remissio quaedam animi fastidiumque de rebus spiritualibus atque munerum exsequutione*, ex quo fit ut homo ea missa faciat vel negligenter perficiat. Acediae amicae sunt otiositas, pusillanimitas seu imbecillitas atque inconstantia.

Defectus communiores. — Omnes illi sunt, qui tepiditati assignantur : remissio, distractio, et consuetudo in piis exercitiis, eorum frequens omissio, animi per diem divagatio, inutilia oblectamenta, loquacitates, potentiarum hominisque totius per diversa discursus, somnus supra modum, sensuum atque phantasiae dissipatio, in muneribus adimplendis incuria, aversio a devotis, eo quod ipsorum exempla nos reprehendant, etc. Graphice descripsit tepidos Div. Bernardus : « Homines pusillanimes et remissos, deficientes sub onere, virga et calcaribus indigentes ; quorum brevis et rara compunctio, animalis cogitatio, tepida conversatio ; quorum obedientia sine devotione, sermo sine circumspectione, oratio sine cordis intentione, lectio sine aedificatione ; quos denique vix gehennae metus inhibet, vix frenat ratio, vix disciplina coërcet » (2). Ne tamen

(1) *Tract.* 32 super Evang. Ioan., n. 7 (edit. Migne).
(2) *Serm.* 6 in Ascens. Domini. Super tepiditate consuli potest Bellecio, *Medulla Asceseos* ; Lefebvre, *Les questions de vie ou de mort*, 14, etc.

confundatur hic vere miserabilis status cum statu ariditatis atque probationis (38).

Incitamenta ad excutiendam acediam. — Desidiosi vilitas, dum enim res omnes operibus instant et in suo quaeque ordine moventur (astra, terra, animalia, homines in suis officiis, Sancti omnes), ipse solus iners perseverat; pigritiae effectus funestissimi (Prov. XXIV, *v.* 30), tepidus enim et semper peccat, et semper patitur (mala culpae et poenae incessabilia); infortunia quae sibi maledictio Dei minitatur: *Maledictus qui facit opus Domini fraudulenter* (Ierem. XLVIII, 10); *Quia tepidus es, incipiam te evomere ex ore meo* (Apoc. III, 16); *Serve male et piger...* (Matth. XXV, 26). Magna denique meritorum deperditio, quae posset suis operibus lucrari, si diligenter laboraret, sicut mercenarii ultima hora conducti (Matth. XX, 12).

Actus contrarii et media ad emergendum de statu tepiditatis. — Praeter considerationes iam propositas, haec teneri oportet: 1° derelicta exercitia resumere (Apoc. II, 4, 5), licet sine delectatione fiant; 2° novissima meditari mortemque iam iam venturam prospicere; 3° aliquot dies spirituali secessui serio incumbere, in quibus confessio generalis instituatur; 4° sui ipsius sancta deceptio: meditationi, *v.* gr., decem minuta studendo in honorem Sacratissimi Cordis Iesu, sequentia decem in honorem Cordis Mariae Virginis, reliqua decem in honorem S. Ioseph, et artibus similibus; 5° propositum firmum arripere, atque se Deo committere fiducialiter; *Nunc coepi* (Ps. LXXVI); *In Deo meo transgrediar murum* (Ps. XVII).

§ 2. — Reformatio sensuum corporalium.

123. Ratio horum exercitiorum seriei. — Quoniam vitia capitalia aeque ac inordinatae passiones, sensuum exteriorum opus habent ut obiecta sibi attrahant, quibus pascuntur; una cum exsecratis vitiis istae quoque potentiae sunt mortificandae: si tamen illa iam sint ab exercitante subiugata, nullius fere laboris sibi

erit sensuum subiectio atque reformatio, qui quadam rectificatione tantum atque gubernatione indigebunt, ut alio non divagentur, et sensibilium speciebus dormientis passionis perturbationem non provocent.

Uti iam supra dictum est (108), sensuum exteriorum gubernatio *tyrannica* esse debet, id est per imperium directum voluntatis, cum se ferat occasio, ex dictamine vero prudentiae: nec timendum quidem est ut resistant, sicut appetitus resistere possunt.

In hoc brevi super sensibus ascetico studio, ad haec duo cingemur de singulis, nempe: impedimentum, quod affert vitae devotae sensus libertas et effrenatio, et eius frenandi modum. In hoc autem quod postremo proponimus, duo distinguendi sunt gradus: ipsius sensus moderatio, rationi eum subiiciendo, atque illius mortificatio vel sacrificium, licita quaedam illi subtrahendo, quo longius abstet ab illicitis et suavius deferat iugum Christi (1).

124. Visus. — Duo fert incommoda: quod nempe ad vitam socialem adeo sit necessarius, ut eum eiusque imagines, saepe illicientes in malum, praetermittere non valeamus; alias vero phantasiam tam intime videque penetrent ut altius, quam ceterorum sensuum, eius species inhaereant. Inde pericula quae circumeunt illos, qui oculos refrenare non curant, ut testantur Heva, David, Samson, Holofernes atque beati Iob memoranda sententia: *Pepigi foedus cum oculis meis ut ne cogitarem quidem de virgine* (Iob XXXI, 1), cum aliis sexcentis, quae Scriptura exhibet, atque Sancti, necnon experientia quotidiana.

Moderandus ergo est visus: 1° personas alterius sexus attentius non intuendo (Eccli. IX, 5); 2° spectaculis non adstando vel parum honestis vel nimium animos distrahentibus; 3° oculos avertendo a statuis, picturis, etc., in quibus honestas summa non splendeat;

(1) Vid. VALLGORNERA, *Mystica Theologia D. Thomae*, q. II, disp. 2, et App. 3; SCARAMELLI, *Direttorio ascetico*, t. II, a. 1 et seqq., et alios auctores superius allatos.

4° hac agendi ratione vel cum proprio corpore utendo; 5° oculis submissis per vicos atque vias incedendo, nec eis in pinacothecas et similia intendendo.

Mortificetur interdum: 1° oculis interdicendo scenas quasdam liberalis oblectamenti, licet honestas; 2° item alicuius aedificii vel monumenti visitationem, quae utilis vel necessaria non sit; 3° spectacula etiam curiosa, licet innoxia, domi vel extra propriam domum.

125. Auditus et lingua. — Cum inter se relatae sint facultates audiendi atque loquendi, aequum est ut una de iis agamus. Id habent peculiare, quod magis necessaria sint, quam oculi ipsi, ad hominum institutionem atque sociabilitatem, quum per hos maior rerum notitia quam per alios sensus ad nos deveniat; inde pruritus audiendi, auditaque per verba ceteris communicandi, cum nobis innatum sit studium omnia discendi. Si pruritus iste atque curiositas recta ratione non moderetur, ad dissipationem animos praedisponit, ad murmurationem, ad inquietudines multas, atque ad linguae innumera ferme peccata. Propterea nos admonet Spiritus Sanctus: *Sepi aures tuas spinis, linguam nequam noli audire* (Eccli. XXVIII, 28), atque Iacobus Apostolus linguae malignitatem improbat, difficultatemque illam frenandi aperit (Iac. III): unde illud cum Psalte nobis statuendum: *Dixi: custodiam vias meas, ut non delinquam in lingua mea* (Ps. XXXVIII).

Moderandae igitur potentiae istae: 1° nihil auscultando vel loquendo quod charitatem vel castitatem laedere possit, imo vero dissimulando vel corrigendo loquentem, prout res postulet; 2° assentationes laudesque reiiciendo, neminem pariter adulando vel decipiendo; 3° sermones inutiles vitando, curiosasque indagationes, quae nihil prosint; 4° neminem irridendum tradere vel ridicule imitari, ultra rerum vel personarum decorem atque reverentiam; 5° nomina sacra vel divina verba per risum et iocum numquam usurpando.

Mortificentur: 1° silentium stricte servando per aliquot horas diei, vel quandocumque regulae praecipiant, si de religiosis agatur; 2° abstinendo ab acute dictis vel

ab alicuius eventus innecessaria divulgatione; 3° nova non inquirendo, atque ephemerides vel periodica non legendo, ratione manifesta non intercedente; sermonem e contra instituendo de rebus spiritualibus ad aedificationem spectantibus.

126. Odoratus. — Quamvis sensus iste innoxius existimatur, eius abusus spiritum arguit effeminatum atque mundanum, possuntque aromata atque unguenta in instrumenta tentationum converti. S. Ioannes Chrysostomus ita testatur: « Corporis enim ac vestium fragrantia arguit intus latere animum graveolentem et immundum » (1). Atque Dominus per Isaiam minitatur se profana huiusmodi in tormenta conversurum eorum qui iis abutuntur: *Et erit pro suavi odore foetor* (Is., III, 24).

Moderandus igitur erit olfactus atque mortificandus: 1° odoramentis non inhalando vestes, litteras, cubicula, etc; 2° non voluptuose olfaciendo flores vel obiecta unguentis delibuta; 3° nosocomia, carceres, templa, vel etiam alia male olentia loca invisere non dedignando, aut in talibus displicentiam non ostendendo.

127. Gustus. — Hoc ad perfectionem incommodi praestat sensus iste, quod ex parte eo quotidie indigeamus, ex parte tamen eius illecebrae nos allucinent, necessitatem sibi effingens ubi saepe sensibilis tantum oblectatio intercedit. Etiamque in rebus vere necessariis facile appetitus intentionem degenerat, oblectamentum quaerens potius quam utilitatem. Huic alludit S. Bernardus dicens: « Gula semper est in pugna et in culpa. Sive manduces sive bibas, adest illa tecum pugnatura; si bene non pugnas, certe vinceris ab illa » (2). Bene dixerat Apostolus: *Non est enim regnum Dei esca et potus: sed iustitia et pax et gaudium in Spiritu Sancto* (Rom. XIV, 17).

Moderemur itaque gustum in esca et potu: 1° non

(1) *De Lazaro mendico, ac divite*, Conc. I.
(2) *De interiori domo*, c. LIX.

ideo manducando quod delectationem experiamur, licet cum delectatione fiat; 2° brevem orationem praemittendo, mentemque in Deum erigendo; 3° regulas temperantiae observando superius propositas (120).

Mortificetur: 1° statutis aliquot diebus ieiunando, aut aliquid cibi detrahendo; 2° ea semper eligendo quae sunt ingratiora sensui, exceptis infirmitatis temporibus; 3° a vino et liquoribus abstinendo; quod si necessitas iis uti postulet, fiat in modica quantitate (I Tim. v, 23); 4° famulorum defectus incuriamque in cibis vel condiendis vel ministrandis dissimulando; 5° amarum aliquid aut ingratum, innoxium tamen, cibis miscendo, atque amara medicamenta degustando.

128. Tactus. — Hoc habet peculiare, quod per totum corpus sparsum, difficile in eum dominamur, siquando noceat menti. Item, eo quod omnium sit sordidissimus, maxime nos a vita spirituali seiungit. Inde fit ut S. Basilius hortetur: « Tactum vero ut omnium sensuum perniciosissimum et saevissime blandientem, sensusque reliquos in suas pellicientem illecebras, immaculatum, quam maxime poterit cura, servabit » (1). Atque Spiritus Sanctus admonet: *Qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea* (Eccli. XIII, 1).

Moderandus est igitur: 1° neminem, etiamsi per iocum, attrectando extra necessitatem; 2° pueros non manibus tractando, aut nimia cum eis familiaritate agendo, maxime si alterius sint sexus; 3° lectulis mollibus nimis non accubando, vel ultra tempus requiei necessarium in eis manendo. Qui se Deo per vota consecrarunt non debent manus contrectare vel porrigere personis alterius sexus, nequidem ut deosculentur, etiam post confessionem in ecclesia, etc.

Mortificetur: 1° exterioribus austeritatibus ut supra dictum est (53); 2° modum vel situm aliquem molestum interdum servando, flexis genibus, v. gr., brachiis extensis, stando, sedendo sine fulcimento, etc.; 3° legitimis quibusdam deliciis et commodis non utendo, v. gr.

(1) Lib. *De vera virginitate.*

fiabellis vel suavi algore ad sedandos aestus, vehiculo, cum pedibus ire licet, etc.

129. De exteriori habitudine. — Tum ad cohibendos sensus, tum ad proximorum aedificationem magnopere praestat eam corporis totius habitudinem servare, quae praeceptis christianae modestiae apprime consonet. Optime scripsit Ecclesiasticus : *Amictus corporis, et risus dentium, et ingressus hominis enuntiant de illo* (Eccli., XIX, 27). Haec habitudinis regula christianis ab ipso Christo Iesu proponitur dicente : *Sic luceat lux vestra coram hominibus, ut videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum, qui in caelis est* (Matth., V, 16). Quodque ad humani corporis habitudinem expressius attinet, hanc licet regulam proponere ex pulcherrima Hugonis a S. Victore instructione: « Gestus hominis in omni actu debet esse gratiosus sine mollitie, gravis sine tarditate, alacer sine inquietudine, maturus sine protervia, et sine turbulentia severus » (1).

Debet igitur christifidelis exteriorem habitudinem *moderari :* 1° modum vitando levem, agitatum atque praecipitem, simul ac gravitatem affectatam, vel nimiam tarditatem ; 2° in loquendo caveat gesticulari, et a cachinnis ac inclamationibus abstineat (Eccli. XXI, 23); 3° omnem affectationem, effeminationemque fugiat in verbis et actionibus, aeque ac rusticitatem elationemque ; 4° inter loquacitatem et taciturnitatem medium in conversando teneat ; 5° vestibus utatur iuxta socialem gradum sibi proprium, semper vero cum simplicitate et honestate maxima in forma atque ornamentis.

Expedit quoque ut persona pietatis studiosa in his se *mortificet :* 1° eadem gravitate atque modestia se solus gerat quam in publico, prout de S. Francisco Salesio, Ven. P. Claret, aliisque legimus ; 2° in exteriori apparatu, suique ipsius ornamento minus aequo tenere, potius quam excessum ; 3° cum pauperibus, simplicibus atque rudibus conversetur, proque Iesu Christi amore illis etiam aliquando humiliter inserviat.

(1) *De instit. novit.*, c. XII.

§ 3. — De subiectione interiorum sensibilium potentiarum.

130. Ratio huius purgativae exercitationis. — Omnibus manifestum est interiores hominis potentias duplicis generis esse: sensitivas, scilicet, ac rationales: unumquodque vero genus iterum duas species continet, apprehensivas, nempe, et affectivas, ut philosophi scholastici tradunt (1). Sensitivae facultates, quae apprehensivae seu cognoscitivae sunt (sicut etiam affectivae omnes), rationi subiici debent (102), ratio autem Deo. Hoc uno modo et pax et virtus vera sunt in anima possibilia. Quatuor, iuxta Angelicum Doctorem (2), distinguuntur in homine potentiae sensitivae interiores cognitione gaudentes: sensus communis sive intimus, imaginatio sive phantasia, aestimativa seu cognoscitiva facultas, atque memoria sensitiva; cum vero imaginatio ad commovendas passiones potissima sit atque efficacissima (3), in ea ordinanda atque frenanda insudandum est, quo ceterae consequenter ordinentur. Huc ergo pertinet praesentis paragraphi doctrina.

De sensibilibus potentiis affectivis (seu de appetitu concupiscibili et irascibili), quarum effectus sunt passiones (4), innuimus supra (112) non esse nobis sermonem specificum directe instituendum, eo quod materia illa, cum de peccatis capitalibus agitur et in aliis locis huius sectionis attingitur.

Cum vero a permultis practice habeatur veluti criterium moralis atque asceticae veritatis continuata sensibilis affectio, quae vulgo *sentimentalismus* dicitur (16),

(1) S. Thomas, *Summa Theol.*, I, q. lxxviii.
(2) Ibid., a. 4.
(3) *Summa Theol.*, I-II, q. xxii, a. 3; Granada, *Tratado del amor de Dios*, p. I, c. iv.
(4) In communi sermone actus illi dicuntur *affectus sensibiles* seu *affectiones*, tumque dicuntur *passiones* cum vehementius impetunt et quodammodo inordinate; si vero bonae sint vel indifferentes, sed vehementiores, *emotiones* appellamus.

de ea hic quasi in proprio loco agemus, ut criterium illud profligemus atque reformemus.

131. Phantasia. — Haec potentia, quae si recte ordinetur, maximam nobis confert opem ad meditationem, ad praesentiae Dei exercitium, ad spiritualia colloquia, ad opera zeli in proximorum salutem obeunda, gravissimum evadit vitae spiritualis impedimentum, cum sua sponte graditur, infracta lege, qua a ratione dirigi debet. Hoc sensu consuevit *malesana domi* (hispanice, *la loca de la casa*) appellari, quam graphice S. Theresia *pistrini crepitaculum* (vulgo, *taravilla de molino*) nominavit (1), atque V. P. Granada scripsit: « potentiam esse liberrimam, saltantem colles, tamquam efferata bellua hinc et inde per silvas montesque discurrens » atque « servo fugitivo » comparavit « qui e domo sine licentia egreditur » (2), adeo ut ipsa laudata mystica Doctrix non vereatur asserere phantasiam plus detrimenti, quam daemonem ipsum, nobis afferre posse (3). Ideo admonet Spiritus Sanctus: *Cor tuum phantasias patitur. Nisi ab Altissimo fuerit emissa visitatio, ne dederis in illis cor tuum: multos enim errare fecerunt somnia* (Eccli. XXXIV, 6, 7). Adde quod diabolus hominem per phantasiam impugnat, illum decipit, atque passiones inardescere facit.

Eius species. — Quotidiana experientia constant damna, quae a libera phantasia inferuntur, quae in tria capita reduci possunt: *distractiones* seu divagationes, *illusiones* seu fraudes, atque *tentationes* seu ad malum incitamenta. Iuxta quod facile est tres species phantasiae in diversis personis distinguere, vel in una eademque tres diversos status successivos, vel quandoque simultaneos, et sunt: *phantasia tumultuosa*, vivida nimis atque vel natura sua indomita vel ex pluribus occupationibus inquieta; *phantasia illusa*, suarum creationum vel fictionum tenacissima, quas veras existimat,

(1) *Moradas*, IV, c. I, n. 12.
(2) *Guia de pecadores*, l. II, c. XV, § 7.
(3) *Fundaciones*, c. IV, n. 1.

phantasia excitata, vehementissima propter passiones inordinatas, illam exacerbantes.

Remedia. — Meminerimus ante omnia phantasiam minime gubernari ei vim inferendo, id est, eam tyrannicae dominationi submittendo, sed imperio politico regi, arte nempe atque industria, curando scilicet ut cito mutet obiectum (108). Atque hoc sit universale remedium quarumcumque imaginationum importunarum, una cum oratione ad Deum atque moderamine prudentis magistri spiritualis.

Speciatim, phantasiae tumultuosae medebimur: gerenda ordine commodo disponendo, cavendoque ne nimia sint; animum per diem colligendo, Deique praesentiam renovando; aliquem pietatis vel precum librum adhibendo in piis exercitationibus; fictarum narrationum (*novelas*) sibi lectionem interdicendo nec diutius ephemeridibus versandis incumbendo, atque in exordio precum attentioni defigendae accuratius intendendo (66).

Secunda phantasmatum species cohibebitur: humilitatem excolendo, suique confidentiam deponendo; honestis deambulationibus animum tantisper relaxando atque medendo; aliquid corporalis operae sumendo (scribendo etiam), nihil somno necessario subtrahendo.

Tertia phantasmatum species castigatur: correlativam passionem dominando; aliquid negotii semper perficiendo; periculosas occasiones fugiendo (118 et 119).

132. De sentimentalismo, seu affectiva sensibilitate. — Non agimus hic de affectiva sensibilitate in sensu philosophico, imo nec in sensu *theorico modernista*, quae quidem systemata quasi veritatis criterium in re philosophica vel religiosa ponunt sensibilem affectum (1): loquimur autem de affectiva sensibilitate ascetico-practica, quae, in theoricas regiones minime

(1) Confr. Encyclicam *Pascendi* SS. Pii Papae X, 8 sept. 1907. Item *Conferencias sobre el Modernismo religioso*, P. Ruiz Amado, conf. 4.

conscendens, re tamen in actus piarum personarum irrepit. Consistit vero in exaggerata aestimatione sensibilis affectus in precationibus ceterisque spiritualibus exercitiis, quae assumuntur vel respuuntur, imo, bona vel mala iudicantur, ex solo grato vel ingrato sensu quo animum afficiant, vel ex affectiva subiecti dispositione (16 et 17).

Defectus, seu vitiosae manifestationes huiusmodi affectivae sensibilitatis sunt: magna aestimatio quorundam librorum piarum precum, aut argumenti similis opusculorum, quae hodierni moris (*moda*) dicuntur, necnon imaginum vel picturarum sympathiam excitantium, itemque cultus apparatu vel percutienti ritu peracti; electio confessorum propter eorum amabilitatem vel sympathiam, eorum nempe qui amori proprio moderandorum blandiuntur; praedilectio praedicatorum, qui cordi et phantasiae loquuntur, quique floridas animumque tangentes descriptiones frequentant orationesque de patria vel de regionibus instituunt; sollicitudo in quaerendis consolationibus, sensibilibus amicitiis, et melancholicis blanditiis (17), simul fugientes quidquid amorem proprium aut mortificat aut deprimit; praedilectio quarumdam devotionum, e quibus tamen nullus animae profectus intenditur, etc.

Effectus et sequelae. — Exaggerata haec affectiva sensibilitas, adamussim respondens neurasthenicae huius temporis societatis vivendi modo, magna haec, inter cetera, nocumenta parit: perfunctorium modum vel frivolitatem in piis exercitiis, pseudodevotionem practice creatam, enervationem humanae virilitatis, in omnibus velleitatem atque volubilitatem, nullum denique, in vera virtute progressum, imo potius per declivia sensualismi miserandum descensum (1). Haec experientia docet, atque ita necessario futurum; Deus enim, nullimode vere inquisitus, inveniri non potest, vitaque sensuum in dies suscipit incrementa maiora.

Remedia. — 1° Molem spiritualis aedificationis de

(1) Vid. S. Ioannes a Cruce, *Subida del monte Carmelo*, l. I, c. viii, et l. III, c. xxi.

novo, superque bases firmiores exstruere (109) ; 2° moderatorem et amicos mutare, si nobis istius vitae sensibilitatis sint auctores (44) ; 3° lectionem vitare narrationum atque spectaculorum vehementius permoventem; 4° nihil statuere, nihil perficere ex momentanea impressione, antequam, sedato spiritu, menti serenitas atque libertas adoriatur ; 5° se praemunire, atque invigilare contra quamcumque experiamur sensibilem emotionem, dum rationis atque fidei christianae dictamini non fuerit subiecta.

§ 4. — Moderatio superiorum potentiarum.

133. Ratio huius exercitii purgativi. — Quamvis animae potentiae inferiores a superioribus debent regi atque moderari, hae quoque regimine indigent atque moderatione, quum minime sint totaliter liberae. Voluntas rectae rationis dictamini est subiicienda, ratio vero haudquaquam recta esse poterit, nisi praeceptis divinae legis ab ipsa cognitis aptetur. Licet autem in ordine pure speculativo vel etiam speculativo-practico veritatem intellectus assequatur, ei tamen non semper in operando conformatur, experientia teste, atque confirmante Apostolo ita loquente de philosophis antiquitatis: *Quia cum cognovissent Deum, non sicut Deum glorificaverunt aut gratias egerunt ; sed evanuerunt in cogitationibus suis...* (Rom. I, 21). Rectificandus est ergo intellectus, unaque cum ipso memoria, quae facultas non est ab eo substantialiter diversa. Voluntas quoque submittenda est atque mortificanda ; potentia enim libera cum sit, valet dictamina rectae rationis infringere, huiusque iudicium pervertere, quisque enim ex suis inclinationibus et affectibus iudicare consuevit. Notum omnibus est cuncta peccata ex una voluntate profluere ; *De corde enim exeunt cogitationes malae, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falsa testimonia, blasphemiae* (Matth. XV, 19). Propria voluntas, voluntati divinae non obsequens, fons omnium malorum est, merito dicit S. Bernardus, qui suam senten-

tiam hisce verbis clausit : « Cesset propria voluntas, et infernus non erit » (1).

Animos ergo per semitas perfectionis moderaturi erit defectus expendere, quibus illae potentiae laborare possint, eisque opportuna remedia adhibere, iuxta praescripta inferius adnotata.

134. Defectus in memoria. — Praecipui sunt : 1° Dei, eiusque beneficiorum oblivio, more Israëlitarum in deserto : *Obliti sunt Deum, qui salvavit eos* (Ps. LV); 2° oblivio propriorum munerum atque propositorum, ut contigerat Petro obliviscenti quod paulo ante promiserat, et Christum neganti (Matth. XXVI, 35, 70) ; 3° recordatio rerum atque personarum quae animum distrahunt, phantasiam excitant et pericula constituunt, more israëlitici populi ollas Aegypti recordantis (Exod. c. XVI, 3).

Nec hos defectus excusare valet ratio illa speciosa, quod nemo ex memoriae defectu damnatur ; indubium est enim talem defectum vincibilem esse atque indirecte voluntarium, cum ex negligentia vel ex pigritia procedit (122).

135. Defectus in intellectu. — Plures sunt defectus in quos incidere solet intellectus, etiam apud illos, qui devotae professionis censentur ; en praecipui: 1° ignorantia vel negligentia in propriis muneribus et obligationibus cognoscendis, atque in hac ipsa cognitione perficienda, cuius ignorantiae exstant exemplum filii Heli sacerdotis (I Reg. II, 12); 2° excessiva curiositas in novis captandis inutilibus vel noxiis, atque in assequendis ausu temerario divinis mysteriis, homini mortali impenetrabilibus, uti conabantur Apostoli super adventu Christi Iesu (Act. I, 7) ; 3° iudicii inflexibilitas ac pervicacia contra prudentum hominum iudicium, exemplo Thomae Apostoli in incredulitate sua (Ioan.

(1) *Serm.* 3 in Resurrectione. In memoriam revocetur quod superius (114) de terrena civitate dictum est, ab amore sui aedificata.

c. XX, 25) ; 4° falsa praeiudicia, et praecipitatio in iudicando de rebus atque personis more iudaeorum (Ioan. c. VII, 24), atque levitas in suspicando temere, sicut pharisaeus ille (Luc. VII, 39) ; 5° versutia fallaxque politica, quae carnalis etiam prudentia dicitur, Herodis more (Matth. II, 8).

Ex iis omnibus oriuntur errores atque hallucinationes mentis, quae adeo potentias ceteras non regit, ut ab illis pertrahatur ipsa atque dirigatur. Quoniam vero (praeter casus reipsa morbosos rarosque) cumulus ille defectuum voluntarius est, saltem indirecte, excusari non potest homo eo praetextu, quod intellectus non delinquat.

136. Defectus in voluntate. — Omnium licet peccatorum sit causa voluntas, iuxta Augustini verbum : « Voluntas est qua et peccatur et recte vivitur » (1), directe tamen atque magis proprie ad illam spectant, velut morbi voluntatis proprii, quinque isti defectus : 1° irresolutus ac segnis animus ad virtutis exercitium, iuxta illud Sapientis : *Vult et non vult piger* (Prov. c. XIII, 4); 2° independentia in arbitriis suis, abiecto legis atque prudentum virorum dictamine, quod vera *egolatria* est, ex Samuelis sententia : *Quasi scelus idololatriae est, nolle acquiescere* (I Reg. XV, 23) ; 3° perversitas intentionis, quae vel in ipsis bonis operibus deturpatur, cuius quidem Prophetae incusabant populum Israël : *In die ieiunii vestri invenitur voluntas vestra* (Isai. c. LVIII, 3); 4° bonorum subversio, bonum scilicet delectabile, bono honesto et solido, privatum publico praeponendo, quod improbat S. Paulus : *Omnes quae sua sunt quaerunt, non quae Iesu Christi* (Philip. II, 21); 5° praecipitatio, volubilitas, atque inconstantia, quae passim proposita et studia mutant, prout affirmat Iacobus : *Vir duplex animo inconstans est in omnibus viis suis* (Iac. I, 8).

137. Specialia remedia. — Praedictis morbis curandis duodecim instrumenta perfectionis (37) adhibenda

(1) *Retractationum*, l. I, c. IX, n. 4.

sunt, recte applicata, magisterium praesertim moderatoris, atque oratio assidua, Dominum deprecando cum David: *Bonitatem et disciplinam et scientiam doce me* (Ps. CXVIII); insuper necessaria est passionum moderatio, quae excaecant intellectum voluntatemque depravant (**103**, 2). Iis autem generalibus remediis suppositis, hanc superiorum potentiarum reformationem magnopere iuvabunt tria infrascripta documenta specialia:

1° *Cor et intellectum ad aequilibrium redigere.* — Non adeo intellectus illustrationi studere, ut voluntatis cultura praetermittatur; neque hanc tanto cibo alere tamque incondito ut fulcimento careat rationis illustratae atque persuasae; sed utraque simul, et intellectum scientia et voluntatem seu affectum pietate et charitatem ceterasque virtutes operibus saginare. Ex huius aequilibrii subversione exaltati prodeunt, et vesani, et cupidi vehementer. Cum vero intellectus solide illustratus est atque devictus, ac nihilo tamen minus voluntas seu affectus immobilis perseverat, curandum est in opera erumpere quasi motus ille voluntatis adesset, et ita fiet ut adsit revera [1], aequilibriumque instauretur.

2° *Novitatum cupiditatem cohibere.* — Nova atque rara systemata sectari, leviterque assentiri omnibus quae dicuntur vel ipsi invenimus, errare facit a complanata semita, qua sapientes incedunt atque prudentes, et in illusionem omniumque genus errorum inducit [2]. Mortificetur pruritus ille, atque studeat unusquisque muneribus suis satisfacere, seipsum reformare inque dies ad perfectiora se extendere, hic enim praecipuus labor habendus et cura [3].

3° *Se ipsum cognoscere atque devincere.* — Propria cognitio suique ipsius dominium hominem securum reddunt ab ineptiis ac aberrationibus intellectus, amorisque inordinati [4]. Suam noverit devotus miseriam

[1] EYMIEU, *Le gouvernement de soi-même*, Princ. 2.
[2] Vid. Encyclicam *Pascendi* superius citatam, ubi de causis *modernismi* agitur.
[3] KEMPIS, *De Imitatione Christi*, l. I, c. I et II.
[4] S. BERNARDUS, *De consideratione*, l. II; *Meditationes*, vel *De anima*, c. V.

atque nihilum; malesanam cogitationem assuescat a se quantocius abiicere, sine disputatione; intellectum fidei submittat, voluntatemque ceteris quotidie propter Deum, licet hoc in parvis faciat, et ostia claudet omnibus fere damnis superiorum animae potentiarum. In hac porro sui ipsius dominatione usque eo procedendum est, ut vel ipsum desiderium citius incipiendi opus aliquod vel perficiendi coërceatur, paulisper in principio operis demorando, ut Deo offeratur cum protestatione nihil aliud optandi quam ut fiat voluntas eius sanctissima (1). Haec omnia moderator in animabus suae directioni commissis satagat perficere, illas edocendo atque in rebus exercendo. Conferantur etiam quae dicuntur in *Spirituum discretione* (289).

CAP. III.

Exercitia purgationis passivae.

138. Finis atque varietas horum exercitiorum. — Ex studio praecedentis capituli colligi potest, naturam nostram depravatam innumeris laborare vitiis atque defectibus; quae quidem, uti plurimum, oculos incipientium considerationemque praetervolant, imo et proficientium perfectorumque intuitum aufugiunt. Si res bene perpenditur, vix opus aliquod exsequimur, eorum etiam quae bona existimamus, quod non imperfectionibus bene multis atque peccatis inficiatur propter nostri amorem inordinatum; ita ut animi etiam iam purificati et, quod apparet, a defectibus innoxii mirentur stupentes, si quando Dominus, emisso splendidiori lumine, eorum multitudinem ipsis patefecerit, comparabilem tantum, iuxta S. Theresiae verbum,

(1) Ven. P. Sarnelli, *Pensieri mistici-ascetici*, c. iv, § 12. In hunc totum paragraphum conf. La Puente, *Meditación*, 27; Morotio, loc. cit., c. xvii; Schram, loc. cit, t. I, § 94, 96; Eymieu, *Le gouvernement de soi-même*, Princ. 1.

millibus molecularum quas solis radius in aquae vase portendit (1). Unde fit, ut totus animae labor studiumque, in activa purgatione vitiorum impensum, ad seipsam perficiendam evadat insufficiens ; nec enim ipsa vel proprios defectus emendandos agnoscit, nec ad ipsorum valet radices attingere.

Necesse est ergo ut extrinsecus actio superveniat potentior ac efficacior, omnem latitantem scoriam ex ipsis medullis animi evulsura, quam actionem *purgationem passivam* appellamus (97). Haec autem purgatio nullo modo significat statum spiritualis inertiae vel inactivae tolerantiae, sed indicat tantum actionem purificantem in animam suscipi, quin ipsa quaerat, quamvis positive seu active cooperari debeat, ut postea dicetur. Enimvero, volens Deus in sua admirabili Providentia animam ad se quomodocumque pertrahere, peramanter ei nova atque efficacissima media tribuit, quibus, a creaturis proprioque amore absoluta, Divinae se Maiestati dedat omnino ; quae media eo quidem magis acerba sunt atque purgantia, quo ad maiorem puritatem vult animam provehi, vel quo minus ipsa in activa sui purgatione laboris impenderit, ad litteram hic expieta doctrina, quam S. Augustinus et Doctor Angelicus tradunt de peccato loquentes : quod, nempe, quidquid actioni defuerat, passione atque poenis implendum est (2).

Istae passiones purgativae ordinem non excedunt earum, quae *purgationes sensuum* appellantur (18), imo nec illas, ut quum vehementiores, complectuntur, etiamsi de animabus sit sermo, quae per vias asceticas incedunt. Quod ad animas istas spectat, ad quatuor species reducuntur : *tentationes*, nempe, *ariditates*, *scrupuli*, atque *exteriores afflictiones*. Ut omnibus et singulis proficiat animus, exercitium illud requiritur patientiae (150) atque in divinam voluntatem traditionis,

(1) *Vida*, c. xx, n. 20.

(2) *Summa Theol.*, I-II, q. LXXXVII, a. 1 et 6. — Inter alios conferatur ARINTERO, *Evolución mística*, p. II, c. II, § 2; RIVADENEIRA, *Tratado de la tribulación*, l. I, c. VII; COLOM (José), *Noche oscura de un alma escogida*.

de quo sermo erit in *via illuminativa;* postulant autem singula peculiare studium, quod sequentibus paragraphis paucis expediemus.

§ 1. — De tentationibus.

139. Earum notio atque causae. — Vox *tentatio*, si amplissimo sensu accipiatur, aequivalet probationi seu experimento [1]; iuxta quod Scriptura: *Tentat vos, Dominus Deus vester, ut palam fiat utrum diligatis eum an non in toto corde vestro* (Deuter. XIII, 3). Sed strictiori sensu accepta tentatio est « *quaelibet impugnatio virtutis vel ad peccatum excitatio* » iuxta doctrinam Angelici Doctoris [2]. Qua talis, tentatio non potest esse a Deo, ut patet: *Ipse enim* (Deus) *neminem tentat* (Iac. I, 13); eam autem permittit propter bona, quae inde anima potest eruere (I Cor. X, 13).

Causae tentationum illae sunt, quae vulgo nomine veniunt *inimicorum animae*, scilicet: 1° *caro*, id est, concupiscentia atque perversae inclinationes (103, 2°), ut notat Iacobus: *Unusquisque tentatur a concupiscentia sua abstractus et illectus* (Iac. I, 14); 2° *mundus*, hominum scilicet multitudo, qui doctrinam profitentur Evangelio oppositam [3], Christique discipulos persequuntur: *In mundo pressuram habebitis; sed confidite, ego vici mundum* (Ioan. XVI, 33); 3° *diabolus*, qui duos priores concitat, eisque se contegit occultque iuxta illud S. Pauli: *Non est nobis colluctatio adversus carnem et sanguinem; sed adversus ... mundi rectores tenebrarum harum...* (Ephes. VI, 12). Tentationes diaboli eo distinguuntur, quod a phantasia potius quam ab aliis potentiis vel passionibus incipiant, et irregulares sint atque insolitae.

140. Tentationum commoda. — Magna sint oportet commoda, quae ex tentationibus in animas fideles

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. XCVII, a. 1.
(2) *In 2 Dist.*, 21, q. I, a. 1.
(3) S. Augustinus, *Super Psalmis*, 54.

derivantur, quum Deus illas sanctis omnibus permiserit, uti constat ex actis eorum, ipseque Dominus Iesus in nostram doctrinam et exemplum tentari sit passus (Matth. IV). Haec commoda triplicis sunt generis :

1° *Doctrinae.* — Adiuvant enim propriam cognitionem, debilitatemque atque miseriam animae portendunt : « Petrus, qui ante tentationem praesumpsit de se, in tentatione didicit se », observat Augustinus (1) ; atque piissimus Thomas a Kempis : « Nescimus saepe quid possumus ; sed tentatio aperit quid sumus » (2). Edocent nos quoque aliorum malis mederi, atque illorum misereri, multum enim praestat chirurgo experientia in se ipso facta : *Qui non est tentatus, quid scit? Vir in multis expertus cogitabit multa* (Eccli. XXXIV, 9).

2° *Purificationis.* — Anima per tentationem se melius agnoscens, discet quoque agnoscere defectus, quibus purgare se debeat, ipseque tentationis dolor cathartici loco sibi erit. Patientia ipsa, ad voluntatem Dei conformatio, atque humilitas, in quibus tentatus se necessario exercere tenetur, virtutes sunt cor hominis excellentissime purificantes : *Vasa figuli probat fornax, et homines iustos tentatio tribulationis* (Eccli. c. XXVII, 6). Aliunde, diligentia, quam mens iusti adhibebit in materia tentationis, actusque virtutis oppositae, quos indubitanter proferet, maximi momenti erunt, Dei adiuvante gratia, ad edomandum vitium, seque ab illo expurgandum (114).

3° *Meriti atque perfectionis.* — Assiduum exercitium orationis aliarumque virtutum, in quod ipsa tentationis vi adigitur anima, facere non potest quin et ipsa perficiatur et meritis ditescat : *Nam virtus in infirmitate perficitur* (II Cor. XII, 9). « Nulla sunt enim, dilectissimi, sine tentationum experimentis opera virtutis ; nulla sine perturbationibus fides ; nullum sine hoste certamen ; nulla sine congressione victoria » (3). « Quoties restiteris, toties coronaberis » (4). Excitat,

(1) *Super Psalmis*, 36.
(2) *De Imit. Christi*, l. I, c. XIII.
(3) S. LEO MAGNUS, *Serm.* I Quadrag.
(4) S. BERNARDUS, *Serm.* 5 in Quadrag.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

demum, tentatio hominem iustum, ut caelum ardentius desideret (1).

Unde, *Beatus vir, qui suffert tentationem; quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitae* (Iac. I, 12). Et, quamvis non liceat tentationes propter se ipsas expetere ac desiderare, licet tamen gaudere de utilitate, quam praestant ad perfectionem, prout idem Iacobus Apostolus commendat: *Omne gaudium existimate, fratres mei, cum in tentationes varias incideritis* (Iac. I, 2).

141. Modus resistendi. — Dubitari non licet quin tentationes, nisi devincantur, graves syrtes parent virtutibus, eoque solum uti commoda valeant considerari, quod occasionem quoque faciant exercitio virtutum, quod diximus. In eis obsistendo duo sunt consideranda; certaminis conditiones generales, atque instrumenta sive arma, quibus utendum sit in genere vel in specie, pro casibus.

Certaminis optimae conditiones quoad nos spectat istae sunt: 1° sit *promptum* et absque haesitationibus, secretum enim victoriae est illico resistere tentationum principiis, antequam increscant, arcisque potiantur cordis: « Dum parvus est hostis, interfice » admonet S. Hieronymus (2), et Kempis: « principiis obsta » (3); 2° sit *ardens* sine ignavia, pro nobis enim habemus auxilium Dei, causamque defendimus optimam, hostes vero contra ignavos tantum praevalere possunt: *Resistite diabolo, et fugiet a vobis* (Iac. IV, 7); *Dominus illuminatio mea et salus mea, quem timebo?* (Ps. XXIX); 3° sit *integrum* absque pactionibus, etenim cum irreconciliabili hoste pacisci, etiam de minutissimis quibusque rebus, campum relinquere est, illique palmas tribuere: *Persequar inimicos meos, et comprehendam illos; et non convertar donec deficiant* (Ps. XVII).

Arma quibus dimicandum est, seu media generalia superandarum tentationum sunt: 1° *oratio* ante omnia

(1) S. Augustinus, *De Trinit.*, l. XIII, c. XVI.
(2) *Epist. ad Eustochium.*
(3) *De Imit. Christi*, l. I, c. XIII; Blosius, *Manuale vitae spiritualis*, c. VI.

et super omnia : *Vigilate et orate, ut non intretis in tentationem* (Matth. XXVI, 41) ; affirmatque S. Alphonsus de Liguori « primum medium est oratio, secundum oratio, tertium oratio ; quod si millies me interroges, millies similiter respondebo » (1) ; 2° *vigilantia*, quae semper orationi socianda est, uti admonet divinus Praeceptor ; ipsa enim praevenit impetus inimici, nosque opportune praemunit : *Fili, accedens ad servitutem Dei ... praepara animam tuam ad tentationem* (Eccli. c. II, 1) ; 3° *fuga occasionum*, quae vigilantiam subsequi debet, quasi fructus eius, loquitur enim Spiritus Sanctus : *Qui amat periculum, in illo peribit* (Eccli. III, 27) ; 4° *recursus ad Mariam* quasi Matrem, infantium more, observant S. Alphonsus et S. Franciscus Salesius (2), cum vident lupum vel feram venientem ; simul auxilium Sanctorum Angelique Custodis exposcendo ; 5° *signum crucis*, cuius recordatione exprobrandus est diabolus atque conviciandus, ut enim affirmat Augustinus : « Omnia daemonum machinamenta virtute crucis ad nihilum rediguntur » (3).

Denique, notandum est, si agatur de importunis phantasmatibus contra fidem, charitatem aut castitatem, optimum remedium esse illa parvipendere, mentemque alio suaviter avertere (4). Conferantur quae de phantasia dicta sunt (131), de vitiorum atque passionum expugnatione (108, 115 et seqq.), de recursu ad spiritualem moderatorem, itemque de oratione.

(1) *La Monaca santa*, c. XIII, § 3.

(2) *La Monaca santa*, l. cit. ; S. Franciscus Sal. in *Introduction à la Vie dévote*, p. IV, c. VII.

(3) *De Symbolo*, c. I. Consulantur item citata opera P. Rodriguez, S. Francisci Salesii, P. Lafiguera et alia, in quibus haec argumenta dilucide exponuntur.

(4) Super tentationibus contra fidem consulatur S. Franciscus Salesius in suis *Epistolis*, n. 737 ; contra omnem pravam cogitationem, *epist.* 75.

§ 2. — De ariditatibus.

142. Earum notio et causae. — Dictum est supra (17) siccitatem seu ariditatem animi intelligi defectum devotionis accidentalis, atque in sensibilem spiritualemque distingui. Ariditas, de qua nunc agimus, veluti propria animarum primas spiritus terentium vias, sensibilis est; quae quidem non circumscribitur exercitiis meditationis (68), sed statum spiritus fere constituit, licet transitorium atque aliquibus consolationibus interruptum, omnia pervadens pietatis exercitia, omnesque actus spirituales animae. Illi comitantur identidem tentationes, timores, dubia atque scrupuli.

Ut status ariditatis cum statu tepiditatis non confundatur (122), prae oculis habeantur haec duo signa ex D. Ioanne a Cruce desumpta, huic asceticae ariditati aptabilia [1]: de creaturarum commercio nihil oblectamenti capere (sicut neque in divino commercio), atque dolere et vereri se minus aequo Deo famulari; quae quidem in animabus tepidis minime inveniuntur.

Veluti causae immediatae ariditatis (seiuncta tepiditate) consignari possunt infirmitas seu indispositio aliqua corporalis, quae plus minusve mentem perturbet; inquietudo spiritus propter varias sollicitudines, anxietates et scrupulos, quae forte invaserint animum; atque subtractio specialis gratiae, qua fruebatur anima, in partem affectivam sensus redundantis, quae ideo subtrahitur a Deo, quod homo non bene ea sit usus, vel quod magis ita conferat ad solidiorem animi efformationem atque profectum.

Causa universalis eiusmodi status actio est divinae Providentiae, quae vult illis artibus animos purgare, iam in divino servitio aliqualiter obfirmatos, prout indicant Scripturae, communiterque docent ascetici: *Visitas eum diluculo, et subito probas illum* (Iob VII, *v.* 18). Accidit plerumque in initio vitae spiritualis ani-

(1) *Noche oscura*, l. I, c. IX.

mam caelesti gaudio et consolatione affici in devotis exercitiis peragendis, tuncque Deo permota illis suavibus illecebris magis quam ex divino amore famulatur. Tunc Dominus solet illam ariditatibus probare, ut ab omnibus solvatur impedimentis (1), iuxta verba Christi Iesu : *Expedit vobis ut ego vadam* (Ioan. XVI, 7).

143. Ariditatum utilitates. — Supradictis experimentis intendit misericors Dominus, prout ex doctrina S. Ioannis a Cruce colligitur (2), ut haec commoda capiamus : 1° evidentiorem impotentiae nostrae atque ad vitam devotam ineptitudinis cognitionem ; 2° maiorem existimationem eorum, quae Deus in nobis operatur in ordine ad sanctificationem nostram ; 3° altiorem Dei reverentiam, aestimationemque donorum eius, sine quibus tam inepti reperimur ; 4° abalienationem animi ab omni terreno affectu et a semetipso ; 5° ut Deum in veritate quaeramus eique obsequamur; non enim consolatio Dei, sed Deus consolationis appetendus est nobis atque quaerendus, iuxta sententiam S. Francisci Salesii (3). Inde oritur maior animi purgatio, maiorque virtutis firmitas, dum, parvulorum incipientiumque oblectamentis valedicentes, panem arctum manducamus, ut parati simus citius ingredi vias illuminatas iuxta divinas Scripturas : *Quem docebit scientiam ? et quem intelligere faciet auditum ? Ablactatos a lacte* (Isai. XXVIII, 9) ; *In terra deserta, et invia et inaquosa : sic in sancto apparui tibi ut viderem virtutem tuam et gloriam tuam* (Ps. LXII).

144. Praxis in ariditatibus. — Recensita commoda iis tantum prosunt, qui sciunt illis convenienter

(1) Conf. S. Ioan. a Cruce, op. cit., lib. I, c. VIII; S. Franciscus Salesius, *Introduction à la Vie dévote*, p. IV, c. XIV ; Ven. Agreda, *Mistica ciudad de Dios*, p. II, l. V, c. IV, n. 755; S. Alphonsus, *La Monaca santa*, c. XIII, § 2; P. Arintero, *Evolución mística*, p. II, c. II et III.

(2) *Noche oscura*, l. I, c. XII et XIII. Quamvis Sanctus de Mystica loquatur, eius doctrina attingit pariter materiam nostram.

(3) *Introduction à la Vie dévote*, p. IV, c. XIII.

uti; qui enim, arescente spiritu, inertiae se quasi desperantes committunt, ab arrepta semita miserabiliter retrocedunt, digni sane quos illa formidanda sententia Iesu Christi comprehendat, quae ineptos regni caelestis declarat eos, qui post missam manum ad aratrum respiciunt retro, a bono consilio discedentes (Luc. IX, 62).

Hunc autem purgationis medium ut anima in sui bonum convertat, sequentia teneat documenta: 1° nullum omittat aut imminuat eorum exercitiorum, quibus prius incumbebat, quidquid laboris sit impendendum, curetque in illis patientiam atque possibilem attentionem (68); 2° studeat illos defectus emendare, qui occasionem ariditati esse potuerint atque fidem Domino servare (1), sicut in suis tribulationibus et angustiis faciebat David (Ps. LXXVI); 3° magis assidue incumbere operibus externis, eo ipso quod interna difficiliora evadunt (2); id est operibus misericordiae, vocalibus orationibus moratim factis, lectionibus spiritualibus, etc.; 4° humiliare se coram Domino, proprium nihilum considerando (3), sibique suadendo illum statum sibi tunc maxime prodesse; 5° cum silentio devotionis adventum praestoletur (Thren. III, 26), eleemosynam interim spiritualem, quasi mendicus, ad Dei Sanctorumque fores expostulet; de his vero non loquatur nisi cum discreto moderatore ad solatium atque consilium quaerendum (4). Si ariditas extraordinaria fuerit aut supernaturalis, serventur regulae in Mystica propositae (243).

§ 3. — De scrupulis.

145. Eorum notio et causae. — Scrupulus moralis (de quo hic sermo) est vanus timor conscientiam perturbans, ex quo haec suspicatur aut veretur peccatum adesse ubi re vera non est, vel esse mortale, quod

(1) S. Theresia, *Vida*, c. XIV, n. 6.
(2) Ibid., c. XXX, n. 11.
(3) Ibid., c. XXXVII, n. 4.
(4) S. Franciscus Salesius, *Introduction à la Vie dévote*, p. IV, c. XIV et XV.

solum veniale est. Persona vel *conscientia scrupulosa* ea dicitur quae frequenter scrupulis agitatur. A timorata vel *delicata conscientia* eo differt, quod haec defectus, etiam levissimos, veros tamen, cavet absque ulla perturbatione, contra ac scrupulosa conscientia (1). Proprie loquendo conscientia scrupulosa, non est conscientia, quia caret dictamine practico rationis (quod quidem essentialiter convenit conscientiae morali, de qua loquimur), sed est potius spiritualis morbus, cuius radix est inordinati timoris affectus. Moralis autem infirmitas cum sit, in medium purgationis convertitur, si infirmus recte utatur ea.

Materia scrupulorum multiplex est et varia ; verum in tria haec communiter incidit : 1° in timorem de validitate vel liceitate actuum praeteritorum (confessionum, precum, quas saepius iterat ; auditionis Missae, religiosae professionis, ordinationis sacrae, etc.) ; 2° in timorem de praesenti consensu (in suggestionibus contra fidem, charitatem, castitatem, in distractionibus); 3° in timorem peccandi in actibus futuris, in iis nempe, quae mox praestare debet (propter dubia de liceitate, de intentione posita an non vel vitiata, de non efformata conscientia, propter plures obligationes simul susceptas).

Signa praecipua quibus animus scrupulosus dignoscitur sunt : 1° timores atque considerationes impertinentes de rebus conscientiae quas benemorati non animadvertunt ; 2° frequens iudicii mutatio de bonitate unius eiusdemque actionis propriae ; 3° anxietas atque titubatio in opere exsequendo, de cuius liceitate, sereno spiritu, non dubitabatur ; 4° tenacitas in eisdem dubiis exponendis, prudentum responsis non acquiescendo ; 5° agitatio, angustia atque confusio in explicando conscientiae statu, nullo etiam manifesto peccato in ea comperto. Notetur autem signa haec posse rem aliquam conscientiae respectare vel aliquas vel omnes, darique

(1) Consulantur theologi morales in tractatu de *conscientia*, praecipue S. Alphonsus de Liguori, Bernardi, Lehmkuhl, etc.; item Schram, *Institutiones...*, t. I, p. I, c. II, § 73 et seqq.; Meyer, *Science of the Saints*: v. I, *Man such as he is*, lec. 12.

animas in aliqua materia scrupulosas, quae sint in aliis laxissimae.

Causae scrupulorum ad quatuor reducuntur : 1° subiecti indoles (melancholica, praetimida, minutiarum studiosa, subtilis, psychastenica) (29); 2° ratio praesentis aut praeteritae institutionis (magistri, socii, libri, inepti duces) ; 3° daemon (tentando, causas naturales aggravando, animum angendo, vitam virtuosam nimis exaggerando) ; 4° Deus, Dominus noster, qui morbum istum permittit, vel aliquandiu gratias speciales subtrahit, uti superius dictum est de ariditate. Si ex hac praesertim causa procedant, scrupuli sunt moderati atque breves ; si a prima, sunt tenaciores atque diuturni ; qui ex secunda oriuntur, cessant mutata morali societate ; quos vero diabolus causat, agitatione horribilique extravagantia distinguuntur.

146. Eorum boni malique effectus. — Scrupuli, quibus consociatur animi docilitas prudentis moderatoris mandatis maxima emolumenta adferunt animae : 1° namque illam purificant a vitiosis reliquiis anteactae vitae, atque in posterum affirmant (1); 2° operantur in ea mirae rectitudinis conscientiam atque timorem Dei, velut fundamentum vitae spiritualis adeo necessarium ; 3° in proprii iudicii subiectione, propriaque abnegatione illam exercent, nam iudicio confessarii se subdere cogunt ; 4° excellens sunt purgatorium, verumque martyrium, quod sponte subeunt animae ad vitanda peccata, meritorium valde, abs dubio, cum Dominus etiam animabus altissimae perfectionis permiserit ; 5° adiuvant etiam ad magisterii spiritualis peritiam consequendam, qua deinde ceteri sapienter dirigantur, nam difficile scopum attingit directionis scrupulosorum, qui numquam scrupulis laboravit (2).

E contra, si anima moderatori suo dociliter non obediat, vel si is artis peritiam non assequatur, scrupuli damna inferunt gravissima : 1° *spiritui*, virtutes infir-

(1) S. Franciscus Salesius, *Introd. à la Vie dévote*, p. III, c. II.
(2) Reuter, *Neoconfessarius practice instructus*, p. III, c. XIII, quaest. IV.

mando, fidem praesertim, spem atque obedientiam; orationem destruendo vel impossibilem reddendo, atque in primis exercitium quotidianae meditationis; verum peccandi timorem obliterando, ex tot discursibus atque familiaritate cum ipso; animum immergendo in tristitiam, ariditatem, desperationemque; ipsius naturalis iudicii robur infirmans, in vesaniam saepe idem convertendo; 2ª *corpori*, vires absumendo, morbis exponendo nervosis, digestionem ipsam somnumque impediendo; 3ª *officio* vel *ministerio*, incapacem hominem reddendo ad sacri ministerii aliaque societatis munera rite obeunda, tempus inutiliter absumendo, virtutem ridiculis exponendo, atque molestias sociis moderatoribusque inferendo.

147. Praxis salutaris. — Ut praefata scrupulorum damna vitentur, atque commoda capiantur, quae possunt afferre, necesse est ea mediis oppugnari a doctoribus propositis atque approbatis, quae duplicis sunt generis; alia poenitentem aegrotum respiciunt, alia moderatorem.

Scrupulis laborans curare debet: 1° conscientiam suam sincere moderatori patefacere, eiusque se fidei atque obedientiae caecum committere; 2° pili facere dubia de rebus, in quibus scrupulis impetitur, nolens ea perpendere; 3° contra agere ac spiritus scrupulorum suggerit; 4° causas vitare e quibus nascantur, nec plurium consilia doctorum quaeritare; 5° orationem humilem et confidentia plenam, quin tamen preces repetantur, aut recitandi intentio efformetur, aut tunc consideret attentus sit necne, verba recte proferat an non.

Quoad directorem attinet, opus est ut attendat: 1° se verum patrem scrupuloso exhibere, illum haudquaquam conviciando vel parvipendendo, quidquid molestus sit; 2° resolvere ac praecipere sine ulla titubatione vel dubio, verba vitando iis similia: « prout fuerit in conspectu Dei » vel « ne forte sit... »; 3° in exigenda obedientia inexorabilis sit a rebellibus praesertim, quin tamen eos peccati arguat, si forte non obedierint; 4° nihili facere proposita dubia, nec ulla adiuncta

inquirere de re dubia, quantulumcumque dubium sit, nec dubias accusationes permittere ; 5° poenitentem semel aut bis, ut summum, in hebdomada breviter audire ; 6° remedia edicere poenitenti, quae sibi sint opus, nec regulis atque consiliis eum onerare, unum enim et alterum generale documentum sufficit ; 7° si scrupulosus talis sit, ut in omnibus peccare formidet, urgeat eum per omnia sine reflexione calcare, in quibus prima facie non appareat manifestum peccatum, edoceatque numquam dubitare de recta intentione in operibus bonis, nec illam expresse elicere, semper enim datur (1).

§ 4. — De exterioribus afflictionibus.

148. Notio et causae. — Genus hoc purgationis ex acervo coalescit exteriorum aerumnarum et amissione temporalium bonorum, quae a Providentia divina in purificationem iustorum ordinantur. Ad quatuor capita possumus ea reducere, quot sunt species bonorum quae homo amittere potest : calamitates in bonis fortunae, in amissione personarum, in famae, honoris aut dignitatis detrimento, atque in corporali valetudine. Omnia haec evenire possunt vel ex casibus, qui dicuntur fortuiti, vel ex hominum malignitate, vel ex diabolica operatione ; quae tamen secundae causae considerandae sunt velut a prima Providentia ordinatae ad maius bonum electorum atque purgationem incipientium iuxta verbum illud Apostoli : *Quem enim diligit Dominus, castigat : flagellat autem omnem filium, quem recipit* (Hebr. xii, 6), et illud Amos prophetae : *Si erit malum in civitate, quod Deus non fecerit ?* (Amos iii, 6).

149. Earum commoda. — Frequentissima est in divinis Litteris atque in SS. Patrum scriptis haec notio,

(1) Conferantur citati auctores, Reuter praesertim opus, p. III, c. xiii integrum.

quod omnes praesentis vitae calamitates, atque labores omnes, qui speciem habent punitionum divinarum, artes sunt Providentiae Dei ad bonum nostrum ; e contra vero secundum D. Hieronymum (1), magna ira Dei est non irasci in hac vita contra peccatores. Hocce magnum beneficium ex iis utilitatibus constat, quas afferunt supradicti labores : 1° *piaculo* sunt uti fratres Ioseph confitebantur : *Merito haec patimur, quia peccavimus in fratrem nostrum* (Gen. XLII, 21) ; atque bonus latro : *Et nos quidem iuste, nam digna factis recipimus* (Luc. XXIII, 41) ; 2° *correctionis* atque *emendationis*, iuxta Ieremiam : *Castigasti me, et eruditus sum, quasi iuvenculus indomitus* (Ierem. XXXI, 18) ; 3° *separationis* cordis a creaturis, vertitur enim in virtutem necessitas, cum dicitur more Iob : *Dominus dedit, Dominus abstulit...* (Iob I, 21) ; 4° *maioris accessus* atque vicinitatis ad Deum, ut fatetur S. Gregorius Magnus : « Mala quae hic nos premunt, ad Deum nos ire compellunt » (2), quod quidem in Israël factum est : *Cum occideret eos, quaerebant eum, et revertebantur, et diluculo veniebant ad eum* (Ps. LXXVII) ; 5° *rapidi progressus* in via Dei, iuxta sententiam David : *Sicut sagittae in manu potentis, ita filii excussorum* (id est, tribulatorum) (Ps. CXXVI). Quae omnia et vita Sanctorum testatur, et quotidiana experientia confirmat.

150. Praxis. — Haec emolumenta ut ex tribulationibus capiantur, requiritur : 1° ut animus illis non frangatur, imo vero spe potiorum bonorum erigatur, *Non enim sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis* (Rom. VIII, *v.* 18) ; 2° ut non immediatas causas malorum aspiciamus, licet ab hominum malignitate vel mundanorum conviciis procedant, sed sursum oculos coniiciamus in Deum, Patrem amantissimum, qui haec omnia in salutem nostram evenire perficiet (Hebr. XII, 7), sicut aestimabat David, probris a Semei expetitus

(1) *Super Psalmis*, 140.
(2) *Moralium*, l. XXVI, c. IX.

(II Regum XVI, 10), atque caelestis Praeceptor noster (Ioan. XVIII, 11); 3° cohibeatur indignatio atque tristitia, actus conformitatis eliciendo cum Iob et pio Latrone (1). Ac, neque dicto opus est, in iis adiunctis quam maxime piis exercitiis instandum esse, orationi, sacramentis, etc., quibus animae christianae quam maximis consolationibus afficiuntur (2).

SECTIO II.

VIA ILLUMINATIVA

—

151. Huius sectionis materia. — Institutae methodo insistentes, in hanc sectionem res omnes referemus viae illuminativae, quae ad praxim asceticam pertinent; quae quidem tractationem practicam amplectitur christianarum virtutum, praemissis generalibus notionibus huius viae propriis, una cum documentis, quae directori prae oculis sunt habenda, ut animas moderetur, ista via procedentes. Quoniam vero virtutes illae duas species virtutum complectuntur, alias, quae Deum respiciunt, et dicuntur *theologicae*, alias vero, quarum immediatum obiectum est bonum rationale humanum, et appellantur *morales*, inde efflorescit huius Asceticae sectionis in tria capita divisio, scilicet: *notiones ac documenta*, *virtutes morales*, atque *virtutes theologicas*.

(1) Cfr. S. ISIDORUS, *Synon. liber*, I, ubi animae afflictae status cum remediis late describitur.

(2) Conf. GRANADA, *Guia de pecadores*, l. II, c. XVII, § 6; RODRIGUEZ, *Ejercicio de perfección*, p. I, tr. VIII, c. XVI et seqq., et p. II, tr. I, c. XIII; RIVADENEIRA, *Tratado de la tribulación*, l. I, c. XII et seqq.; S. ALPHONSUS, *Pratica di amare Gesù Cristo*, cc. V, XXIV et XXVII; MONS. DE SÉGUR, *A ceux qui souffrent. — Consolations.*

CAP. I.

Notiones atque directionis documenta.

152. Capitis huius materia. — Quoniam anima per viam illuminativam, magis quam per purgativam, proprio graditur pede, consequens est ut minus egeat opera moderatoris, ideoque sufficiat pauca generalia monita huic suggerere ut proficientium moderationem recte exsequatur. Inde brevitas huius capituli, cuius obiectum ipsa satis epigraphe capitis significatur : quin ideo sit opus illud in paragraphos, velut caput simile praecedentis sectionis, distinguere. Alias, notiones atque documenta in Mystica generali consignata, una cum iis quae pro via purgativa sunt posita, moderatorem satis illustrare possunt, ut nullis aliis indigeat documentis, praeter ea, quae in capitulis subsequentibus adiunguntur, cum singularum virtutum studium perpenditur. Iis tamen non obstantibus, necessarium arbitramur quosdam hic generales aspectus viae illuminativae indicare, qui in ipsis titulis numerorum marginalium adumbrantur.

153. De statu proficientium. — Secundus hic status vitae spiritualis ideo respondet viae illuminativae (20 et 21), quod, pluribus anima ditescente divinis illustrationibus ac inspirationibus, atque semotis in via purgationis obicibus, impedientibus quominus illustrationes illae actus vitales spiritus informarent atque dirigerent, actus hi sunt magis supernaturales et expediti quam in principio, indeque fit ut anima reapse progrediatur in via, atque in virtutibus perficiatur : iure igitur progressus seu status proficientium viae illuminativae respondet.

In hac secunda aetate spiritualis vitae ignis charitatis paulatim succrescit atque in anima diffunditur velut in ligno, opera purgationis atque desiccationis in priori aetate peractis bene disposito (99) ; restat illi

tamen depurativus quidam labor peragendus, fumigantem adhuc vanitatem et subtilem sui amorem in visceribus ligni latitantem exstinguendo, donec operetur perfectam sui transformationem in prunam ardentem, sicque possit statum assequi perfectissimum, quum anima viam unitivam ingrediatur. Huic purificationi operam quoque conferunt eaedem fere causae exteriores, quae in via purgativa (138).

Status igitur proficientium primario distinguitur ex progressu in virtutibus, a charitate informatis atque impulsis, superioribus illustrationibus dirigentibus et nutrientibus, quae ex Patre luminum procedunt (Iac. I, *v.* 17) ; secundario constat novis depurgationibus animi, quoadusque proprius amor per summam sui ipsius abnegationem subdatur omnino. Proficiens tamen in aliqua levia peccata scienter labitur, inscienter in multa.

Quoniam vero virtutes in hoc statu non tantam assequuntur stabilitatem et facilitatem ut ex omni parte sint perfectae, neque amor sui rationi aeque ac fidei totaliter subiicitur, ideo non confunditur proficientium gradus cum gradu perfectorum, qui utroque iam fructu gaudent, iuxta illud S. Augustini : « Nutrimentum eius (charitatis) est diminutio cupiditatis ; perfectio, nulla cupiditas » (1).

154. De animabus quae hac via gradiuntur. — Ex dictis colligitur eas tantum animas per vias illuminatas incedere, quae, iam a peccatis purgatae, edomitisque, in iis quae potissima sunt, passionibus, student atque contendunt virtutes, nondum in perfectum evectas, excolere. Cum vero progressus iste virtutum passibus fiat intellectus atque voluntatis, animae-

(1) *De diversis quaestionibus*, q. XXXVI (edit. Migne, vol. 6). Nostro quidem iudicio, proficientium status, qualis modo a nobis descriptus est, statui respondet, quem beata Theresia *Moradas terceras* appellat, *primis* atque *secundis* respective respondentibus initio et fini viae purgativae ; quoad unitivam viam, ei respondent diversi gradus contemplationis, qui, ut mystici, a *Morada cuarta* incipiunt, quosque aliquo modo imitatur activa contemplatio ascetica, ab eadem beata Theresia admissa aeque ac monstrata, ut infra dicetur (192).

que, ut in pluribus, virtutem suam per aliam harum potentiarum magis quam per aliam explicent, inde quatuor distinguuntur proficientium catervae : *animarum*, scilicet, *intelligentia praestantium, animarum affectu* magis *pollentium*, et *animarum regulatarum et activarum*, quibus addenda videtur caterva *animarum consistentium*.

Animae intellectuales illae sunt quae, descriptis qualitatibus praeditae, notionibus et illustrationibus spiritualium divinarumque rerum potiuntur, quas in lectionibus, in meditationibus, in quotidianis ministeriis, vel extemplo etiam, quandocumque et quomodocumque sunt assequutae, in ipsis etiam veritatibus cognitis novos horizontes prospicientes interdum. Horum hominum meditatio illustrationibus magis quam affectibus solet abundare, eorumque distractiones ex idearum associatione vel ex memoria spiritualium ministeriorum, quibus funguntur, maxime procedere solent. In iis inveniuntur religiosi atque sacerdotes permulti, alias exemplaris vitae, multique studiosi homines bene morati.

Animae affectivae vocari possunt illae, quae aliqualiter edoctae, affectibus propensiores sunt, atque motionibus potius quam notionibus aguntur. Animae istae identidem ferventissimae apparent, sed quoniam revera amorem sui non debellaverunt, neque in id totis nervis insudant, magnus earum fervor quasi aestus est atque effervescentia temporaria, atque in peccata venialia frequentius incidunt quam priores, verumtamen, lapsu cognito, resipiscunt. Huius generis sunt moniales permultae, gravesque foeminae, sincereque devotae.

Animas regulatas et activas eas dicimus quae, non ita ut praecedentes idearum vel affectuum abundantia fruuntur, at vitam vero suam perfecte regulant, et acri diligentia operibus vacant charitatis et zeli, quin in adimpletione erga propriam familiam domesticorum officiorum ullo modo deficiant. Sunt, scilicet, eae animae quas S. Theresia ut fideles omnino in proprii muneris praestatione depingit [1] ut infra dicimus (222).

[1] *Moradas*, III, c. I, n. 8.

Huius generis exempla, inter religiosos vitae activae et pios saeculares, qui vitam methodicam agunt, non est difficile invenire.

Animae consistentes (hispanice *detenidas*) in hac via sunt illae quae ex more operantur, atque res omnes semifaciunt, mediocriter laborantes ; quoniam vero, et orationi magis aut minus fideliter incumbentes, et periculosas occasiones devitantes, non solent in gravia prolabi, proprie non retrogradiuntur. Parvus earum nisus in proficiendo, incassum cedit propter pravas inclinationes, propter ignaviam, astusque proprii amoris, unde fit ut nullum pene gradum faciant in semita virtutis, totam sic vitam ducentes. Non pauci ecclesiastici atque religiosorum omnis generis multi in horum numero recensentur, qui maxime proficerent, si altiora inhiarent, magisque assidue orationi vacarent.

155. Proficientium labor. — Ista via gradientium labor et opera non in eo est, sicut plurimi arbitrantur, ut pia opera multiplicentur atque ea mutentur, quibus intendebant [1], multoque minus ut mortificatio suique abnegatio deseratur, praecipuus eorum labor dum per viam purgativam incedebant ; sed in hoc adlaborandum praecipue ut opera sua intensive magis quam extensive perficiant [2]; ut, scilicet, pia exercitia intentiori mente exsequantur, ut munera quotidiana puriori et simpliciori oculo peragant, spiritu Christi altius informent, atque in virtutis cuique magis necessariae assecutionem totis nervis intendant.

Cum igitur maximus atque peculiaris proficientis labor in eo ponendus sit ut virtutes ad apicem usque assequatur, quae quidem variae sunt atque multae, opus est ut librum atque exemplar prae oculis habeat, in quo omnes simul atque perfecte eluceant, ne periculum subeat oberrandi per labyrinthos divisionum

[1] Morotio, *Cursus vitae spiritualis*, p. II, c. I, § 2; S. Franciscus Salesius, *Vrais Entretiens spirituels*, XIII; *L'Esprit de S. François de S.*, p. VI, n. 4.

[2] P. Faber, *Progress.*, c. I, signum 2um, etc.

virtutum ab philosophis propositarum : speculum istud et librum et exemplar invenit homo in vita Domini nostri Iesu Christi, qui de se ipso dicit : *Ego sum via et veritas et vita* (Ioan. XIV, 6). Quae verba ita D. Bernardus commentatur : « Via in exemplo, veritas in promisso, vita in praemio » (1). Hanc vero S. Bernardi doctrinam cum sanctorum Augustini, Leonis, Cyrilli aliorumque Patrum doctrina concordando (2), affirmare licet in virtutibus proficientem comperturum esse in Christo Iesu : *viam*, propter exempla virtutum omnium perfectissima quae Dominus offert ; *veritatem*, propter doctrinam infallibilem ex ore eius super omnibus virtutibus procedentem ; *vitam* denique, propter fontem aquarum viventium, gratiam scilicet (Ioan. IV, 14), quae ab illo emanat, qua quidem anima vivet fructusque multos afferet, sicut palmes permanens in vite (Ioan. XV, 4) (13 et 36).

Quamvis anima via gradiens purgativa virtutum quoque exercitia fuerit amplexa, quarum actibus ad vitia profliganda utebatur ; eas tamen indirecte tantum excolebat atque imperfecto modo, ab Angelico Doctore *virtus purgatoria* appellato (3). In via vero illuminativa directe quaeruntur, ac altiori modo exercentur, in genere nempe *purgati animi*, ut loquitur idem Angelicus Magister (4).

Animi purgatio per sui ipsius victoriam, qui labor est incipientium potissimus, in via illuminativa perdurat, hac tamen differentia, quod hic quaeritur per culturam quarumdam virtutum, quae praefatam purificationem efficaciori modo perficiunt ; active, nempe, humilitate, castitate atque obedientia, passive autem patientia, mansuetudine, etc. (5).

(1) *Serm.* 2 de Ascens. Domini.

(2) Vid. CORNELIUS A LAPIDE, *Comm.* in Ioan., c. XIV, v. 6 ; item, *Brev. Rom.*, lect. III noct. de Comm. Mart., temp. pasch.

(3) *Summa Theol.*, I-II, q. LXI, a 5.

(4) Ibidem.

(5) Certamen istud virtutum contra vitia mire describitur a S. ISIDORO, *De conflictu vitiorum et virtutum* (*Opera*, t. II, p. 549, edit. Matriti, 1778).

156. De gradibus virtutum. — In virtutum exercitatione proficienti per gradus ascendendum est, qui pro singulis assignantur, quum earum studium in duobus capitulis sequentibus instituimus : generatim tamen possunt ii tres gradus omnibus assignari : 1° virtutis exercitium tempore pacis, atque in communibus vitae casibus ; 2° illius obfirmatio tentatione atque persequutione instantibus, virtus enim in adversitate probatur, sine qua nullius pene pretii ducitur (**140**, 3) ; 3° continuatio in earum exercitatione, latenter, tempora licet nubila fuerint, quod quidem indicium est perfectae virtutis (1).

157. Media proficiendi in hac via. — Passus, quibus in semita spirituali progredimur, non alii esse possunt quam actus virtutum (**36**) ; ut ii autem certi sint vereque progressivi, mediis opus est, quae voluntatem excitent atque confirment. Haec media duplicis sunt generis : *generalia* et *specialia*. Specialia, cuique virtuti propria, in suis capitulis et numeris notabuntur, cum virtutes singulas expendemus ; generalia in prima operis parte sunt proposita (**37** et seqq.). Horum applicatio ad viam illuminativam monitis sequentibus subiacet, ubicumque tenendis.

1° *Meditatio*, super fidem magis stabilienda est et imitationem Iesu Christi, qui lumen est mundi, via, veritas, et animae vita ; eius materia crebrius desumenda est de vita, passione atque morte Iesu Christi, de eius doctrina, parabolis, miraculis, etc., itemque de privilegiis B. V. Mariae atque Sanctorum ; fructus ex illius exercitio captandus debet esse imitatio alicuius singularis, et omnium generatim virtutum : ordo seu methodus adhibenda illa erit, quae conditionibus personarum magis consentanea videbitur, verum communiter fiet in modum sermocinationis plus minusve discursivae et affectivae cum Maiestate divina, partimque cum Beatissima Virgine.

2° *Examen particulare* versari debet super aliquo

(1) Morotio, op. cit., p. II, c. II, § 2.

gradu vel modo virtutis acquirendo, cuique magis necessario, vel de eliciendis tot actibus virtutis mane, tot autem vespere, aut, si alia materia desit, fiat de servanda fidelius in dies praesentia Dei.

3° *Cetera exercitia* mortificationis, orationis, precum, etc., hunc scopum attingere pertentent, ut virtus maxime cuique necessaria obtineatur, audito moderatoris consilio, atque Christum Iesum quantum nobis fas est imitemur.

158. Imitatio Iesu Christi. — Cum cardo sit spiritualis vitae, illuminativae prae ceteris, imitatio atque sectatio Christi Iesu (**9, 36, 103** et **155**) aequum est ut in hac angulari notione tantisper insistamus, modum generalem indicantes eam ad praxim educendi.

Christi imitatio non est merum consilium hominibus propositum ad perfectionem assequendam, sed capitale munus et obligatio est christifidelium, dulcissima simul atque utilissima occupationum, cui tota hominum vita consecranda est. Inter innumeras Sacrae Scripturae atque SS. Patrum sententias, quae hanc veritatem confirmant, sequentes, praeter eas, quae superius allatae sunt, iuvat nunc inserere.

1° *Munus est capitale.* — *Discite a me* (Matth. XI, 29); *Exemplum dedi vobis* (Ioan. XIII, 15); *Induimini Dominum Iesum Christum* (Rom. XIII, 14). Pater caelestis uti suos solum agnoscet eos qui Unigeniti sui imaginem referant: *Quos praescivit et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui* (Rom. VIII, 29). « Quis est immaculatus? ait S. Ambrosius, non utique qui in quacumque via ambulat, sed qui in Christo ambulat » (1).

2° *Dulcis occupatio.* — *Et invenietis requiem* (Matth. c. XI, 29); *Ut gaudium vestrum sit plenum* (Ioan. XVI, vv.22,24); *Haurietis aquas in gaudio de fontibus Salvatoris* (Isai. XII, 3). Atque, ut meditatur D. Anselmus: « Iesu bone! quam dulcis es in corde cogitantis te et diligentis te: dulcior in eo quod humilis, quam in eo quod

(1) *In Ps. 118*, sermo I.

sublimis » (1). Magnam reputant homines gloriam et honorem reges atque duces imitari, eorumque cominus vestigia premere.

3° *Exercitium utilissimum. — Si vis perfectus esse..., veni, sequere me* (Matth. XIX, 21); *Vos qui ... sequuti estis me, ... sedebitis super sedes duodecim* (Matth. XIX, v. 28); *Crescamus* ergo *in illo per omnia, qui est caput, Christus* (Ephes. IV, 15). « Haec mea sublimior philosophia, scire Iesum, et hunc crucifixum », fatetur D. Bernardus, adiungens in meditatione atque imitatione virtutum Iesu Christi totam se perfectionem atque felicitatem constituisse (2).

Praxis huius imitationis atque sectationis haec postulat: 1° meditari excellentias atque attributa Christi Salvatoris (155) necnon cognomina, quibus voluit insigniri, ut amorem nostrum reverentiamque captaret; Patris, scilicet, Magistri, Medici, Pastoris, Regis, etc. (86); 2° prae oculis habere, quam frequentissime possit, imaginem atque memoriam Domini, ad imitationem et hortationem Sanctorum, Bernardi praesertim (3), Theresiae (4) aliorumque plurimorum; 3° inter agenda saepius se ipsum interrogare: Faceret haec Iesus? quomodo faceret? etc., inde normam actionum nostrarum sumendo, atque nostras suis actionibus consociando; 4° mentem oculosque, si liceat, crebro in SS. Sacramentum vel Crucifixum coniicere, maxime aliqua tribulatione vel contradictione superveniente, in ipso enim omnium difficultatum solutionem inveniemus (5); 5° enixe Iesum exorare ut dextram benigne nobis porrigat ut cominus eum sequamur, sine quo nihil facere valemus (Ioan. XV, 5), simulque maternum Cor Mariae obsecrari ut modos eum imitandi nos ipsa doceat, adiuvetque perficere.

(1) *Medit.*, 12.
(2) *Sermo* 43 in Cantica Canticorum.
(3) Loco citato.
(4) *Vida*, c. XXII, n. 2.
(5) S. THERESIA, *Moradas*, VII, c. IV; CHAFFANJON, *Le Crucifix*, Introd. et c. IX.

159. Directoris labor. — Minime omissa applicatione normarum generalium supra expositarum (35), proficientium moderatori triplex hic labor et cura specialiter adscribitur : edocendi, aedificandi, virtutumque aedificium sustentandi.

1° *Edocere.* — Quoniam poenitentis informatio in via purgativa non potuit esse perfecta, in hac via illuminativa continuanda est, in iis praesertim quae ad meditationem virtutumque exercitationem spectant. Edocendus est poenitens modum meditandi vitam Iesu Christi, qui in duobus praecedentibus numeris est expositus, modumque excolendi virtutem sibi magis necessariam. Huius autem rei negotium maximum in eo est, ut dignoscatur quaenam sit virtus illa ; seligenda enim est quae ex diametro opponatur defectibus atque terrenis affectibus animum poenitentis inficientibus, vel ea quam sentiat animus se vehementius desiderare, vel quae officio aut vitae rationi magis aptari videatur (1).

2° *Aedificare.* — In via purgativa fundamenta strata sunt spiritualis domus ; in via vero illuminativa tota aedificatio impigre et assidue erigenda est. Operam istam adiuvat moderator sensim a poenitente removendo affectiunculas illas atque terrenorum superfluitates, quae virtuti excolendae officiant, huius exercitium per occasiones et opportunitatem promovendo. Curet etiam ut moderatus de ea examen particulare instituat, eiusque rationem accurate reddat. Invigilet quoque intentionem eius in operando, eamque rectificare pergat atque perficere, habebit enim in illa amussim et perpendiculum, quorum ope moles aedificii ad fastigium recta consurgat. Cum anima fervoribus afficiatur multa peragendi, caveat moderator ne operibus indiscretis illa se dedat, prae oculis habens quae de hac re in via purgativa sunt praescripta (**110**).

3° *Sustentare.* — Facile paulatim fabrica defluet spiritualis, si negligatur eam reficere ac sustentare, ab elementis destructoribus defendendo, quae in proficien-

(1) S. Franciscus Salesius, *Introd. à la Vie dévote*, p. III, c. I ; Morotio, op. cit., p. II, c. III, § 3.

tium gradu sunt tentationes in primis, et pietatis consuetudo, id est, habitus quidam pia exercitia exsequendi ex more tantum quotidiano sine ulla mentis applicatione, facile eos commaculans, qui iamdiu eisdem vacant spiritualibus exercitiis, si praesertim ea cum aliis communiter exsequuntur; qui defectus initium tepiditatis, ut minimum, esse solet. Iis mediis oppugnatur, quae de divagationibus dicta sunt (**68**). Insuper instruendus est moderator considerationibus atque monitis, quibus animum discipuli sustineat maxime in ariditatibus atque deiectionibus spiritus, quae solent in via illuminativa varia vicissitudine cum fervore et animi arrectione misceri. In memoriam revocentur, quae de tentationibus et ariditate dicta sunt (**141** et **144**), et quae de fortitudinis atque patientiae exercitio monebimus (**162** et **168**).

160. Huius viae diuturnitas. — Ut notatum est, cum de via purgativa ageretur, gradus isti usque eo perdurant generatim, donec virtus firmiter stabilitur respectu status cuiusque viae proprii; unde dicemus animam viam unitivam non ingredi donec eius virtus ita perfecta sit ut *prompte, faciliter* et *constanter* operetur (1) saltem in ordinariis eventibus (**156**), atque a terrenis affectibus amoreque proprio ita solvatur, ut etiam primos atque inopinatos motus vix adortos reprimere pergat.

Rem vero magis definientes, affirmare liquet perpaucos esse, qui viam illuminativam transcendant, eo quod vera magnanimitate careant atque directione (2), citiusque viam unitivam ingredi posse eos, qui pacatae conditionis sunt atque a strepitu rerum saecularium segregati (3).

(1) Haec sunt signa specifica, iuxta auctores, perfectae virtutis, etiam quae heroica non sit. Conf. Billuart, *Cursus Theol.*, tract. de pass. et virt., dist. 2, a. 4, § 2.

(2) Godinez, *Práctica de la Teol. Mist.*, l. VII.

(3) Kempis, *De imit. Christi*, l. I, c. II, et l. III, c. XXXI, etc.

CAP. II.

Virtutes morales.

161. Huius capitis argumentum. — Quamvis ad ascetam pertinet studium virtutum, ut in eis exerceatur, ceterosque dirigere valeat, labori tamen parcere potest perpendendi theoricas earum notiones, divisiones atque proprietates, quas theologi atque philosophi perpendunt, suppositaque doctrina illa speculativa, practicis deductionibus incumbere potissimum, ut propositum sibi finem obtineat. Haec nobis meta in capite praesenti; adspectum practicum earum moralium virtutum solummodo perquiremus (151), quae frequentius atque maxime in via ascetica usuveniunt, theoricas notiones solummodo perstringentes, quae nostro proposito conveniant [1].

Quoniam vero virtutes omnes morales ad virtutes cardinales reducuntur, vel eas circumstant, breve studium nostrum hoc continebitur: virtutes cardinales eisque adnexarum excellentiores percurremus, in singulis expendentes cuiusque actus sive gradus praestantiam, atque media ad earum assequutionem. Inter haec autem media, quasi praecipua, semper enumeranda sunt *oratio* et *examen particulare* (cetera quoque num. **37**), de quibus tamen nullum hic nobis verbum, ne usque ad nauseam repetamus, quae suo iam loco sunt exposita (Part. I, c. III).

162. Prudentia. — Prudentia, virtutum moralium prima atque nobilissima, definitur a S. Basilio: *Vera eorum quae agenda sunt cognitio* [2], atque a D. Thoma:

[1] Super iis consulatur *Summa* D. Thomae (II-II) auctoresque, qui in ea fundantur: interque eos laudati ascetici Morotio, Scaramelli, Schram, etc., ex quibus praecipua huius capituli doctrina desumpta est.

[2] *Homilia* 12 ad populum.

Recta ratio agibilium (1). Duas species habet: prudentiam *monasticam* seu privatam, qua quisque se ipsum dirigit, atque prudentiam *gubernativam*, qua ceteros dirigimus; quae iterum tot species amplectitur quot sunt multitudines seu societates regendae. Inter partes seu virtutes integrales prudentiae ponuntur potissime *circumspectio*, quae rerum adiuncta perpendit, atque *cautio*, quae pericula praevenit.

Actus perfectae prudentiae sunt: 1° deliberatio sive consilium, quod quisque secum ipse evolvit vel ab aliis etiam illustratus, super mediis ad opus aliquod adhibendis; 2° iudicium ac discretio ad medium eligendum aptius pro adiunctis rerum et personarum; 3° imperium sive firma resolutio ad exsequendum id, quod post rectum consilium atque iudicium aptius visum est. Hic postremus actus opus virtutis constituit, nam simplex consilium atque rectum de rebus iudicium etiam apud impios interdum inveniri possunt, defectusque resolutionis seu imbecillitas *imperii* causa est tepiditatis atque ordinis moralis tam privati quam publici subversio.

Eximia prudentiae *praestantia* multis rationibus atque testimoniis evincitur: *Posside sapientiam, posside prudentiam*, ait Sapiens (Prov. IV, 5), atque diversis verbis commendat: *Scientia sanctorum prudentia* (Prov. c. IX, 10); *Ambulate per vias prudentiae* (Prov. IX, 6); *Acquire prudentiam, quia pretiosior est argento* (Prov. c. XVI, 16). Atque Christus ipse: *Estote ergo prudentes sicut serpentes* (Matth. X, 16). Nihil etiam a SS. Patribus cnixius commendatur quam discretio atque prudentia ut perfectionem assequamur; atque ideo S. Bernardus: « Prudentia est, inquit, quaedam moderatrix et auriga virtutum, ordinatrix affectionum et morum doctrix. Tolle hanc, et virtus vitium est » (2). Quorum omnium haec est ratio, quod prudentia ceteras regit virtutes atque moderatur, terminosque definit, intra quos virtutes morales continentur, quarum extrema in vitium vertuntur.

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. XLVII, a. 5.
(2) *Sermo* 49 in Cantica Canticorum.

Media quibus illam tam moderator quam discipulus assequi possunt, in hac summa colliguntur : 1° studium cuiusque munerum, casuumque, qui in eis evenire solent, peritorum quoque iudicio atque consilio illustratum ; 2° praecipitationem, impetusque comprimere, nullumque novum consilium suscipere, dum animus cuiuslibet passionis impetu agitetur ; 3° simplicitate prudentiam temperare ne in astutiam degeneret, ideo recta cum intentione cuncta perficere : *Prudentes sicut serpentes et simplices sicut columbae* (Matth. x, 16). Simplicitas duplicitati et hypocrisi opponitur (1).

163. De iustitia. — Iustitia stricte sumpta *est virtus, qua ius suum cuique tribuimus*, et in *legalem, distributivam* atque *commutativam* partitur. Illi sociantur quasi virtutes adiunctae, *religio, pietas* atque *obedientia*, de quibus subinde sermonem instituemus.

Actus atque officia potissima iustitiae proprie dictae triplicis sunt generis : 1° *in superioribus*, rationabiliter imperare, legum observantiam zelare, bona munera praemiis compensare, licentiam atque perturbationes cohibere atque punire, munera denique atque officia aptis dignisque subiectis tribuere ; 2° *in subditis*, legibus obtemperare, proque viribus bonum commune tueri atque provehere, illud privato bono anteponendo ; 3° *in aequalibus*, iura ceterorum servare, atque damna iniuste illata reparare.

Eius praestantia iteratis Dei praeceptis nititur : *Reddite ergo quae sunt Caesaris, Caesari* (Matth. xxii, 21) ; *Reddite ergo omnibus debita ; cui tributum, tributum,... cui honorem, honorem* (Rom. xiii, 7) ; *Indicabo tibi, o homo, quid sit bonum, et quid Dominus requirat a te: utique facere iudicium, et diligere misericordiam* (Mich. c. vi, 8).

Quae quidem praestantia iis testimoniis roboratur,

(1) Consulenda pulcherrima simplicitatis descriptio a S. Gregorio Magno facta in lib. X *Moralium* c. xvi, quae iacet in *Brev. Rom.*, 2 Noct. Com. Conf. non Pontificum, 2 loco.

quibus cordatus quisque vir saepius unanimiterque illam extollit, adeo ut Ecclesiae Doctor S. Petrus Chrysologus asserere non dubitaverit, eum tantum fore ut valeat eius splendorem obscurare, qui solis radios sit ausus exstinguere : « Qui potest celare radios solis, iustitiae poterit occultare fulgorem. Iustitia a Deo genita, caelum spectat, in oculis agit divinis ; supernis virtutibus mixta, semper a Deo solo ut glorificetur exspectat » (1). Cuius haec est ratio, quod iustitia omnibus fiat satis, atque vitam liceat pacificam transigere: *Iustitia et pax osculatae sunt* (Ps. LXXXIV, 11).

Media perfectae iustitiae obtinendae sunt : 1° cor a terrenarum pecuniarum cupiditate abalienare (117) ; 2° nulla dona suscipere pro iure dicendo, loquitur enim Dominus : *Munera excaecant oculos sapientum, et mutant verba iustorum* (Deut. XVI, 19) ; 3° ex timore Dei agere, qui nobiscum se geret, qualiter nos cum proximis : *In quo enim iudicio iudicaveritis, iudicabimini : et in qua mensura mensi fueritis, remetietur vobis* (Matth. VII, 2) ; 4° suborientem invidiam protinus conterere (121) ; 5° misericordiam et dilectionem omnibus indiscriminatim impertire, atque magnifice se gerere cum iis quibus quoquomodo nocumento fuerimus, more Zachaei (Luc. XIX, 8).

164. De religione. — *Religio*, ut virtus spectata, *ea est qua debitum cultum Deo exhibemus.* Virtus est iustitiae adiuncta (seu pars eius potentialis) a qua tamen eo differt quod inaequalitas est inter debitum atque redditum, eoque conveniunt quod alteri debitum solvit, quoad fieri potest. Ratione obiecti, actus scilicet cultus in honorem Dei, est virtutum omnium moralium excellentissima.

Actus eius praecipui sunt : 1° devotio, qua homo se divino famulatui mancipat (17) ; 2° adoratio, qua Deo debitum honorem atque subiectionem exhibet ; 3° oratio et laus, quibus eum deprecatur et laudat (45) ; 4° sacri-

(1) *Sermo* 9, super illud Matthaei : *Attendite ne iustitiam vestram...* (Matth. VI, 1).

ficium atque oblationes, quae sunt obsequia Deo, supremo omnium Domino, reddita de rebus sensibilibus cum earum respectiva destructione vel immutatione, vel integris rebus ; 5° vota, quae sunt promissiones de rebus honestis cum voluntate se obligandi ; 6° sacramenta, resque sacrae aut actus externi, qui ex institutione divina aliquam conferunt gratiam ; 7° iuramenta atque exorcismi sub debitis conditionibus, omnesque demum ecclesiasticae caerimoniae.

Huius virtutis *excellentia* ex obiecto patet ; agit enim de famulando Deo, qui est Rex regum et Dominus dominantium (Apoc. XIX, 16) ante cuius thronum angeli sanctique omnes procidunt adorantes (Apoc. V) cum quibus et nostras voces coniungimus, ut cantat Ecclesia in Missae praefatione. Insuper, nihil aequius quam per externum cultum recognoscere atque protestari nos omnia a Deo accepisse, cui omnia reddenda sunt, nosque omnia, quae nobis sint opus, ab ipso sperare. Religio vinculum est arctissimum omnium populorum, atque publicae moralitatis quam aptissimum instrumentum : ea vero sublata, omnia in divisionem desolationemque abeunt, nullus potest alteri fidem habere, qui enim Deo debita non exsolvit nullum pignus certe praestat adimplendi debita proximis. Omnia denique bona, quae devotioni, orationi, atque cultui suis locis attribuuntur, religioni sunt assignanda, unde virtutes illae procedunt.

Media ad religionis virtutem obtinendam sive perficiendam haec sunt : 1° illius necessitatem maximamque praestantiam intelligere ; 2° eius actus exercere, quibus et lux et solatium in animos influit ; 3° in adversis, quae frequenter animum pulsant, ad Deum confugere, nulla enim homini consolatio maior, quam ea quae ex religiosis actibus capitur, quo fit ut etiam ardentius adamentur ; 4° humanos respectus proterere, religiosum se per actus externos palam atque viriliter exhibendo, ex. gr., prae foribus ecclesiarum caput discooperiendo ; 5° pios mores tenere atque fovere mensae benedicendae, Rosarii cum familiaribus recitandi, prae oculis atque in illustrioribus domus locis re-

ligiosas imagines, depictasque tabellas ostendendi, etc., et alicui familiari munus committere ut precationibus praesit, ne oblivioni mandentur.

165. De pietate. — Virtus haec, si ipsius natura spectetur, nihil est aliud quam *perfecta inclinatio parentibus, propinquis atque patriae debitum servitium obsequiumque praestandi.* Exstensive autem dicitur etiam pietas *ipsa religionis virtus quatenus Deo, veluti Patri, venerationem servitiumque exhibet.* Huic consimilis est *observantia,* qua maiores reveremur eisque obsequimur, eis, nempe, qui aliqua dignitate vel excellentia potiuntur.

Actus pietatis proprie dictae in iis continentur quae in quarto divinae legis praecepto nobis iniunguntur: *dilectio*, scilicet, *reverentia* atque *auxilium*, quando parentum vel proximorum necessitas id postulet: quibus adde mutuam sufferentiam, curamque illis non displicendi, nisi causa iusta adsit displicentiam doloremque permittendi. Cum obligatio Deo obsequendi intercesserit, tunc usurpanda veniunt verba pueri Iesu ad parentes suos: *In iis, quae Patris mei sunt, oportet me esse* (Luc. II, 49).

Harum virtutum *praestantia* in diversis Sacrae Scripturae locis commendatur tum praeceptis latis, tum praemiis oblatis, tum exemplis Christi Iesu aliorumque propositis, tum maledictionibus in transgressores promulgatis: *Honora patrem et matrem ... ut longo vivas tempore, et bene sit tibi in terra* (Deut. V, 16); *Coram cano capite consurge, et honora personam senis* (Levit. c. XIX, 32); *Honorifica sacerdotes* (Eccli. VII, 33); *Maledictus qui non honorat patrem suum et matrem* (Deut. c. XXVII, 16). Sine his virtutibus impossibilis est recta hominum institutio, quae apud penates incipienda atque solidanda est; nec iustitiae et caritati aequalium poterit facere satis, qui pietatem erga superiores non excoluerit.

Media assequendae pietatis haec teneantur: 1° maiores uti Dei ministri habeantur; 2° in memoria scripta maneant beneficia ex eis accepta, quantaque pro nobis

sint passi (Eccli. VII, 29, 30) ; 3° vereamur ne nos, si talia transgrediamur, poena talionis comprehendat, quum in similibus adiunctis versemur. — Quoniam vero pietati legitimae contrairet agendi ratio, quae alteri superiori virtuti vel obligationi contradiceret, vitanda est nimia parentibus obsequentia vel adhaesio: 1° in status electione ; 2° in sacris ministeriis obeundis; 3° quoties ipsi perfectionem impediant, nisi maiora mala ex resistentia timeantur.

166. De obedientia. — *Obedientia est virtus qua homo praecepto superioris subiicitur, cum voluntate illud adimplendi.* Quamvis superiorum plurimae sint species, una tamen datur virtus obedientiae, cuius ratio formalis est auctoritas, quae in superiore residere dignoscitur, quaeque a solo Deo manare potest. Non agitur ergo de subiectione servili, sed de submissione rationabili atque morali praeceptis eius, qui minister Dei est atque vicarius, nam *Non est potestas nisi a Deo... Itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit* (Rom. XIII, 1, 2).

Eius *gradus* sunt : 1° praeceptum integre ac prompte exsequi ; 2° propriam voluntatem superioris voluntati conformare ; 3° proprium iudicium subiicere, nec alias rationes quaerere aut attendere [1] ; 4° praeceptum non exspectare sed ad nudum voluntatis iudicium superioris obedire ; 5° subiicere se superioribus asperis (I Petr. c. II, 18) vel in arduis rebus et proprio amori repugnantibus.

Obedientiae *praestantia* vel inde patet, quod per eam Deo offerimus atque immolamus nobilissimam intimamque nostri portionem, voluntatem, nempe, atque iudicium ; unde, testante Samuele (I Reg. XV, 22), melior est obedientia quam victimae ; item ab omni operum nostrorum imputabilitate absolvimur, obedientia enim optima erit apud Deum excusatio, dummodo ea, quae, obedientia suggerente, exsequimur, ipsius Dei praeceptis repugnare evidenter non apparuerit : inde

[1] Rodriguez, *Ejercicio de perfección*, tomo III, tr. V, c. IV et seq.; S. Ignatius, *Carta de la obediencia.*

tranquillitas atque sancta libertas et spiritualis laetitia, quae obedientiam consequuntur [1], quippe per ipsam nobis voluntas Dei manifestatur : *Qui vos audit, me audit* (Luc. x, 16). Insuper, et ditissimum meritorum fontem aperit nobis obedientia, nam mercede digna reddit opera etiam communissima, atque ex se indifferentia, cum propter obedientiam superiori explentur, atque obedienti occasiones imo necessitatem parat multis se virtutibus exercendi ; ideo affirmat S. Theresia « nullam esse viam quae citius ad perfectionem ducat quam obedientia » [2], atque a S. Augustino « maxima virtus appellatur, et, ut ita dixerim, omnium origo materque virtutum » [3]. Absque illa ordo et pax impossibilia fiunt in communitatibus. Denique, satis sit in eius laudem meminisse beatum Paulum in una obedientia totam Iesu Christi vitam breviasse, dicens : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem crucis* (Philip. c. II, 8), Domino ipso asserente illam esse cibum suum praedilectum (Ioan. IV, 34).

Media huius virtutis obtinendae sunt : 1° in superiore non nisi vicarium Iesu Christi contemplari, oculos avertendo a defectibus, quibus forte ut particularis persona laboret ; 2° improperanter considerare excellentiam et commoda obedientiae, damnaque et angores ex illius defectu provenientia ; 3° vitam Iesu Christi meditari, sanctorumque de hac virtute exempla meminisse.

167. De fortitudine. — *Fortitudo dicitur virtus illa, quae animum moderatur ac roborat ad magna discrimina, mortis praesertim, vel sustinenda vel adeunda.* Duplex, ex D. Thoma, est huius virtutis officium : *sustinere et aggredi* [4] ; magna, scilicet, incommoda perferre quae in Dei servitio obvenire contigerit, atque prudenter ob eamdem causam pericula etiam mortis

(1) S. Theresia, *Fundaciones*, c. v, n. 9.
(2) *Ibid.*, n. 8.
(3) *Contra adversarios legis et prophetarum*, l. I, c. xiv.
(4) *Summa Theol.*, II-II, q. cxxviii.

adire. Adiunctae sunt fortitudini virtutes *confidentiae*, *magnanimitatis*, *patientiae*, ac *perseverantiae*. De patientia post fortitudinem agemus, de confidentia vero cum de spe sermo erit.

Actus praecipui huius virtutis, non quidem ad pericula mortis eam circumscribendo, sed eam ad ardua quaeque extendendo, quae mentes hominum deterrere solent, hi sunt: 1° humanos respectus despicere, quoties gloriae divinae opponantur; 2° timores infirmitatum, pestis, paupertatis, etc., parvipendere, cum munus aliquod intercesserit obeundum; 3° ardua facinora pro Dei gloria suscipere, cum in eis divina voluntas aperte apparuerit; 4° viriliter contra inimicos sanctarum causarum, imo contra totius averni potestates dimicare; 5° non animo deiici propter casus adversos atque clades ipsas, sed in Domino confortari, viresque totas denuo exserere; 6° vitae ipsius periculum facere pro Deo, ad martyrium usque; 7° spiritus tranquillitatem inter haec bella servare usque eo dum animus in illis congaudeat.

Huius virtutis *praestantia* vel inde apparet quod heroum virtus sit, virorumque apostolicorum propria, quae in illorum actis praefulget: *Quis ergo nos separabit a charitate Christi? Tribulatio? an angustia? an fames? an nuditas?... Certus sum enim quia neque mors, neque vita ... neque creatura aliqua poterit nos separare a charitate Dei, quae est in Christo Iesu, Domino nostro* (Rom. VIII, 35-39); *Alii vero ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres: lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt* (Hebr. XI, 36). Virtus, aliunde, hisce temporibus quam maxime necessaria, ne fallacem insectantemque mundum timeamus: *Viriliter agite et confortamini* (I Cor. XVI, 13).

Media ad animi firmitatem atque audaciam eadem futura sunt quae sanctos inflammarunt atque confirmarunt: 1° gratia Dei, quae nobis semper aderit: *Omnia possum in eo qui me confortat* (Philip. IV, 13); 2° exemplum Christi: *Nondum enim usque ad sanguinem restitistis* (Hebr. XII, 4); 3° vitae piorum christianorum consideratio: « Tu non poteris quod isti et

ALLEN'S COLLEGE LIBRARY

istae ? », dictum est Augustino [1] ; 4° spes requiei et coronae sempiternae : *Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitae* (Apoc. II, 10) ; 5° verus zelus, considerando praesertim quantum laboris impendant mundani: *Et illi quidem ut corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam* (I Cor. IX, 25); 6° cautio ante pericula atque praemunitio : *Ecce praedixi vobis* (Matth. c. XXIV, 25) ; 7° assuescere mala quotidiana impavide tolerare, ut ad maiora exerceamur : *Qui fidelis est in minimo, et in maiori fidelis erit* (Luc. XVI, 10).

168. De patientia. — *Patientia est virtus, quae mitigat turbationem atque tristitiam de malis praesentibus supervenientes, ita ut propter illa homo a rectae rationis dictamine non recedat.* Pars eius est *longanimitas*, qua praesentia mala longo tempore tolerantur pacifice.

Gradus per quos augetur patientia sunt : 1° exteriora tristitiae signa cohibere, lamentationes, querelas, amplificatas malorum narrationes, etc., vitando ; 2° interiorem animi tristitiam, vixdum apparuerit, moderari, cordis turbationem sedando ; 3° tribulationes etiam cum gaudio sustinere, ut de Apostolis legitur, qui *ibant gaudentes a conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliam pati* (Act. V, 41); 4° supervenientibus tribulationibus, plures etiam desiderare, exemplo S. Francisci Xaverii, cuius haec erat vox : *Amplius, Domine;* 5° dolores passionesque esurire semper et sitire adeo, ut animus illis non saturetur, more seraphicae Theresiae exclamantis : *Aut pati, aut mori.* Tres postremi gradus illuminativam asceticae viam transcendunt, atque ad viam unitivam perfectorum pertinent.

Huius virtutis *praestantia* atque necessitas patefit ex necessitate et commodis tribulationum (**149**), ex levamine quod in laboribus affert, ex meritis quibus anima cumulatur, ex maxima, quam operatur, cum Christo similitudine: *Patientia vobis necessaria est: ut voluntatem Dei facientes, reportetis promissionem* (Hebr. X, 36). Quoniam vero dolores tribulationesque passim subire

[1] *Confessionum*, lib. VIII, c. XI.

tenemur, semper oportet nos patientia munitos esse, quod saepissime Sanctis Scripturis admonemur : *Patientes igitur estote, fratres, usque ad adventum Domini. Ecce agricola exspectat pretiosum fructum terrae, patienter ferens...* (Iac. v, 7). *In patientia vestra*, dicit Dominus, *possidebitis animas vestras* (Luc. xxi, 19).

Media obvia, quae possunt in nobis patientiam operari, praeter enuntiatos stimulos, haec sunt : 1° Iesum inspicere : *Aspicientes in auctorem fidei et consummatorem Iesum, qui, proposito sibi gaudio, sustinuit crucem* (Hebr. xii, 2). Crucifixum ergo intueamur [1] ; 2° vitam sanctorum perlegere, quantaque passi sunt et quo animo considerare : « O quam multas et graves tribulationes passi sunt Apostoli, Martyres » etc., ait Kempis [2] ; 3° in matutina oratione offerre Domino eius diei labores atque dolores, advenientesque cruci Salvatoris eos adiungere, in nullo deficientes (150).

169. De temperantia. — *Virtus est, quae corporales delectationes moderatur, gustus praesertim et tactus, ut rectae rationis dictamen non excedant.* Species eius sunt *abstinentia*, *sobrietas* et *castitas*, inter adiunctas vero virtutes eminent *mansuetudo* et *modestia*, sub diversis huius formis, quarum alia est *humilitas*. Cum de omnibus fere, saltem indirecte, actum sit, quum de sensuum atque potentiarum moderatione sermonem instituimus, castitatis, humilitatisque tantummodo mentio fiet, post temperantiae tractationem.

Gradus, per quos ad horum omnium virtutum perfectionem ascendendum est, tres sunt praecipui : 1° tanquam peregrini (I Petr. ii, 11) ab omnibus abstinere oblectamentis sensibilibus, quae spiritui nocere possint, nihil in eis praeter necessarium quaerendo ; 2° deinde tamquam mortui (Coloss. iii, 3) indifferentes nos habere debemus ad ea, quae sensui placeant vel displiceant, nec verbis, nec cogitatione ea evolvendo ; 3° denique

(1) S. Theresia, *Moradas*, VII, c. iv.
(2) *De imitatione Christi*, lib. I, c. xviii. Vid. P. Raymond, *Le Guide des Nerveux et des Scrup.*, p. II, c. iii et seq.

tamquam Christo confixis (Galat. v, 24), ea sunt quaerenda, quae carni sint acerbiora, acriterque in omnibus sectanda mortificatio, quae valetudini tamen non officiat vel proprium cuiusque officium impediat.

Intelligitur *excellentia* temperantiae ex vitiorum oppositorum dedecore (118-120), necnon ex dignitate hominis bene morati (102); *propter crapulam multi perierunt; qui autem abstinens est, adiiciet vitam* (Eccli. XXXVII, 34). Denique commoda partim affert, quae de castitate praedicantur (170).

Media, assequendae temperantiae tria maxime afferuntur: 1° consideratio eorum, quae de illius excellentia sunt proposita; 2° memoria exemplorum Iesu Christi atque Sanctorum, quorum recordatio vel lectione excitari potest vel propositis ob oculos picturis quae illos inter mensas repraesentent; 3° mortificationis exercitium, aliis, si fas est, ciborum curam relinquendo, nihil exquisiti aut privilegii in eis exoptando, iuxta morem S. Ioannis a Berchmans dicentis: « Mea maxima poenitentia, vita communis ».

170. De castitate. — Iis, quae de temperantia dicta sunt, atque de luxuria superius attigimus (118) etc., velut complemento sint hae de castitate notiones. Est autem castitas *virtus, quae carnis voluptates ita compescit, ut nec corpus eius spurcitiis contaminetur, nec mens eius impuritatibus maculetur.* In tres species dividitur: *virginalem,* videlicet, *coniugalem* atque *vidualem;* itemque, iuxta allatam definitionem, in *externam* et *internam.*

Eius excellentiam decantat triplex, quam assequitur, victoria, nempe: 1° triumphus divini amoris de amore terreno, per illam etenim, maxime si interposita religione obfirmetur, anima omnes amores suos Domino consecrat, unde tota doctrina de castitate, atque virginitate praesertim (I Cor. VII, 34), nihil aliud est quam doctrina orationis ac unionis cum Deo (1); 2° trium-

(1) La Palma, *Camino espiritual.* Conferatur maxime super hoc Mons. Gay, *Les Vertus chrétiennes,* t. II, s. X, *De la Chasteté.*

phus rationis de appetitu sensibili, ipsa namque vehementissimus omnium superatur appetitus, amissumque per originale peccatum rationis imperium, instauratur; 3° triumphus animae de corpore; castitas namque corpus castigat atque in servitutem redigit (I Cor. IX, 27), quo etiam animae spiritualitas atque immortalitas comprobatur: belluae etenim se ipsas non castigant, nec sibi ipsis dominantur. Perpendantur e contra animi strages in eo in quo memorati triumphi invertuntur.

Media huius virtutis servandae atque perficiendae tria sunt: 1° *fuga* (occasionum, phantasmatum, sensibilis affectionis); 2° *frenatio* (carnis, gulae, proprii amoris); 3° *elevatio* mentis (ad pulchritudinem amoremque Dei, ad gaudia spiritualia et aeterna). Recolantur quae superius dicta sunt de phantasia (**131**) atque sensuum moderatione (**124** et seq.).

171. De humilitate. — Humilitas est *virtus, qua homo, propriae vilitatis conscius, ultimum locum tamquam sibi proprium appetit.* Amicabiles ei sociae sunt *exterior modestia* et *mansuetudo.* Posterior haec in irae moderatione, illa vero in exterioris hominis compositione, consistit (**119-129**). Humilitas est quasi interior modestia, quae humilitatem *intellectus,* et *cordis* seu *voluntatis* amplectitur, prout vel in sola propriae miseriae cognitione consistat, vel in affectu voluntatis ultimum locum sibi vindicantis: utraque in allata definitione perstringuntur; prior tamen medium est tantummodo ad secundam, in qua virtus haec maxime consistit. Mentis humilitas nihil aliud est quam *vera sui ipsius cognitio,* quo sensu recte dicitur *humilitatem esse veritatem* (1).

Gradus huius virtutis tres ponuntur a S. Bonaventura, videlicet: minimam de se existimationem facere, desiderare alios de se ipso humiliter sentire, totamque gloriam reddere Deo, cum inter hominum honores

(1) S. Theresia, *Moradas,* VI, c. x, n. 6. — Sed considerare est, verbum beatae (in loco citato) non humilitatem intellectus tantum respicere, neque enim dicit: « humilitas est veritas » ut communiter ei adscribitur, sed « *humilitatem esse, in veritate ambulare* », quod sane humilitatem omnimodam complectitur.

plaususque versetur (1): materiam vero minutatim expendentes, quo facilius gradatim ad eius fastigium conscendere liceat, sequentes gradus distinguere possumus: 1° intima persuasio nihil a nobismetipsis habere praeter nihilum atque peccatum, omniaque in nobis bona sive naturalia sive supernaturalia a Deo emanare, a quo omnino pendemus; 2° abiecte de se sentire indignumque se existimare, cui Deus mercedem faciat bonorum, quae misericorditer elargitur, querelam omnem et cogitationem contrariam avertendo; 3° hominum aestimationem et laudem non appetere, sed cordi habere ut Deo tribuatur omnis honor et gloria, cogitationes adversas statim reiiciendo; 4° patienter ferre oblatas communes humiliationes, eis sapienter utendo; 5° non se laudibus deliciose oblectari, motus complacentiae, vel adorientes, iugulando; 6° desiderare nesciri et pro nihilo reputari vel parvi pendi; 7° dolere de tributis sibi honore atque laudibus, ea velut hostes infensissimos effugiendo; 8° abiectissima quaeque munia, pauperrimam supellectilem, postremum in omnibus locum, quasi sibi debita, concupiscere; 9° os in magnis contradictionibus non aperire, in obiurgationibus, etiam iniustis, et in calumniis se non purgare; 10° in ludibriis atque persecutionibus gaudere, eaque esurire; 11° practice sibi persuadere propriam inutilitatem atque nequitiam, omnes superiores sibi atque meliores arbitrando; 12° vere se quasi stercus terrae existimare ac veluti ab infernis egressum, uti se S. Franciscus a Borgia considerabat. Quinque vel sex priores gradus ad statum pertinent proficientium, posteriores vero hominum sunt perfectorum.

Humilitatis *eximia praestantia* inde patet, quod Dominus Iesus Christus magistrum illius imaginemque dignatus sit se ipsum ostendere, dicens: *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (Matth. xi, 29), fuerat enim virtus illa penitus ignota philosophis antiquis. Mira quoque de ipsa Dominus edixit documenta. *Re-*

(1) Conferatur opus laudatum P. Rodriguez, ubi doctrina haec magistrali more exponitur p. II, tr. III.

cumbe in novissimo loco (Luc. XIV, 10) ; *Qui se humiliat exaltabitur* (Matth. XXIII, 12) ; *Qui maior est in vobis, fiat sicut minor* (Luc. XXII, 26) ; *Dicite : servi inutiles sumus* (Luc. XVII, 10). Aliunde, Sancti humilitatem spiritualis aedificii fundamentum censent (1) ; optimam dispositionem ad caelestia dona suscipienda, nam *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (Iac. c. IV, 6) ; praeclarum praedestinationis signum (2), puerorum est enim regnum caelorum (Marc. X, 14), puer autem, iuxta doctrinam Christi Iesu, prout asserit Augustinus (3) est humilis ; virtutem, quae una cum mansuetudine pacem animo parat (Matth. XI, 29), et hominum corda attrahit (Eccli. III, 19), etc.

Media eius assequendae praecipua in hac summa continentur : 1° propriam cognitionem meditari iuxta brevissima illa S. Bernardi quaesita : « Quid fuisti ? Quid es ? Quid eris ? » (4) ; 2° praefatas humilitatis excellentias et exempla Christi considerare ; 3° interiora humilitatis exercitia frequentare in oratione praesertim, se ipsum conviciando, necnon exteriora exercitia coram proximis, iuxta illam S. Bernardi doctrinam : « Humiliatio via est ad humilitatem, sicut patientia ad pacem, sicut leccio ad scientiam » (5). Conferantur dicta super inani gloria atque superbia (**115**, **116**).

CAP. III.

De virtutibus theologicis.

172. Huius capitis argumentum. — Virtutes de quibus hucusque egimus, mere naturales esse possunt, et humanae rationi, licet non perfecte, assequibiles. Ut

(1) S. BERNARDUS, *Serm.* I de Nativ. Hunc etiam Augustini conceptum videre licet in *Brev. Rom.*, lect. III Noct. de Communi Abb., 2 loco.
(2) S. GREGORIUS M., *Moralium*, l. XXXIV, c. XVIII.
(3) *Sermo* 353 (edit. Migne, alias 20, inter Homilias 50).
(4) *Formula honestae vitae*, p. II.
(5) *Epistola* 87.

perfectionem assequantur virtutes morales a charitate sunt informandae, unde ceteris virtutibus theologicis consociantur, uti probant doctores (1). Virtutes vero theologicae sua ipsa natura supernaturales sunt, atque ad christiane vivendum semper necessariae (2); directe tamen et specialiter in via illuminativa excoluntur, uti de moralibus virtutibus dictum est (155). Semita ista, prout notatum est, illustrationibus atque afflatibus in animam proficientis provenientibus distinguitur (153); iam vero illustrationes illae ad fidem pertinent, afflatus autem atque impulsus a spe procedunt, unaque cum eis ignis charitatis corde, prius renitente, sensim potitur. Ideo de virtutibus theologicis, quae etiam viam illuminativam directe spectant, in ea agendum est, nec ad viam unitivam, uti plerisque placet auctoribus, earum studium oportet reservari.

In hoc tamen theologicarum virtutum brevi ac simplici studio, quod essentialiter practicum esse debet, nostrum erit cuiusque virtutis naturam et fundamentum expendere, eius proprietates, actus, ad spiritualem vitam praestantiam, necnon media praecipua ad earum acquisitionem (3), iis praesuppositis, quae de mediis generalibus sunt tradita (37).

173. Fides. — Fides est *virtus supernaturalis et infusa, qua veritatibus a Deo revelatis assentimur.* Eius fundamentum est veritas divina, quae nec falli nec fallere potest. Dicitur *viva*, si charitas illam comitetur; *mortua* vero, si credentis anima gratia et charitate Dei orbetur. Veritates revelatas cognoscimus auctoritate Ecclesiae, quae earum custos cum sit, uti revelatas proponit, novimus autem Ecclesiam veritatem possidere ex notis divinis, quibus insignitur. Notae illae sunt *motiva credibilitatis* (miracula, prophetiae, martyrum testimonium, eius doctrinae puritas, subli-

(1) S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, q. lxv, a. 2.
(2) *Ibid.* q. lxii, a. 3.
(3) Consulantur auctores in praecedenti capite allati, Morotio, Schram, Scaramelli, Gay, etc.

mitas atque miranda consonantia ; mundi totius inter obstacula tanta conversio ; ipsius Ecclesiae contra tot adversantes inimicos stabilitas, etc., etc.), quae quidem omnia tam evidentia sunt atque praepotentia, adeoque animos devincunt, ut hypothetice cum Richardo de S. Victore liceat inclamare : « Domine, si error est quod credimus, a Te decepti sumus » (1).

Proprietates, quibus vera fides insignitur, in hoc incidunt, ut sit 1° *simplex,* non quidem humanis rationibus innixa, sed sola auctoritate divina, secus enim, asserente S. Gregorio Magno (2), omni merito caret ; 2° sit *firma* minime titubans, utpote indefectibili fundamento sustentata : *Sed firmum fundamentum Dei stat* (II Tim. II, 19) ; 3° sit *invicta*, et triumphans ita ut nullis impugnationibus aut persecutionibus pedem retro moveat : *Haec est victoria, quae vincit mundum, fides nostra* (I Ioannis V, 4).

Actus fidei proprii, in quos animus erumpere debet, sunt : 1° interius omnia credere, quae docet sancta Mater Ecclesia ; 2° haec eadem palam coram omnibus exterius profiteri ; 3° doctrinam fidei quoque diffundere, quoad possit ; 4° illam a maledictis, conviciis et oppugnationibus impiorum strenue defendere ; 5° pro fide omnia tolerare, vitamque ipsam fundere pro Christo.

Huius virtutis *praestantiam* commendat ipsius ad placendum Deo necessitas (Hebr. XI, 6) atque necessitas ad salutem : *qui enim non crediderit, iam iudicatus est* (Ioan. III, 18), item commendant miri effectus ex ipsa in animam orbemque totum emanantes : *Per fidem* (sancti) *vicerunt regna, operati sunt iustitiam, adepti sunt repromissiones* (Hebr. XI, 33 et seqq.). Super omnia autem haec ad progrediendum in christiana perfectione opus est omnino ut in fide semper innitamur, nam, testante Apostolo, *iustus ex fide vivit* (Rom. c. I, 17). Atque subdit Chrysostomus : « Est enim fides origo iustitiae, sanctitatis caput, devotionis principium,

(1) *Lib. I de Trinit.*, c. II.
(2) *Homil.* 26 in Evang. (V. *Brev. Rom.*, lect. III Noct. in Dom. in Albis).

religionis fundamentum » (1). Fides, denique, iuxta D. Bonaventuram, « dux est ad terram promissionis perducens » (2); iuxta Augustinum « oculus est quo impervia humano intellectui percipimus » (3).

Media in fide proficiendi sunt : 1° actus fidei quotidie elicere Symboli recitatione vel aliter, tunc maxime quum ab hoste contrariis cogitationibus oppugnari persentimus (oportet autem eas parvi pendere, si importuniores sint) ; 2° Deo gratias agere quod in sinu Ecclesiae catholicae nos vivere concesserit, atque de hoc gaudere ; 3° motiva credibilitatis atque fidei bona recordari ; 4° saepius item considerare humanae rationis imbecillitatem, opinionum atque institutionum hominum mutabilitatem, necnon philosophorum fide destitutorum aberrationes stupendas ; 5° christianam degere vitam, nam fidem opera fovent, sine quibus exstinguitur interdumque penitus disparet (Iac. II, 26). Horum mediorum quasi necessarium complementum illa accedunt, quae superius proposita sunt, ad animae superiorum potentiarum medendum infirmitatibus, quae quidem infirmitates omnium haeresium causa sunt (**135** et seq.).

174. De spe. — Definitur: *virtus supernaturalis seu infusa, qua in Deum, velut in ultimum finem tendimus, securi de eius assequutione atque de mediis ad id conducentibus.* Media illa sunt gratia Dei, necnon opera bona, ipsa adiuvante, facta. Eius securitatis fundamenta sunt divina promissa, quorum adimpletionis pignora exstant Dei fidelitas, omnipotentia, bonitas et misericordia, necnon merita Iesu Christi. Spei amicabiliter sociantur *timor Domini* (de quo subinde dicemus), *Dei confidentia,* quae ipsa spes est ad perfectum evecta, atque filiali magis animo exculta, et *sui ipsius diffidentia,* quae spei proprietates consequitur.

Spei proprietates cum fidei proprietatibus conveniunt,

(1) *Homil. de fide Abrahae.*
(2) *Diaeta salutis*, tit. 5, c. III.
(3) *Enarratio in Ps. 90*, sermo 2, n. 13; *Epist.* 120 (alias 222) c. II, n. 8.

ut sit, scilicet: 1° *simplex,* in solo Deo, minime vero in nostris viribus aut industria innixa (licet merita quoque nostra requirantur), non enim sufficientes sumus vel cogitare aliquid, quasi ex nobis, sed sufficientia nostra ex Deo est, a quo cuncta nobis bona procedunt (II Cor. III, 5); 2° *firma* atque secura, omnia enim possumus in eo qui nos confortat (Philip. IV, 13); 3° *timens* ac reverens Deum, nihil ultra Dei placitum ausa, ne in praesumptionem degeneret, cui res perperam vertantur (I Mach. V, 67).

Actus, quibus manifestatur et augetur sunt: 1° caelum desiderare; 2° orare et laborare huius assequendi gratia; 3° confidere se, auxiliante gratia Dei, de tentationibus, persecutionibus, aerumnisque omnibus, incolumem et victorem evasurum, de divina Providentia certissimum; 4° divinae voluntati semper et ubique acquiescere; 5° contra omnem etiam spem sperare (Rom. IV, 18), illud verbum patientissimi Iob usurpando: *Etiamsi occiderit me, in ipso sperabo* (Iob XIII, 15).

Huius virtutis *praestantia* ex eius necessitate et mirabilibus effectibus comprobatur: *Qui timetis Deum sperate in illum... Respicite, filii, nationes hominum: et scitote quia nullus speravit in Domino et confusus est* (Eccli. II, 9 et seq.); *Fortissimum solatium habeamus qui confugimus ad tenendam propositam spem; quam sicut anchoram habemus animae tutam ac firmam* (Hebr. VI, 18); *Qui autem sperant in Domino mutabunt fortitudinem, assument pennas sicut aquilae, volabunt et non deficient* (Isa. XL, 31). Uno verbo: spes animam elevat, consolatur, ditat, securam reddit atque confortat.

Media spem erigentia sunt: 1° aliquando eius fundamenta atque commoda considerare; 2° desideria caelestium frequentare, adspectu firmamenti, festivitatibus sanctorum etc. excitata; 3° omnia nobis advenientia, etiam adversa, assuescere velut a Deo emissa aestimare, qui vertet in bonum nostrum (I Petri V, 7).

175. De timore Dei. — Quamvis timor Dei non sit virtus proprie dicta, multarum tamen ponitur origo

atque fundamentum virtutum, *estque affectus quidam reverentiae, ex quo anima omne id adversatur, quod eam a Deo possit avertere.* Triplex dignoscitur: *servilis, filialis* atque *reverentialis*, prout vel poena timeatur (unde vitatur culpa), vel culpa seu iniuria Dei, vel ipsa Dei maiestas omnis venerationis digna, in cuius conspectu virtutes caelorum contremiscunt (1).

Qualitates, quibus timor sanctus a falso pravoque timore secernitur, hae sunt praecipuae: 1° timor sanctus *ingenuus* est ac nobilis, non vero abiectus et fictus, a peccato sincere abhorrens; 2° est *quietus* atque pacificus, animum minime deturbans aut evertens; 3° est *transcendens* atque diligens, mores hominis recte ac solide informans: *Timor Domini sanctus, permanens in saeculum saeculi* (Ps. XVIII, 9).

Actus timoris Dei, aut, si mavis, effectus eius in anima sunt: 1° vitae anteactae resipiscentia; 2° de praesentibus culpis confusio atque compunctio; 3° de actibus suis vereri, culpasque omnes, vel levissimas, vitare, iuxta illud Iob: *Verebar omnia opera mea, sciens quod non parceres delinquenti* (Iob IX, 28); atque illud Sapientis: *Qui timet Deum nihil negligit* (Eccle. VII, 19).

Timoris sancti *excellentia* atque *praestantia* patet ex laudibus, quibus in divinis Litteris commendatur, necnon ex fructibus eius saluberrimis, qui ex dictis apparent: *Beatus homo, qui semper est pavidus* (Prov. c. XXVIII, 14); *Qui timet Dominum nihil trepidabit* (Eccli. c. XXXVI, 16); *Ad quem respiciam nisi ad pauperculum, et contritum spiritu, et trementem sermones meos* (Isa. c. LXVI, 2) etc. (2).

Media timoris assequendi haec possunt afferri; 1° divinam iustitiam meditari, inferni acerbitatem, pravitatem peccati, atque Iesu Christi passionem: *Quia si in viridi ligno haec faciunt, in arido quid fiet?* (Luc. c. XXIII, 31); 2° diligens illius exercitatio per occasiones insperati obitus, infortuniorum, tragici eventus, etc. iudicia Domini iusta aeque ac terribilia adorando, prout

(1) GAY, *Les Vertus chrét.*, t. I, s. IV, *De la Crainte de Dieu*, § 3.
(2) Vid. RODRÍGUEZ, *Ejercicio de perfección*, p. III, tr. IV, c. IX.

divinus Praeceptor edocuit, ruinam memorans turris in Siloë (Luc. XIII, 4, 5) ; 3° ipsa bona temporalia casusque secundos cum timore suscipere, verentes, more iustorum, ne Dominus velit nos in hac vita remunerare.

176. De charitate. — Charitas *virtus est theologica qua Deum super omnia diligimus et proximum sicut nosmetipsos propter Deum.* Duobus ergo praeceptis continetur, amoris, nempe, Dei, et proximi. De hoc in sequenti numero agetur. Charitatis fundamentum est ipsa infinita Dei bonitas, amari per quam dignissima.

Amor Dei duplex distinguitur ; *benevolentiae*, scilicet, quo Deum, quatenus bonum in se, diligimus, et amor *concupiscentiae*, quo Deum diligimus quatenus bonum nobis. Et quoniam amor Dei ceteros omnes debet antecellere, ut ex ipsa definitione liquet, *summus* dicendus est, et, qua talis, dividitur in *apretiative* et *intensive* summum : ille significat inter omnes amores primatum ; hic autem vim atque vehementiam, qua tenditur in Deum ; ille necessarius est ad salutem, hic vero perfectionis atque consilii, pro cuiusque virili spiritu.

Proprietates et quasi insignia divinae charitatis septem ponuntur a Richardo de S. Victore (1), quae facile ad ista quatuor reducuntur : 1° *invincibilis* est, amor enim cuncta superat, a nullo superatus ; 2° est *inseparabilis*, nullam enim divisionem patitur, neque ab obiecto suo vel puncto temporis abalienationem ; 3° *insociabilis* est, nec enim patitur affectus partitionem, sed totum se ita dilecto tradit, ut nihil diligat praeter ipsum, quod eius supremae dilectioni non subordinetur ; 4° est *insatiabilis*, numquam enim dicit : « satis est ». Talis esse debet charitas nostra in Deum, qui tali nos amplexus est charitate (2) ; unde modus amandi Deum est amare sine modo nec mensura, teste S. Laurentio Iustiniano (3).

Actus dilectionis sive charitatis erga Deum possunt

(1) RICHARDUS, *De gradibus charitatis.*
(2) Conf. NIEREMBERG, *Aprecio de la divina gracia*, l. II, c. VIII.
(3) *Lignum vitae*, tract. IV, c. IX.

esse actus omnes vitae moralis hominum, omnibus enim ipsa dominari, omnesque informare debet; directe tamen atque peculiari modo sunt actus charitatis, quaecumque sub iis titulis continentur: 1° amor *praedilectionis*, qui quemlibet adversantem amorem reiicit; 2° amor *delectationis* vel *complacentiae*, qui de divinis omnibus perfectionibus et excellentiis congaudet; 3° amor *gratulationis*, qui propter eas Deo laudes personat; 4° amor *contritionis*, qui de peccatis dolet propriis atque proximorum; 5° amor *conformationis*, qui divinae voluntati tam in praeceptis, quam in adversitatibus acquiescit; 6° amor *grati animi* vel *gratitudinis*, qui grates Deo refert de acceptis quibusque ab eo sive secundis sive adversis rebus, nedum de generalibus beneficiis; 7° amor *benevolentiae* seu *amicitiae*, qui Deo cuncta bona possibilia exoptat, eiusque gloriae extensionem, quo ardore incandescens operibus zeli atque saluti animarum est semper intentus.

Summa charitatis *praestantia* inde liquet, quod ipsa virtutes ceteras informat atque vivificat: *Charitas patiens est, benigna est...* (I Cor. XIII, 4). Ipsa primum est maximumque mandatum, cetera continens: *Hoc est maximum et primum mandatum* (Matth. XXII, 38). Virtus est omnium theologicarum, quae sola in aeternum perseverat: *Charitas numquam excidit* (I Cor. c. XIII, 8). Sine ipsa cetera omnia nil sunt (Ibid. 1-3), in ipsa vero cetera omnia connectuntur et perficiuntur (1): *Super omnia autem haec charitatem habete, quod est vinculum perfectionis* (Colos. III, 14). Per ipsam, denique, Deo coniungimur, in eius amicitiam venimus, et salutem consequimur: *Qui manet in charitate, in Deo manet, et Deus in eo* (I Ioan. IV, 16).

Media obtinendae, servandae atque augendae charitatis haec sunt: 1° inordinatum sui amorem, hostem eius infensissimum, deiicere (114); 2° motiva superius allata crebro ruminare, immensam praesertim Dei charitatem erga nos, manifestatam in Christo Iesu, quamque dignus sit amari propter suimet infinitas perfectio-

(1) S. Isidorus, *Sententiarum*, lib. I, c. III, n. 3.

nes, necnon propter sua in nos assidua et immensa, tum generalia, tum privata beneficia ; 3° in actus modo propositos frequenter erumpere, conformitatis praesertim cum divina voluntate (1), inque eos maxime, qui praesenti animae statui magis accommodentur. Quaecumque nos circumstant, quaecumque eveniunt, quidquid habemus, Dei charitatem praedicant atque in mentem revocant. Mens fervida quaelibet captat, quae sint igni fovendo dilectionis divinae, momentaque omnia, omnesque actus vitae, sive conscientes sive inconscientes consecrat Deo suo (2).

177. De charitate proximi. — Vera charitas Dei secum affert dilectionem proximi, qui imago Dei est, frater Christi Iesu, et capax aeternae gloriae : *Hoc mandatum habemus a Deo : ut qui diligit Deum, diligat et fratrem suum* (I Ioan. IV, 21).

Verae dilectionis proximi proprietates, quibus distinguitur a falsa (quam hodierni homines *philanthropiam* appellant) istae sunt: 1° *divina* est, seu supernaturalis, in Dei dilectione fundata, sicut dictum est; 2° *universalis*, a qua nec inimicos quidem fas est excludere, dummodo beatitudinis sint capaces ; 3° *ordinata*, hunc enim habet modum atque mensuram dilectio proximi « sicut se ipsum » ; contra ac dilectio Dei quae sine mensura esse debet: « toto, scilicet, corde » ; unde ministeria erga proximos numquam cum propriae animae detrimento sunt obeunda, debita semper proportione servata.

Actus huius charitatis duplicis sunt generis : *benevolentiae*, scilicet, atque *beneficentiae* ; posteriores in proximos redundant aliqua necessitate oppressos ; priores vero omnes, etiam Sanctos Angelosque amplectuntur. Actus beneficentiae quatuordecim illa sunt *opera misericordiae*, quae doctrina christiana seu Catechismus

(1) Nieremberg, *Vida divina y camino real de grande atajo para la perfección;* S. Thekesia, *Moradas*, II, c. unico, n. 6.
(2) Vid. opusculum V. P. Claret, *Ramillete de lo más agradable a Dios.*

enumerat. Actus benevolentiae possunt generatim sequentes recenseri: 1° proximo velle omnia gratiae gloriaeque bona, necnon temporalia ad illa ducentia; 2° de omnibus bonis quae possidet laetari, deque malis dolere; 3° eius defectus dissimulare et, qua excusabiles sint, excusare, exemplo Christi e cruce pendentis; 4° molestias ab eo illatas patienter ferre, iniuriasque dimittere; 5° omnibus sine acceptione et iuxta ordinem benefacere; 6° de salute animarum satagere, ideoque virtutis partes in quovis ordine pro viribus tenere atque tueri.

Huius virtutis *praestantia* ut manifeste appareat sat est meminisse illam cum Dei charitate necessario coniungi, Dominum Iesum instantissime illam praecepisse maxime in sermone montis (Matth. v, 44 et 45), et Coenae (Ioann. xv, 12), eius vehementia compulsum sanguinem pro nobis vitamque profudisse, charitatique proximorum maximam in die iudicii mercedem promisisse (Matth. xxv). Haec virtus vere insigne est discipulorum Iesu Christi, ipso Domino testante per Ioannem (Ioan. xiii, 35), ipsa bonumque pacemque praestat populis: *Frater, qui adiuvatur a fratre, quasi civitas firma* (Prov. xviii, 19); *Alter alterius onera portate, et sic adimplebitis legem Christi* (Galat. vi, 2). Iam vero zeli exercitatio in animabus salvandis gratissima est Deo, ipsoque martyrio nobilior (1).

Media obtinendi charitatem proximi considerationes sunt atque opera. *Considerationes:* de utilitatibus et commodis huius virtutis, de doctrina et exemplis Iesu Christi atque Sanctorum, de animae aestimatione et hostium conatu ad perdendas, de illius stricto praecepto et absoluta necessitate ad salutem, de consolationibus, quibus exercitio charitatis anima exundat: *Beatius est magis dare quam accipere* (Act. xx, 35). — *Opera*: superius indicata, quibus simul ac proximo exhibetur, charitas augetur, animus erga illam melius in dies afficitur, eius effectus et commoda perspiciuntur, et omnia benedictionibus caelestibus accrescit, uti evenit discipulis

(1) S. Theresia, *Fundaciones*, c. 1, n. 4.

Emmaus iter agentibus (Luc. XXIV): « Ecce Dominus non est cognitus dum loqueretur, et dignatus est cognosci dum pascitur » (1).

SECTIO III.

VIA UNITIVA

178. Huius sectionis argumentum. — Quoniam in via unitiva nihil aliud intenditur quam virtutum aedificationem magis magisque perficere, quae in via illuminativa constructa est, ut vinculis arctioribus mente cum Deo adstricta, unio divina, perfectiori quo potest modo, in hoc mundo obtineatur, sequitur res huius sectionis proprias, in praecedentibus sectionibus iam quoad substantiam elucubratas, altiori nunc ac perfectiori adspectu enucleandas venire (2). Inde rela-

(1) S. GREGORIUS MAGNUS, *Homil.* 23 in Evang. (Vid. *Brev. Rom.* lect. in fer. 2 Paschae). Conferantur opera in hoc capitulo allata, itemque alia eiusdem generis, super charitate fraterna, zelo animarum, etc.. cuiusmodi sunt tractatus P. LA PUENTE, S. ALPHONSI, DUBOIS, de officiis sacerdotalibus, etc.

(2) Auctores aliqui recentiores, qui veram perfectionem nonnisi in statu mystico admittunt, conantur ab Ascetica eradere quidquid ad viam unitivam pertinet, imo omnia fere quae illuminativam viam spectant (P. ARINTERO, *Cuestiones místicas*, quaes. IV, a. 2); id autem contra doctrinam sane plurimorum et quotidianam experientiam in tractandis animabus moderandisque. Unde ascetam aestimant hominem consuetudinarium, pusillanimem, ideis sublimibus nobilibusque consiliis ieiunum, ineptumque sane, qui capiat delibetque delicias divinae charitatis. Porro, asperitas horum falsorum conceptuum temperatur ac fere evanescit propter latiorem sensum quo praedicti theologi mystica phaenomena accipiunt (non quidem consonum definitionibus, 15), maxime vero propter conceptum contemplationis acquisitae (187 not. 1). Iam vero quaestio verborum potius quam rerum exit, causata ex modo aestimandi limites Asceticae, necnon ex dissimili methodo argumenta ista tradendi.

tiva brevitas huius *Sectionis tertiae*, in qua tantum expendendae nobis erunt notiones quaedam et documenta generalia huius viae propria, simulque studium arripiendum perfectarum virtutum, quae praeeminent in illa. Quum autem communiter eveniat ut animae perfectae contemplativae sint, aequum est ut de ascetica contemplatione specialem hic sermonem instituamus, notiones dilucidantes, quas de illa perstrinximus cum de mediis generalibus christianae perfectionis verba fecimus (**58** et seqq.).

Sectionem ergo istam in tria capita distinguimus, in quibus haec pertractantur : *viae huius notiones et documenta, contemplatio activa* sive *ascetica,* atque *virtutes animarum perfectarum propriae.*

CAP. I.

Notiones ac documenta.

179. De statu perfectorum. — Ex dictis numero praecedenti et in capite primo huius operis (**20**, **21**) liquet convenientia inter viam unitivam atque statum perfectorum, qui simul respondet virili seu maturae aetati vitae spiritualis, ut supra dictum est (**19**).

Superior hic vitae animae adspectus et modus intra ordinarios asceticae terminos, supponit animum iam perfecta sui abnegatione purificatum, atque in imaginem Iesu Christi transformatum igne charitatis, qui medullas ipsas animae penetravit (**153**). Haec autem, licet per viam unitivam non soleat scienter in peccata venialia prolabi, quibusdam tamen laborat imperfectionibus, occultis saepius et inscienter fere admissis, contra quas pugnare pergit ut penitus obliterentur vel saltem minuantur.

Huius viae ac status velut signaculum, praeter illum animae conatum magis magisque adhaerendi Deo, seque ipsam in illum per charitatem atque similitudinem transformandi, est studium unitatis ac simplicitatis in omnibus vitae spiritualis actibus quaerendi ex effectu

divini amoris, cuius est omnia in unum redigere, atque divinorum contemplationis, omnia ad summa capita referentis. Insuper, sicut homo aetatis perfectae in bonum societatis potius quam in sui commodum operatur et vivit, ita vir perfectus virtute videtur sua commoda oblivisci (non praetermissis officiis erga Deum), quo magis proximorum utilitatibus spiritualibus inserviat, unde salutis amimarum zelo agitur, quasi virtute huius superioris status propriissima.

Quum autem animus novis semper egeat purificationibus, praesertim ut in charitate et contemplatione divina increscat, fit in statu perfectorum *activa* purgatio per omnimodam sui abnegationem, *passiva* autem iisdem actibus, quibus in viis praecedentibus, eis praecipue, quae propriam voluntatem maxime cohibent: docente enim beata Theresia « et novelli et mediocres et perfecti, omnes suam crucem deferunt » (1).

Sub sequentibus numeris quaedam ex his notis fusius exponentur, quippe quae cardinales notiones constituunt status perfectorum.

180. De animabus ista via gradientibus. — Hoc posito, quod in hoc superiori gradu illae tantum animae versantur, quae, strenue peractis priorum viarum exercitiis, satis sunt in virtutibus affirmatae, evidenter consequitur non esse in earum numero computandas animas illas, quae per tempora fervidae videntur, et alternatim in divino servitio tepescunt, multoque minus eas, quae ideo sunt gravibus defectibus expertes, quod pericula (**140**, 3) contradictionum et tribulationum non subierint: « Ne credat, inquit S. Theresia, se virtutem fuisse assequutam, si contrariis non fuerit probata » (2).

Animae quae, supradictis characteribus informatae, viam unitivam percurrunt, in tres ordines redigi possunt, nempe: animarum *contemplativarum*, *activarum*, atque *extra ordinem communem Deo inservientium*.

(1) *Vida*, c. II, n. 3.
(2) *Ibid.* c. XXXI, n. 8.

Animae contemplativae illae dicuntur, quae vitam secessui et orationi consecrantes, reapse magis contemplantur quam meditantur, nullis fere officiis in proximorum gratiam deditae. Earum speciem carthusiani monachi et claustrales moniales praeferunt.

Animae activae, vel potius mixtae vitae, dici possunt illae omnes, quae ex vocatione et officio operibus zeli exterioribus vacant, quae quidem opera ex ardenti Dei charitate procedunt, in cordibus talia operantium exaestuante. Harum frequens exemplar apud Instituta religiosa passim invenitur, quae charitatis exercitio vel apostolicis ministeriis incumbunt, itemque apud sacerdotes perfectos, qui bene norunt in medio saeculi suae vocationi respondere.

Animae extraordinariae, vel extra communem morem viventes, illae sunt quae, vel propter heroicas virtutes, vel quod mystica via infusae contemplationis incedunt, a personis communiter sanctis longe differunt. Licet tamen regionem habitent longe asceticam superantem, accidit interdum ut lumen contemplationis evanescat propter infidelitates quasdam, vel propter periculum de ipsis a Deo factum, vel etiam quod, infusione divina non semper influente, lux contemplationis recedat ab eis, tuncque in communi via unionis constituuntur per quam tenentur sicut ceterae ambulare, donec Deo placuerit eas denuo illuminare. Semper tamen pro se virtutibus insudare tenentur, et in adversis se ipsas vincere, quod proprie ascetarum est etiam perfectorum.

181. De virtute perfecta et heroica. — Quamvis animae in via unitiva constitutae, virtutibus perfectis pollere debeant, non tamen requiritur ut eas heroico gradu assequantur, quod sanctorum insignium est. *Virtus perfecta* dicitur quae prompte, faciliter, delectabiliter et constanter operatur (**160**); ut autem *heroica* dici possit, adeo esse debet excellens, ut communem operandi modum iustorum supergrediatur [1]. Ista vero

[1] Ne confundatur haec superior qualitas cum *modo superhumano* operandi, mysticae viae proprio (**15, 202**); in hac etenim nihili est nisus hominis, plurimi vero in heroica virtute: *Violenti*

excellentia ex arduitate operis depromitur, quod tamen prompte, facile atque delectabiliter arripitur, iuxta Benedictum XIV (1) : « Ut sit heroica efficere debet ut eam habens operetur expedite, prompte et delectabiliter supra communem modum ex fine supernaturali, et sic sine humano ratiocinio, cum abnegatione operantis et affectuum subiectione ».

182. Huius viae exercitia. — Ex ipsa, quam descripsimus, status perfectorum natura eruitur exercitia spiritualia, quibus opera navanda est quam maxime, esse Dei praesentiam, meditationem, atque contemplationem, per quae animus pergit se ipsum quotidie magis perficere in sui abnegatione ac dilectione divina, omnia pariter adhibendo generalia media superius exposita (**37** et seq.) in hunc finem ordinata. Dum vero mens suae perfectionis opus fideliter prosequitur iuxta illud Ioannis : *qui iustus est, iustificetur adhuc, et qui sanctus est sanctificetur adhuc* (Apoc. XXII, 11), ita studet omnia sua exercitia ad unitatem redigere, ut una sit in omnibus eius cogitatio unusque affectus : perfecta scilicet suae voluntatis cum divina conformatio ex vi dilectionis Dei super omnia (2). Huic unitati ac simplicitati alludit Kempis verbis istis : *Cui omnia unum sunt, et omnia ad unum trahit et omnia in unum videt, potest stabilis esse et in Deo pacificus permanere* (3).

183. De perfecta abnegatione. — Charitas Dei in anima tantum accrescit quantum proprius amor deprimitur quod quidem obtinetur abnegatione perfecta (**103, 114**, etc.). Consequitur inde unitivam viam facienti

rapiunt (Matth. XI, 12), semper supposita gratia Dei, quae multiformis est. Ex illa confusione oritur omnes sanctos mysticos *a priori* existimare. Conf. quae super hoc argumento scripsimus in « *Commentarium pro Religiosis* », v. II [1921] 89.

(1) *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione*, l. III, c. XXI, n. 11, et c. XXII, n. 1.

(2) Vid. Tissot, *La Vie intérieure simplifiée*, p. I, l. IV, c. VI, opusque totum ; item Rodriguez, *Ejercicio de perfección*, p. I, tr. III, c. XIII et XIV ; Nierembero, *Vida divina, y camino real de grande atajo para la perfeccion.*

(3) *De imitat. Christi*, l. I, c. III.

in abnegatione insistendum esse, si velit iter illud perseveranter et fructuose percurrere. Non agitur vero hic de elementali illa abnegatione, quae passiones reprimit, fugitque vanitatem, sed de abnegatione perfecta, quae proprii amoris radices altius resecare, animumque divinae voluntati penitus subdere conatur.

Fundamenta huius abnegationis sequentia innuimus: 1° intima et continua persuasio de propria abiectione necnon de vanitate et nullitate creaturarum omnium in se, unde oriatur contemptus omnium, quae Deus non sint vel ad Deum non perducant; 2° altissima aestimatio bonitatis et providentiae Dei, cuncta sapientissime ac rectissime in bonum nostrum disponentis, cuius placitis sanctissimis voluntas nostra in quolibet eventu debet acquiescere (1).

Impedimenta, quae abnegatio ista solet invenire in subiectis plus minusve in viis praecedentibus purificatis, nondum tamen omnino de se victoriam adeptis, sunt: 1° error seu ignorantia de vera perfectione rebusque viae unitivae, quam multi arbitrantur statum illustrationibus et consolationibus plenum, difficultatibus expertem, et quasi mare placidum sine perturbationibus, ab internis externisque hostium incursibus securum; 2° praecupidum studium fruendi sensibili devotione vel spiritualibus consolationibus, atque divinis illustrationibus, animum iisce rebus, velut propriis, saginare peroptando, Deo non tam propter ipsum serviendo, quam propter haec bona fruenda; 3° superiorum donorum secreta ambitio, eisque inordinata adhaesio, dolens si non concedantur vel semel concessa auferantur (2). Praeter haec, perstant in animo quoque radices connaturalis appetitus honoris propriaeque existimationis, quae rebus quibuslibet vescuntur (138), quaeque facile pullulant, si vir spiritualis attente non invigilet in actibus praesertim exterioribus atque publicis (3).

Media perficiendae abnegationis duplicia sunt, quae

(1) Morotio, *Cursus vitae spiritualis*, p. III, c. 1, § 1.
(2) Morotio, loc. cit.
(3) Vid. S. Ioannem a Cruce, *Noche oscura*, l. I, c. I-VII.

in statu incipientium perpendimus, *activa*, nempe, et *passiva*. Primi generis sunt ea, quae enumerata sunt, cum de potentiarum interiorum mortificatione egimus, humilitatisque praxim enucleavimus (**171**), sed haec praecipue: 1° nobis persuadere, vi considerationum eventuumque adversorum, nihil nos posse, cuiuslibet beneficii perindignos esse, nilque praeter punitiones mereri; 2° aequam vitae perfectae notionem rectificare, quae non quidem in tranquillitate paceque otiosa consistit, sed in certamine ac labore, ut ex plurimis Scripturae Sacrae Sanctorumque sententiis apparet (**103, 140, 149**, etc.); 3° alte sapere de maiestate divina, de gloria caelesti etc., itemque necessitatem intelligere, qua tenetur homo, se ante conspectum divinum exinanire; 4° persuasionem istam ad praxim deducere, actus exserendo propriae confusionis coram Deo, et humilitatis coram hominibus; 5° unum vel plures sibi constituere superiores, quibus anima iudicium voluntatemque propriam submittat in omnibus, in quibus peccatum non appareat (**166**).

Quoad media *passiva*, satis sit meminisse omnia media hic locum habere, quae in via purgativa sunt proposita (**138**), quae quidem interdum vehementiora sunt in hac via unitiva, ariditates praesertim internaeque daemonum impugnationes, maxime cum anima ad contemplationem infusam est evehenda. Purgationes tamen istae ordinem non transcendunt earum, quae purgationes *sensus* appellantur, dum anima contemplationem mysticam non attigerit (1).

Hisce passivis purgationibus ea ratione debet anima obsecundare, quam in via purgativa edocuimus, sicque perfectam sui abnegationem nanciscetur.

(1) *Noche oscura*, l. I, c. XIV, et l. II, c. IV. In lectione tamen horum locorum S. Ioannis a Cruce prae oculis habeatur beatum sub incipientium genere omnes eos comprehendere, qui nondum ad contemplationem infusam pervenerunt; nomine autem *viae illuminativae* eam intelligere, quae propria est *mysticorum contemplantium* in primo gradu (loc. cit.): conferantur dicta in num. **242** et in notula 2ª n. **230**. Revera, ait P. Poulain, *singularis* est illa Sancti Ioannis, *nominatio* dum praedictos gradus e regione mystica prospicit.

184. Opera moderatoris. — Animarum perfectarum moderatoris est cum illis officia spiritualis viridarii atque pii Cyrenei obire, nam ab illo excolendae sunt pretiosissimae ac delicatae sui poenitentis virtutes, nova defectuum ac imperfectionum germina opportuno tempore sunt recidenda, oppressusque sub cruce tribulationum, quae in hac via graviores esse solent, sublevandus.

1° *Virtutes excolendae.* — Quoniam virtutes, quibus perfecti exercentur, sublimiores gradus attingunt, indigent eo ipso considerationibus atque mediis exquisitioribus, et sublimioribus, quam vulgus devotorum; unde altiorem exigunt in moderatore disciplinam, quo possit earum incrementa procurare. Has considerationes et media paulatim magister spiritualis proponat, ea delibando ex doctrina de virtutibus, quam in via illuminativa expendimus, in eaque studiosius intendat, quae magis poenitentis conditionibus aptentur. Curet etiam ut examen particulare de virtute illa instituatur vel de aliquo medio ad illam perficiendam aptiori.

2° *Defectus praeveniendi atque eradicandi.* — Quoniam iis qui via unitiva gradiuntur prorsus nocere potest defectus quilibet scienter admissus, maxime si habitualis sit, valde invigilandum est moderatori ne quam inanis gloriae occasionem discipulis faciat, omnemque corrigat pravum affectum ad creaturas et spirituales voluptates, quem in ipsis oboriri persenserit. Caveat omnino ne de piis exercitationibus laudet vel aduletur; siquando divinis oblectationibus dignentur, intelligere faciat id ideo evenire ut earum fragilitati subveniatur, quae, talibus orbatae, Deo famulari nescirent; admoneat defectus in quos incidant, inanis gloriae praesertim et adhaerentiae quibuslibet rebus vel personis; illas de his omnibus cum charitate reprehendat, aliquam poenitentiam iniungendo. Desiderium multa et magna pro Deo exsequendi, vel defectus in eius servitio vitandi animas huiusmodi solet inducere ad ardua vota factu difficilia Domino nuncupanda, v. gr., semper exsequendi quod perfectius appareat, nullum deliberatum defectum admittendi. Ne forte sub iis propositis diabolicus laqueus substernatur, diu multumque pon-

deret moderator vires spirituales discipuli, nec obliviscatur documentorum quae inferius proponuntur (238).

3° *Crucem ferenti subvenire.* — Facile sibi persuadebunt animae istae Dominum a se recessisse, cum eas aerumnis pertentat, tumque moderatori adlaborandum ut apud ipsas officio Cyrenei aut angeli consolantis perfungatur, sicut Christo Iesu in agonia facto apparuit angelus in horto, confortans eum. Doceat eas Iesum Redemptorem ibi, iuxta tribulatam animam adstare: *Cum ipso sum in tribulatione* (Ps. XC, 15), causasque memoret animum erigendi, suo loco propositas (138 et seqq.). Si post aliquod bonum opus, vel praeclarum servitium Deo exhibitum, animae infortunium aliquod vel magna tribulatio supervenerit, curet moderator ipsi persuadere, illud esse verum argumentum, quod Deus oblatum sibi sacrificium benigne susceperit; sicut enim Theresia seraphica docet, amorem servitiumque suorum munere isto remuneratur Dominus: « O quam pretiosum pretium (mi Deus) vere diligentibus te, si cito eius aestimatio nobis patefieret! » (1).

185. Huius vitae diuturnitas. — Si mens in divino famulatu fideliter perseveret, in tentationibus praesertim et adversitatibus, meritis et virtutibus increscet, perfectamque sanctitatem in hac ipsa vita pertingere valebit. Quod si Deo placuerit illam ad statum mysticum assumere, pura gratia divinae bonitatis erit, nullo tamen modo meritorum merces aut humani laboris et industriae fructus (219). Et insuper, ut observat S. Ioannes a Cruce, quamvis passiva sensus purgatio vehementior est in animis, qui ad purgationem spiritus altissimamque contemplationem sunt attollendi, non omnes qui tanta patiuntur, ad illas regiones superiores assumuntur, neque qui assumuntur, per idem tempus exercentur: omnia haec ab una pendent voluntate Dei, a consiliis, videlicet, sapientiae et bonitatis eius super animas electorum (2). Quae omnia

(1) *Fundaciones*, c. XXXI, n. 16.
(2) *Noche oscura*, l. I, cc. IX et XIV.

pariter dicenda sunt etiam de *secunda nocte*, sive de nocte spiritus [1], de qua nobis in Mystica sermo. Via ergo unitiva ad mortem usque protrahi potest, quamvis diuturnior fuerit aetas.

CAP. II.

De activa contemplatione.

186. Capitis huius argumentum. — Novimus contemplationem in genere, eiusque divisionem in *acquisitam* et *infusam* (58, 59); novimus item, quae tenenda sunt, cum de meditationis exercitio fit transitus ad contemplationem acquisitam seu activam (66); ut huius studium plenius instituatur, cum propria sit viae unitivae intra terminos asceticos, restat expendere quae ad illius exsistentiam, obiectum, effectus atque dispositiones gradusque pertinent; quae omnia praesentis capitis argumentum erunt, quaestiones quasdam infusae contemplationis magis proprias in Mysticam reservantes.

187. De exsistentia activae contemplationis. — Nemini dubia esse potest exsistentia contemplationis acquisitae sive naturalis, si de illius momentanea et in casibus exsistentia agatur, ipsa etenim effectus esse debet et naturalis terminus cuiusvis profundae meditationis (66). Ideo nec possibilitas negari potest status habitualiter contemplativi, ex repetitis actibus actualis contemplationis efflorescentis. Iam vero si de *posse* ad *esse* quaestio instituatur, licetne ut realem et positivum admittere statum illum contemplationis activae sive ordinariae in animabus, quae per considerationem divinarum veritatum se ad Dei consortium exercent, ita ut arbitrii sit earum contemplari quotiescumque placuerit?

[1] Schram, *Institutiones*, p. II, § 230.

Quaestione de facto sic proposita, nihil ad eius solutionem efficacius quam testimonium fide dignum appellare expertorum [1], assertaque scriptorum mysticorum et ascetarum, quae in experientia fundantur [2]. Pauca sufficiant, e praeclarioribus magistris desumpta loca, ex innumeris testimoniis, quae possent adduci [3]. Quod si apud veteres appellativum *adquisita* non inveniatur, invenitur tamen saepius et quidem inaequivoce conceptus ea voce significatus. Quaestio ergo non de solo nomine agitur.

Richardus a S. Victore : « Primus (contemplationis modus) ait, surgit ex industria humana ; tertius ex sola gratia divina ; medius, ex utriusque permixtione, humanae scilicet industriae et gratiae divinae » [4]. S. Thomas : « Homo autem quodam processu ex multis pertingit ad intuitum simplicis veritatis », ubi Sanctus Doctor agit de processu naturali contemplationis acquisitae [5]. Sancta Theresia a Iesu frequenter loquitur de contemplatione quadam, quae penes vires nostras

(1) Nonnullae Communitates monialium vitae contemplativae, uti Moniales Visitationis, activam contemplationem apud eas communem censent. V. Poulain, op. cit., c. II.

(2) Negant tamen aliqui ex hodiernis scriptoribus Gallicis (in quibus Saudreau et Lamballe) exsistentiam acquisitae contemplationis, quam cum infusa specifice confundunt. Hos sequitur P. G. Arintero (*Cuestiones místicas*, q. II, a. 7), qui eam putat, sicut et illi, inventionem hodiernam, ignotam prorsus praeclaris Magistris saeculo XVII anterioribus, quam tamen demum admittit quasi formam transitionis (*ibid.*, pag. 302). Sed quoniam ea contemplatio, iuxta praefatos scriptores mystica est, et omnes animae fervidae sunt facile mysticae (*ibid.*, q. II, a. 3, pag. 189, et q. IV, a. II, pag. 422) sequitur eos haud multum exigere dum conantur omnes animas perfectas pariter mysticas esse (219).

(3) Conf. inter alios López Ezquerra, *Lucerna mystica*, Proloquium, n. 7-21, ubi plurimi afferuntur SS. Patres et scriptores, qui illam admittunt: Scaramelli, *Direttorio mistico*, tr. II, c. VII; Schram, *Institutiones...*, t. I, p. II, § 242 ; Seisdedos, *Principios fundamentales de la mística*, t. I, p. II, tota ; P. Wenceslaus, *Fisonomía de un Doctor*, l. II, c. VI.

(4) *De contemplatione*, l. V, c. II.

(5) *Summa Theol.*, p. II-II, quaes. CLXXX, a. 3. Doctrina Angelici Doctoris innixus eximius P. Vallgornera (*Mystica Theologia Divi Thomae*, q. III, disp. 1, a. 4) sex non minus notat differentias maximas inter contemplationem acquisitam atque infusam.

est auxiliante gratia Dei ordinaria : « Dominum ipsum iuxta vos effingite, et intuimini quanta vos charitate et humilitate doceat, et, mihi credite, quoad potueritis, nolite sine tam bono amico esse... Ecce bene ipsamet scio vos id facere posse » (1). E contra, loquitur de infusa contemplatione sub nomine *Mysticae Theologiae*, quam asserit rem esse supernaturalem, atque nihil ab industria et labore nostro pendere (2). Sanctus Ioannes a Cruce superius expositam doctrinam (59) statuit de evolutione habitus meditandi, quae *naturaliter* in gradum contemplationis terminatur (3) prout exponunt scriptores Ordinis Carmelitani (4). Benedictus XIV indubium affirmat « duplicem a mysticis speciem contemplationis assignari, acquisitam, videlicet, et infusam, et contemplationem infusam appellari mysticam Theologiam » (5). Saepius, denique, Sanctae Paginae atque Patres ita nos ad contemplationem hortantur, ut facile supponant eam esse nobis ad manum et quasi naturalem terminum meditationis et considerationis assiduae: atqui infusa contemplatio ultra industriam nostram est atque laborem ; ergo datur acquisita contemplatio. Hoc sensu solent interpretari illa Psalmorum verba : *Gustate et videte* (Ps. XXXIII, 8) ; *Vacate et videte* (Ps. XLV, 10) ; *Audi, filia, et vide* (Ps. XLIV, 10).

Porro admitti potest talem statum contemplationis rationem transitus induere, ut in contemplationem infusam terminetur, prout nonnullis theologis arridet ; testatur autem experientia non ita semper evenire, casusque dari non paucos, in quibus periodus illa transitionis per plures annos protrahitur vitamque totam ;

(1) *Camino de perfección*, c. XXVI ; *Vida*, c. XII. Videantur inferius alii textus (192).

(2) *Vida*, c. X, n. 1, et c. XII, n. 3.

(3) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. XIV, señal segunda.

(4) THOMAS A IESU, *De contemplatione divina*, l. I, c. XIII ; ANTONIUS A SPIRITU SANCTO, *Directorium mysticum* ; CHERUBINUS A S. THERESIA, *Santa Teresa Maestra di spirito*, p. III, c. I, § 4; recentius item P. WENCESLAO DEL S. SACRAMENTO, *Fisionomia de un Doctor*, t. II, c. VI, qui asserit S. Ioannem a Cruce *instauratorem* esse doctrinae de contemplatione acquisita.

(5) *De servor. Dei beatif.*, l. III, c. XXVI, n. 7.

idque non ex animarum incuria aut moderatorum imperitia, sed ex consilio divinae Providentiae, ita disponentis. Adserimus autem inferius animam, etiam omnibus dispositionibus apparatam (244), et etiamsi fuerit infusa recollectione dignata (247), non semper gratiam attingere mysticae contemplationis : *quare autem? sibi scit Deus*, iuxta graphicum verbum Principis mysticorum (219). Ideo iure suo ponenda est adquisita contemplatio ab infusa contemplatione seiuncta.

188. Obiectum contemplationis. — Quodcumque materia esse potest asceticae meditationis, potest et obiectum esse contemplationis activae: sed « lectio quaerit, meditatio invenit, contemplatio degustat » (1), vel, ut ait Hugo de S. Victore : « Id quod meditatio quaerit, contemplatio invenit » (2). Praecipue tamen sunt obiectum contemplationis perfectiones divinae, et quaecumque Iesu Christi humanitatem spectant, ut scite observat S. Theresia, etiam de extraordinaria contemplatione loquendo (3). Sunt etiam apta materia creaturae omnes, in quantum perfectiones divinas repraesentant, nosque ad cognitionem et amorem Dei perducunt, prout sapiebant S. Franciscus Assisiensis (4), S. Theresia (5). Sanctique complures, quibus res omnes creatae speculum erant, in quo pulchritudinem bonitatemque Domini intuebantur, quo amore divino inflammabantur.

189. Eius formae atque processus. — Contemplatio acquisita, aeque ac infusa, duplicem habet formam : *distinctam*, nempe, atque *indistinctam*, prout de aliquo mysterio, attributo, aut beneficio divino sit, singulariter atque distincte apprehenso, vel in divinitate attributo, etc. versetur, superiori quadam atque uni-

(1) *Scala paradisi* (quae S. Augustino assignata fuit), c. II.
(2) *De claustro animae*, l. III.
(3) *Vida*, c. XXII, n. 1 et 2.
(4) Cenano, *Vita et miracula seraphici P. Francisci*, 1a, lib. I, c. XXIX.
(5) Cfr. *Vida*, c. IX, n. 4.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

versali et confusa ratione spectatis. De hac posteriori forma loquitur S. Ioannes a Cruce (1), etiam de contemplatione infusa sermonem instituens; de priori forma agunt mystica Doctrix et scriptores communiter, prout eruitur ex verbis, quibus de hac ordinaria contemplatione loquuntur.

Ut ad divinarum perfectionum contemplationem erigantur animi, duplici via procedi potest, *positiva* et *negativa;* id est, vel de Deo affirmando quidquid boni in creaturis splendet eique accumulando quotquot perfectiones intellectus valeat concipere, vel de eo negando quidquid imperfectionis et limitationis in rebus creatis apparet: inde ratio distinguendi contemplationem in *affirmativam* et *negativam* (2).

190. Eius effectus et finis. — Effectus, quos activa contemplatio operatur in anima, iidem sunt, qui in Mystica infusae contemplationi assignantur, gradu tamen longe inferiores. Opus est ut moderator eos cognoscat, ut veram contemplationem a stulta mentis suspensione et fatuitate secernere valeat. Qui nunc ad rem nostram faciunt, sunt sequentes: 1° maior mentis illustratio de veritatibus fidei, huiusque virtutis obfirmatio; 2° magis distincta cognitio, quam assequitur anima, sui ipsius, suorum defectuum, suae nullitatis, consiliorum sibi arripiendorum, atque necessitatis gratiae divinae; 3° altiores sensus pacis, et confidentiae in Deum; 4° vehementior affectus dilectionis Dei, et traditionis in ipsum; 5° maius studium atque propositum sua officia exsequendi, et quidquid intelligat Deo placiturum (3).

Finis in contemplatione intentus, ultimus est ac pretiosissimus fructus eius, videlicet *activa unio cum Deo;* quae quidem unio, fidei, spei et charitatis incrementis perficitur. Prior intellectum nostrum divino

(1) *Subida del Monte*, l. II, c. XIV.
(2) VALLGORNERA, *Theol. Myst.* q. III, disp. 1, a. 6
(3) MOROTIO, *Cursus vitae spiritualis*, p. III, c. II, § 2; LEHODEY, *Les voies de l'oraison mentale*, p. II, c. IX, § 4, et alii.

aptat intellectui, posterior voluntatem nostram divinae bonitati coniungit, altera vero desideria divino beneplacito accommodat. Hoc vero notandum, quod, licet contemplatio in actu intellectus essentialiter consistat, principium tamen et originem habet in voluntate, quae diligit, et intellectum applicat ad contemplationem, ac denique in voluntate ipsa terminatur, quae in amore unitivo ac fruitivo perficitur (1).

Gaudium sive consolatio divina non est effectus necessarius contemplationis ; licet enim haec interdum iucundissima sit, aliquando tamen laboriosa fit atque iniucunda propter impugnantes divagationes et ariditates, sicut de meditatione dictum est (68). « Id habet, observat S. Theresia, modus iste agendi sine intellectus discursu, quod animae vel maximo lucro sit, vel iactura, inquam, considerationis » (2).

191. De subiecto. — Non omnis spiritus aptus est contemplationi, sed ii tantum in quibus debitae conditiones reperiantur : 1° vocatio, sive capacitas naturalis vel supernaturalis (31) ; 2° passionum ac terrenorum affectuum ea subiugatio, quae animum purificatum satis atque pacificum reddat ; 3° in meditatione plus minusve discursiva diuturna atque proficua exercitatio (3), itemque diuturnum exercitium praesentiae Dei vel *iaculatoriarum*. Unde consequitur statum acquisitae contemplationis proprium esse perfectorum via iam unitiva gradientium ; eoque non repente atque per saltum deveniri, sed paulatim et vicissitudine varia in principio itineris.

Ast minime concludendum est *omnes* animas, semitas unionis terentes, necessario contemplativas esse futuras (61) : 1° quia contemplatio actus est essentialiter intellectualis, atqui non omnes, licet quam maximis virtutibus praediti, sortiti sunt ingenium aeque aptum ad

(1) S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, q. clxxx, a. 1 : Suarez, *De religione*, t. II, lib. II, c. ix ; Garcia de Cisneros, *Ejercitatorio*, p. IV, c. xxxvi.
(2) *Vida*, c. ix, n. 4.
(3) Schram, *Institutiones*... p. II, c. iv, § 260-263.

illam (1); 2° quia contemplationem nemo meretur de condigno, sed tantum de congruo (2); 3° quia non est medium sanctificationis necessarium, sed singulare Dei donum, quod Dominus pro sua impartitur voluntate; cum vero sit gratia ordinaria, divinam decet bonitatem ut omnibus tribuatur, quicumque bene dispositi sunt ad recipiendam et ad rectum usum illius.

Consequitur item ex praecedenti doctrina licitum esse contemplationem desiderare, et a Deo postulare ut opportuniore nobis tempore concedat, agitur enim de medio excellentissimo atque ad christianam perfectionem aptissimo. Ideo licet homini se ad ipsam disponere, dummodo recto fine procedat nec orationem ideo deserat discursivam (3). Quae omnia deduci videntur ex quibusdam Sacrae Scripturae locis, necnon veterum scriptorum ecclesiasticorum, similibus his: *Optavi et datus est mihi sensus; et invocavi, et venit in me spiritus sapientiae* (Sap. VII, 7); *Quis mihi dabit pennas sicut columbae, et volabo, et requiescam?* (Ps. LIV, 6); « Quae est ista pars optima, ait Richardus de S. Victore, quam Maria elegit, nisi vacare et videre quoniam suavis est Dominus ?... O quam singularis gratia, singulariter praeferenda ! per quam in praesenti sanctificamur, et in futuro beatificamur » (4).

192. Eius gradus. — Infusa contemplatio, prout in Mystica perpenditur, diversos obtinet gradus pro suspensione potentiarum et unione transformativa, quibus afficitur anima; quoniam vero in acquisita contemplatione proprie non datur eiusmodi suspensio, liberis et integris manentibus potentiis ad actus suos, atque transformatio solummodo affectiva est, non sane diversa ab ea, quam communes actus divini amoris efficiunt, deducendum videtur in ordinaria contemplatione non esse admittendos gradus proprie diversos, sed tantum

(1) SUAREZ, op. cit., t. II, l. II, c. XI.
(2) SCHRAM, l. c. § 248; item P. SEISDEDOS, *Principios fundamentales...*, t. I, p. II, c. XII.
(3) SCHRAM, loc. cit., § 245-247; LEHODEY, op. cit., p. III, c. XIII.
(4) *De contemplatione*, l. I, c. II.

plus minusque simplicitatis in cognitione, et in affectu, contemplantis animum dominante (59, 60).

Non desunt tamen, qui diversos gradus enumerent, prioribus infusae contemplationis gradibus respondentes [1]; qui gradus, nostro quidem iudicio, nihil aliud sunt quam formae seu diversi modi, quibus ordinaria contemplatio manifestatur pro diversis individuis contemplantibus, vel pro diversis animi adiunctis ; isti vero modi atque varietates, uni tantum contemplationi respondentes, ratio fuere diversorum nominum, quibus scriptores illam significant. Appellatur autem « oratio simplicis intuitus », « activae abstractionis », « quietis sive activae pacis », « contemplatio acquisita » sive « ordinaria » [2], etc. Nobis quidem haec postrema denominatio nomen genericum est, reliquae vero modos significant, quos in tali contemplatione admittimus, praeclaris admodum ac vere magistralibus sententiis inhaerentes S. Ioannis a Cruce et incomparabilis S. Theresiae a Iesu, videlicet :

1° *Oratio simplicis intuitus* : in eo consistit ut anima permaneat oculis interioribus amanter defixis in Deum vel Iesum Christum, tamquam sibi praesentes, in affectus erumpens more S. Thomae : *Dominus meus, et Deus meus!* (Ioann. xx, 28). Quod ita edocet S. Theresia « Nihil aliud a vobis peto quam ut eum intueamini... Ecce nihil aliud spectat Ipse, ut loquitur Sponsa, quam ut inspiciamus eum... Respiciet et vos ipse oculis tam pulchris tamque piis... » [3].

2° *Oratio abstractionis* vel *recollectionis :* aequivalet « cellulae, quae dicitur, sanctae Catharinae » (72, 3°), et in verbis fundatur S. Pauli dicentis : *Nescitis quia templum Dei estis, et Spiritus Dei habitat in vobis?* (I Cor. iii, 16). Mystica Doctrix hanc orandi formam miro stylo describit : « Dicitur *recollectio*, (abstractio), quia mens omnes potentias colligit, et intra se reflec-

(1) Arintero, *Evolución mistica*, p. II, c. iv, § 1, pag. 385 ; Lehodey atque Meynard, opp. citatis.

(2) Lehodey, op. cit., p. II, c. ix, § 1.

(3) *Camino de perfección*, c. xxvi, n. 1 ; *Vida*, c. xiii, n. 9.

titur cum Deo suo, advenitque divinus Magister illam edocturus, quietisque orationem elargiturus brevius quam alio quolibet modo; ibi enim, secum ipsa agens, potest Passionem cogitare, Filiumque ibi repraesentare... » (1).

3° *Oratio quietis:* hoc appellatur nomine contemplatio, propter pacem et quietem animi, voluntatis praesertim, quae velut in centro requiescit in Deo, summo sibi bono, iuxta Canticorum illud: *Sub umbra illius, quem desideraveram, sedi, et fructus eius dulcis gutturi meo* (Cant. II, 3). Sub hac forma intelligit contemplationem acquisitam mysticus Doctor, cum sic de illa loquitur: « Non consistit in labore phantasiae, sed in animi abstractione, quietem illius procurando, quod quidem spiritualius est. Quo enim magis anima ad spiritum accedit, magis cessat ab operibus potentiarum per obiecta particularia; constituitur enim ipsa in actu universali et puro... » (2).

4° *Oratio unionis:* De hac loquuntur aliqui auctores quibusdam innixi S. Theresiae sententiis (3), licet alii talem orationis gradum denegent in Ascetica (4). Si tamen expertis credere est, datur vere modus ille unionis in activa contemplatione, qui quidem non confundendus est cum unione charitatis, sed in eo est, ut anima experiatur se intime Deo adhaerere cum perfectiones divinas contemplatur, adloquiturque in oratione Sanctum Spiritum, qui nobiscum et pro nobis orat *gemitibus inenarrabilibus* (Rom. VIII, 26). Nec agitur de unione mystica proprie dicta, sed de modo quodam Deo affectuose communicandi, quem licet animae pro suo libitu vel assumere vel relinquere.

Solent etiam ascetici duplicem gradum sive formam contemplationis acquisitae (sicut et infusae) admittere, quos appellant *contemplationem cherubicam* et *contemplationem seraphicam;* eminet in priori operatio

(1) Op. cit., c. XXVIII et seq., et *Vida*, c. IX, n. 3.
(2) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. XII prope finem, et c. XIV.
(3) *Moradas*, V, c. 1, n. 3 et c. 3.
(4) Vid. MEYNARD, *La vie espirituelle*, t. I, l. II, c. v.

intellectus, in altero voluntatis adamantis (1) : uterque cum expositis formis possunt convenire.

193. Praxis. — Iis, quae de contemplationis exercitio suo loco dicta sunt (67), haec addenda veniunt, quasi praeinsertae doctrinae ultima consequentia : 1° si possibile sit, incipiat meditationis exercitium a discursu aliquo vel aliqua simplici consideratione ; 2° accedat animus quibusdam ideis apparatus, quae solent affectus emovere, animamque ad Dei servitium excitare ; 3° ne systematice eliminentur actus distincti voluntatis (affectus, proposita, supplicationes), quoties eorum detur facilis facultas ; 4° ne vi vel violentia gravetur spiritus in quaerendis considerationibus et affectibus exquisitis, ad quos vel facilitas vel inclinatio non ferat, sed potius contentus sit intueri tunc amanter Deum atque divina; 5° contra vero mos geratur animo sponte in hos aut illos tendenti affectus amoris, laudis, gratitudinis, resipiscentiae, conformitatis, etc. ; 6° quandocumque vena contemplationis intercludatur, redeat anima ad ordinariam meditationem ; 7° inter diversos contemplandi modos, illum seligat exercitans, qui se magis alliciat, faciliorque evadat ; 8° expleto exercitio, firma suscipiat consilia Deo famulandi, defectusque vitandi, quae quidem singularia sint oportet atque explicita, si spiritum non fatigent: secus enim sufficit contemplativo generale et simplicissimum propositum: « Mi Deus et omnia ! Nil praeter te cupio », aut aliud simile (2).

CAP. III.

Virtutes animarum perfectarum.

194. Capitis argumentum. — Caput praesens nihil aliud intendit, quam mentem directoris illustrare de virtutibus, quae maxime propriae sunt virorum

(1) Schram et Lehodey, opp. citatis, et alii.
(2) Lehodey, op. cit., p. II, c. IX, § 6.

perfectorum. Innuimus supra (**178, 184**) virtutes omnes eximias, seu in gradibus suis altioribus, quasi patrimonium esse animarum via pergentium unitiva ; inter eas autem nihil dubium quin huius viae quasi character sit atque tessera amor Dei cum proximis suis effectibus, qui velut sidera mirae magnitudinis in caelo splendenti fulgent animi praeclarissimi. Dei charitas et dilectio, quae in animabus perfectis imperium tenet omnino et cogitationum et affectuum et, per consequens, operationum, creat secumque affert sanctam perfectamque totius personae deditionem in manus Domini, ardens desiderium pro Eo patiendi, zelumque ipsius gloriae atque totius mundi salutis. Hae sunt praecipuae virtutes animarum in via unitiva, quarum studio hocce postremum Asceticae caput consecramus.

195. De amore Dei. — In memoriam revocentur quae in praecedenti sectione dicta sunt de natura et proprietatibus charitatis (**176**), de actibus eius deque mediis obtinendae vel augendae charitatis. Adiiciamus nunc quae spectant ad eius qualitates in viris perfectis, necnon ad signa, quibus dignoscitur atque proditur excellens.

Qualitates divini amoris in animabus, quae perfectionem attigerunt, sunt praecipuae : 1° *transcendens* est atque *praedominans* usque eo ut charitas in omnes regnet amantis cogitatus et affectus et opera, iuxta illud Augustini : « Dilige, et fac quod vis ; sive taceas, dilectione taceas ; sive clames, dilectione clames » (1) : 2° *summe operativus* est, ita ut depereat anima obsequia servitiumque praestare Deo atque proximis prodesse, ut docet S. Gregorius Magnus: « Amor Dei operatur magna, si est » (2) ; 3° difficultatum est *facile victor*, ex Divi Augustini sententia (3) : « Omnia enim saeva et immania prorsus facilia et prope nulla efficit amor » ; 4° est omnino *lucrifugus*, nam, asserente Divo Bernardo (4) :

(1) *Tract. 8 in Epist. I S. Ioan.*
(2) *Homil.* 30 in Evang.
(3) *Serm.* 70, c. III (edit. Migne) alias *serm. 9 de Verbis Domini.*
(4) *Serm.* 83 super Cantica.

« Purus amor mercenarius non est... Amo quia amo ; amo ut amem » ; 5° *transformans* est amantis in amatum, iuxta sententiam S. Augustini [1] : « Amando Deum, efficimur dii », et alibi [2] : « Talis est quisque, qualis eius dilectio est. Terram diligis ? terra eris. Deum diligis ? quid dicam ? deus eris ? Non audeo dicere ex me : Scripturas audiamus : *Ego dixi : dii estis, et filii Excelsi omnes* (Ps. LXXXI, 6) ».

Signa igitur, ex quibus dignosci valet perfectus amor cuiuslibet personae, e praefatis qualitatibus decet omnino colligere [3] ; nemo tamen (quod sciam) sententia expressit simpliciori magisque vera quam laudatissimus S. Laurentius Iustinianus verbis hisce [4] : 1° *libenter de Deo cogitare ;* nam, dicente Divo Fulgentio, semper cogitamus quod diligimus : « Vis nosse ubi thesaurizas ? attende quid amas ; vis nosse quid amas ? attende quid cogitas » [5] ; 2° *libenter de Deo loqui,* nam : *Ex abundantia cordis os loquitur*, ait Christus Iesus (Matth. XII, 34) ; 3° *libenter de Deo audire,* sicut Magdalena, quae ad pedes Iesu assidens libenter eum audiebat, quem diligebat (Luc. X, 39) ; 4° *libenter pro Deo dare*, nam iuxta Gregorium Magnum « Probatio dilectionis exhibitio est operis » [6] ; 5° *libenter pro Deo pati*, nemo enim maiorem charitatem habet quam ut animam ponat pro amicis suis (Ioan. XV, 13).

196. De amore purissimo. — Mercenarius non est amor quandocumque nihil ab amato sperat praeter ipsum. Quoniam vero qui aeternam appetit beatitudinem, illamque contendit obtinere nihil aliud quaerit praeter Deum, cum Deus sit ipsa beatitudo, consequitur inde amorem purum atque lucrifugum apprime posse cum appetitu gloriae caelestis nisuque eam assequendi

(1) *Serm.* 121 (Migne ; alias 85 *de Diversis*).
(2) *Tract. 2 in Epist. I S. Ioan.*
(3) Vid. Ven. AGREDA, *Mistica Ciudad de Dios*, p. I, l. II, c. VIII, n. 529.
(4) *Lignum vitae*, tract. IV, c. XI.
(5) S. FULGENTIUS DE RUSPE, *Sermo de dispensatoribus Domini.*
(6) *Homil.* 30 in Evang.

concordari. Iure igitur Innocentius Papa XII damnaverat (23) propositiones de amore purissimo ac lucrifugo, quas quietistae ac semiquietistae propugnarunt, in quibus tres sequentes enumerantur, magis ad propositum nostrum pertinentes (1).

Propositio 1. « Datur habitualis status amoris Dei, qui est charitas pura et sine ulla admixtione motivi proprii interesse. Neque timor poenarum, neque desiderium remunerationum habent amplius in eo partem... ».

Prop. 2. « In statu vitae contemplativae seu unitivae amittitur omne motivum interessatum timoris et spei ».

Prop. 15. « Meditatio constat discursivis actibus..... Ista compositio actuum discursivorum et reflexorum est propria exercitatio amoris interessati ».

Unde ducitur in via unitiva licere virtutes excolere spei atque timoris Dei, quin ullo modo obstent amori puro et lucrifugo viri perfecti (174, 175).

197. De amore crucis. — Non concipitur amor crucis propter ipsam crucem, sed propter eius cum Iesu Christo coniunctionem et propter magna bona, quae secum affert homini viatori (138, 168, etc.). Homini quidem perfecto amor crucis sequela est amoris Christi Iesu, hoc enim modo admonuit Dominus ut eum diligeremus et sequeremur (2). « Tres sunt cruces: prima latronis impoenitentis ; secunda, boni latronis deprecantis ; tertia, Christi. In prima est poena tantum; in secunda poena cum venia ; in tertia gloria » (3) : haec perfectorum crux. Dilectioni crucis consociatur excellentissimarum praxis virtutum, quas Christus et docuit et excoluit ipse, prout innuit S. Bernardus : « Quatuor virtutum gemmis cornua crucis ornantur : est supereminentior charitas : a dextris, obedientia ; a

(1) Breve *Cum alias*, 12 martii, anni 1699. (Conf. Denzinger-Nebreda, *Enchiridion Symbolorum et Definitionum*, n. cv, p. 269).

(2) Vid. Ven. Agreda, *Mistica Ciudad...*, p. II, l. VI, c. xxi et xxii, nn. 1374, 1410 (edit. Ozcoidi).

(3) Hugo a S. Victore, *De claustro animae*, l. II, c. xxiii.

sinistris, patientia ; humilitas in profundo » (1) ; etenim propter amorem hominum passus est Christus (Ephes., c. v, 2), propter obedientiam Patris (Philip. ii, 8), humilitate heroica (ibid.), patientia invicta (I Petr. ii, 23).

Huius sanctae crucis amoris *virtutes* simul et *effectus* ad haec tria rediguntur : 1° *expiatio*, per illam enim offerimus Deo quam maximum possumus sacrificium Iesu Christi immolationi coniunctum ; 2° moralis *elevatio*, nam tali crucis amore, proculcato omni terreno atque mundano affectu, sanctam spiritus libertatem recuperamus ; 3° *transformatio*, conformat enim nos Christo crucifixo, donec in haec Apostoli verba liceat erumpere : *Christo confixus sum cruci. Vivo autem, iam non ego: vivit vero in me Christus* (Galat. ii, 19, 20).

Gradus, per quos amorem istum crucis scandere valemus, tres sunt potissimi, ut colligitur ex iis, quae de patientia (168) dicta sunt : 1° christiana patientia in ferendis crucibus nobis ab aliis impositis, exemplo Christi Iesu in Horto dicentis : *Fiat...* ; 2° voluntaria crucis amplexatio, ad instar Iesu crucem baiulantis : *Quia ipse voluit, et non aperuit os suum*, ut quereretur (Isa. liii, 7) ; 3° gaudium atque insatiabile crucis desiderium, more Redemptoris e cruce pendentis et exclamantis : *Sitio* (Ioan. xix, 28), necnon sanctorum Laurentii atque Vincentii martyrum deridentium tyrannos (2).

Hanc crucis dilectionem ut assequamur tenenda sunt quae hic et in numero de patientia sunt exposita.

198. De zelo divino. — Effectus comesque necessarius et inseparabilis divinae charitatis est zelus gloriae Dei, ardensque desiderium ab eo iniurias avertendi, animasque ad eius servitium amoremque perducendi ; asserente enim Angelico Doctore : « Zelus est effectus amoris » (3), atque iuxta div. Augustinum : « qui non

(1) *Sermo* 1 in Pasch. — Conf. Bellecius, *Medulla asceseos*, aliique S. Ignatii commentatores cum de tertio humilitatis gradu loquuntur a Sancto in suis Exercitiis proposito.

(2) Gay, *Les Vertus chrét.*, t. II, s. XIII, *De la douleur chrétienne.*

(3) *Summa Theol.* I-II, q. xxviii, a. 4.

zelat, non amat » (1). Verus amator Christi Iesu vehementer ambit regnum Dei dilatare, animasque ei offerre, quae ipsum toto corde diligant et numquam offendant, prout idem gratiae Doctor admonet: « Rape ad eum (animas) quas potes, et dic eis: Hunc amemus, hunc amemus » (2).

Huius zeli *proprietates* et conditiones perbelle in illa S. Bernardi sententia declarantur: « Zelum tuum inflammet charitas, informet scientia, firmet constantia. Sit fervidus, sit circumspectus, sit invictus » (3). Debet ergo: 1° a charitate informari et inflammari, nullius humani lucri vel mundanae gloriae cupidus esse, non iners languidusque, sed zelo Prophetarum aemulus (Ierem. xx, 9); 2° debet scientia ac prudentia gubernari, ne forte in turbulentum degeneret, aut vehementem aut extemporaneum, sicut zelus servorum patrisfamilias cum intuerentur zizania (Matth. xiii, 28) et filiorum Zebedei contra samarites (Luc. ix, 54) sed similis zelo tunc a Iesu exhibito; 3° a fortitudine sustentandus est ita ut omnes superet vitae apostolicae difficultates, nihil umquam extimescens exemplo Apostolorum Iesum Christum imitantium.

Media quibus zelus divinus inflammandus est atque exercendus exposita sunt, cum de dilectione Dei ac proximorum in via illuminativa dictum est (**176**, **177**). Nunc nostra refert quaedam admonere, quo melius illa viae unitivae accommodentur. Meminisse iuvat: 1° apostolicum zelum haud esse peculiare patrimonium eorum, qui ex sua vocatione vitae activae vel mixtae se devovent, sed omnium bene animarum piarum, quantumcumque ab humano consortio abstrahantur; orationibus enim saltem, poenitentia, consiliis, scriptis, adhortationibus, aliisque simplicibus ac quietis exercitiis zelus iste sibi erit excolendus; 2° eas, quae vitae apostolicae vacant, curare debere ut opera zeli cum exercitiis vitae contemplativae conveniant, atque ita commisceantur, ut numquam se invicem impediant sed

(1) *Contra Adimantum*, c. xiii.
(2) *Confessionum*, l. IV, c. xii.
(3) *Sermo* 20 super Cantica.

mutuo adiuventur et compleantur, sicut de Apostolis legitur (Act. VI, 4) ; 3° apostolicum virum decere ut in omnibus zeli ministeriis existimet se adiutorem Dei instrumentumque in manibus eius (I Cor. III, 9), adlaborans, quantum possit, ut dignum instrumentum evadat, omnique studio artes inveniat proximos lucrandi; exitum tamen omnem gratiae Dei committens (1), ut docet Paulus Apostolus (I Cor. XV, 10).

199. Sancta deditio. — In caelo charitatis quasi tres regiones superpositas licet considerari, quae sunt quasi tres caeli, de quibus loquitur Apostolus (II Cor. c. XII, 2). Supra illam elementalem dilectionem, qua Deum diligimus super omnia, extenditur dilectio, quae labores propter amatum amplectitur, super hanc tamen spatiatur et regnat charitas illa quae se totam arbitrio dilecti tradit (2). Haec sancta deditio (hispanice *entregamiento*) summa fuit amoris Iesu Christi qui : *Dilexit me, et tradidit semetipsum pro me* (Galat. II, 20) ; « Se tradidit discipulis », cantat Ecclesia (3). Haec traditio ultimus fuit actus mortalis cursus Filii Dei : *Tradidit spiritum* (Ioan. XIX, 30).

In hac sancta et habituali animae deditione in Deum tria latitant *elementa*, ex quibus coalescit : 1° sui ad divinum servitium *mancipatio*, quae in cunctis christifidelibus dicitur devotio, in religiosis professio, in clericis sacra ordinatio ; 2° *acquiescentia* divinae voluntati, nihil aliud desiderando quam ut dilecti voluntas fiat in omnibus ; 3° *unio* perfecta totius naturae nostrae cum divina natura, et vice versa, qui enim alteri se dedit omnino, in amato et esse et vivere plus quam in semetipso desiderat.

Fructus istius perfectae deditionis sunt illi omnes qui devotioni et acquiescentiae divinae voluntati assignantur (4), atque in primis : 1° animae pax, quam

(1) Rodriguez, *Ejercicio de perfección*, p. III, tr. I, c. V.
(2) Gay, *Les vertus chr.*, t. II, s. XIV, *De l'abandon à Dieu.*
(3) In hymno Laud. in off. Corporis Christi.
(4) Vid. Rodriguez, op. cit., p. I, tr. VIII ; Bellecius, *Medulla asc.*, die 8, etc.

promisit Dominus iis, qui se totos illi committunt (Isa. c. XLVIII, 17, 18); 2° alma libertas filiorum Dei, quippe qui vincula dissolverint, quibus ad creaturas alligabantur (Ps. CXV); 3° abundantia donorum caelestium atque beatitudo, quantum licet homini in hoc mundo perfrui, qui enim Deo sic se tradunt confisi vivunt atque securi (Ps. XXII), ipseque Deus se credit eis [1].

Hunc beatissimum statum confirmare maxime iuvant haec *media:* 1° animi oblationem Deo per diem saepius iterare (vel religiosam professionem), ut hortatur mystica Doctrix [2]: « Quinquagies in die se ipsam offerat Deo, idque faciat cum magno fervore ac desideriis Dei »; 2° diligens sit anima ad dignoscendam Dei voluntatem de se (per Superiores, inspirationes, eventus), ut eam incunctanter perficiat (Ps. XXXIX), more pueri audientis vocem patris: *Ecce ego, vocasti enim me* (I Reg. III, 5); 3° seipsam considerare velut e manibus Dei pendentem, easque fortiter apprehendere praesertim in casibus arduis: *Dilectus meus mihi et ego illi* (Cant. II, 16).

200. Ultima perfectio. — Verum est consummatam perfectionem non nisi in gloria caelesti obtineri posse, ubi charitas omnino perfecta atque immutabilis perseverat [3]; indubium tamen est quin et in hac vita liceat christianam perfectionem attingere, etiam heroicam atque simillimam perfectioni caelesti, si media adhibeantur in hoc opusculo nostro proposita (quoad Ecclesiae Catholicae doctrinae conformentur): « Est quippe possibile, ait Chrysostomus [4], ut in terrarum adhuc regione degentes, quasi in caelis habitent, ita cuncta perficiant ». Atque S. Thomas, agens de virtutibus *purgati animi*, ita scripsit: « Quas quidem virtutes dicimus esse beatorum, vel aliquorum in hac vita perfectissimorum » [5].

(1) S. THERESIA, *Vida*, c. XI, n. 1.
(2) *Avisos*, n. 30.
(3) S. THOMAS, *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXXIV, a. 3.
(4) *Homil.* 20 in Matth.
(5) *Summa Theol.*, I-II, q. LXI, a. 5.

Verum « in hac vita nemo adeo perfectus est ut nequeat perfectior esse » (1) ; et quamvis unicuique sit a Deo praestitus gradus virtutis sibi ex divina Bonitate assequendus, *alius quidem sic*, *alius vero sic* (I Cor. c. VII, 7), cum nos lateat consilium Dei, cuique licet sibi assumere sententiam Apocalypsis: *Qui sanctus est, sanctificetur adhuc* (Apoc. XXII, 11) ; atque illa voce admonitus, hocce consilium cum Beato Apostolo arripere : *Non quod iam perfectus sim : sequor autem, si quo modo comprehendam, in quo comprehensus sum a Christo Iesu* (Philip. III, 12). Inferius huic argumento insistemus (2), doctrinam istam plenius absolventes, cum de mystica perfectione inciderit pertractare (219).

(1) S. CATHARINA, *Dialogi*, tr. IV, c. XI ; S. FRANCISCUS SALESIUS, *Traité de l'amour de Dieu*, l. III, c. I.

(2) Quibusdam scriptoribus (Conf. G. ARINTERO, *Cuestiones místicas*) videtur *veram perfectionem christianam* in ascetica non dari; dum autem id negant (ibid., q. IV, a. 2, pag. 420 et 421) affirmant Deum communiter *perfectis* tribuere mysticam sive infusam contemplationem (ibid., q. II, a. 2, pag. 188 et 189) ; ergo dantur qui perfecti sint ante quam contemplativi, contra quod prius et absolute negabant.

PARS TERTIA

MYSTICA

—

SECTIO I.

DE CONTEMPLATIONE INFUSA IN GENERE

201. Huius sectionis argumenta. — Quoniam Mystica experimentalis universa circum infusam volvitur contemplationem, quae illam essentialiter constituit, decet omnino ut Mystica doctrinalis in studio versetur huius contemplationis sub omnibus adspectibus (4 et 15), necnon donorum extraordinariorum, quae relationem habent ad ipsam (1).

(1) Praetermittimus in hoc loco studium contemplationis *acquisitae*, quamvis ex quorumdam auctorum sententia sit ipsa velut forma rudimentalis *infusae* contemplationis; saepius enim illam terminis Asceticae adscribendam ediximus (15, 178, 187). Iuxta methodum nostram ea tantum in Mystica sunt evolvenda, quae phaenomena sunt vel actus plane supernaturales in anima, quos ipsa nequit in se pro suo arbitrio elicere vel suscitare, quos enim potest, ad Asceticam sunt remittendi. Haec tamen theorica distinctio vel divisio nullatenus opponitur *summae unitati vitae spiritualis* (a nonnullis adeo nunc praelaudatae scriptoribus Mysticis, quamque, si res bene aestimetur, non est qui neget); sicut nec officit unitati humani compositi vel physicae hominum vitae seorsim perpendere diversa phaenomena vitalia in hominibus apparentia. Non excidat ab oculis animas, quibus Deus mysticam contemplationem infundit, non ideo ascetas non esse, inque eis mire utriusque vitae misceri phaenomena, ascetica quidem mysticis subordinata in superiori unitate vitae spiritualis, conspirantibus cunctis in unam eamdemque christianam perfectionem.

Iam vero, infusa contemplatio generatim expendi potest, illius gradibus atque peculiaribus phaenomenis omissis, unde exsurget *Pars generalis Mysticae proprie dictae;* vel ipsi gradus atque phaenomena perpendi possunt, unde exsurget *Mystica specialis.* Sectio prima huius tertiae partis argumenta evolvit universalia Mysticae proprie dictae; reliquae duae Mysticam specialem absolvunt. Quoniam vero in hac praefati gradus, *contemplationem indistinctam* constituentes, essentialiter differunt a phaenomenis atque donis mysticis, quae *contemplationem distinctam* constituunt (**203**), oritur inde differentia inter secundam et tertiam sectionem, ut planius in earum tractatione apparebit.

Cum ergo in hac prima sectione de infusa contemplatione sit dicendum in genere et sub omnibus adspectibus, par est ut ab studio intimae naturae eius exordiamur, necnon et causarum quae arctissime cum eius natura connectuntur, quod primo capiti argumentum praebebit; mox de illius effectibus et fructibus dicemus in capite secundo; demum, impedimenta atque dispositiones eius sive activae sive passivae in tertio capite perpendentur, cui complementum afferent practica documenta generalia a directore tenenda, quae quidem ab ipsa exposita doctrina sponte fluent.

CAP. I.

Natura et causae contemplationis infusae.

202. Definitio. — Infusa contemplatio, quae Mystica experimentalis est, potest generatim sic definiri: *Simplex intuitus veritatis divinae a principio supernaturali procedens* (1). Sed eius notas essentiales accuratius statuentes, ne facile cum aliis confundatur, sic definimus: *Cognitio intuitiva divinarum veritatum cum*

(1) Vallgornera, *Mystica Theol.*, q. III, disp. 3, a. 1, doctrinis innixus et verbis Angelici Doctoris.

intensissimo amore Dei modo aperte supernaturali obtenta, vi superiorum donorum Spiritus Sancti. Verba definitionis paulo enucleatius expendamus, quorum explanatio argumentum capitis constituit.

Diximus *cognitio*, quia contemplatio essentialiter in actu intellectus consistit (1) ; addimus *intuitiva*, per oppositum discursivae (2), et quia revera species intelligibiles, quibus constituitur (saltem in contemplatione perfecta), obiectum quasi praesens ibi repraesentant. Additur autem a quibusdam *experimentalis* ut distinguatur a cognitione mere speculativa seu scientifica, simulque innuatur specificum quid huius supernae cognitionis, ex communi conceptu mysticorum, qui, de hac infusa contemplatione loquentes, affirmant Deum ibi « sentiri », Deum « degustari » (3). Ista vero cognitio licet clarissima supponatur, ultra genus *abstractionis* non procedit, et ab intuitione beatorum in gloria distinguitur, in terris enim, docente beato Paulo, Deum videmus *per speculum in aenigmate* (I Cor. XIII, 12) ; in gloria autem *facie ad faciem* (ibid.). Ideo non dicimus actum illum intuitionis versari debere *circa Deum* (ut placet Alvarez de Paz aliisque paucis), ne forte cum intuitiva visione gloriae confundatur, sed potius circa *divinas veritates* ; quae verba obiectum immediatum exprimunt intuitionis supernaturalis, de qua loquimur : additur vero cognitionem istam sociandam esse *intensissimo amori Dei*, eo quod contemplatio non in simplici sistat speculatione theologica veritatum, sed ad ipsam unionem cum Deo per amorem procedat, non solum actus fidei divinae sed etiam perfectae charitatis amplectens. Sed tam cognitio, quam amor et

(1) S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. CLXXX, a. 1.

(2) Alvarez de Paz, *De inquisitione pacis*, l. V, p. III, c. I.

(3) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. XXVI ; *Noche oscura*, l. II, c. XVII ; La Puente, *Guia espiritual*, t. 2, tr. III. Notandum tamen illud *sentire*, *gustare* vel *experiri* Deum (in actione aut effectibus divinis) non esse actum voluntatis (ut affirmat P. Seisdedos, op. cit , t. 2, sec. 2, c. VI), sed essentialiter actum esse intellectus (cui *sensus spirituales*, non quidem formaliter, sed per analogiam attribuuntur), sicut diximus cum Divo Thoma, ipsaque actus intuitivi natura postulat.

gustus, licet a potentiis naturalibus oriantur, hic tamen non procedunt ab eis quasi in ordine naturali et humano operantibus, sed in *ordine supernaturali* seu gratiae, a qua illustrantur et determinantur : neque ad actus suos propria et ordinaria virtute se movent, sed *modo omni luce superhumano, atque ex virtute altissimorum donorum Spiritus Sancti*, quae una cum motione divina formam inducunt infusae contemplationi, qua distinguitur specifice ab acquisita (1).

In hac ultima definitionis notione tota nititur differentia inter actus simpliciter asceticos et mysticos, ut in suo loco (4 et 15) notavimus, atque ex doctrina S. Theresiae deducitur. Duo tantum loca iuvat afferre eximiae Doctricis : « Eveniebat mihi... ex tempore supervenire in me *sensum talem praesentiae Dei*, ut dubitare non possem quin esset intra me, aut me totam in Eo immersam putarem. Hoc autem non fiebat per modum visionis : *mysticam theologiam* appellant, credo » (2). « Supernaturale dico ego quod nulla industria vel diligentia obtineri valet, quantumcumque conemur » (3). Eadem passim incidunt in operibus S. Ioannis a Cruce (4). Ex hac divini luminis atque sapientiae infusione, quae contemplationem efficiunt, appellatur *infusa* seu *passiva ;* non quod potentiae rationales supponantur inertes, quae tunc, ut quum maxime, operantur ; sed quod non agant ex propria naturali activitate determinatae, et insuper quod plura recipiant quam operentur (5).

(1) Notetur nos non ponere velut essentialem omnibus gradibus contemplationis *sensum* (*el sentimiento*) *praesentiae Dei*, formaliter consideratum, sicut ponitur absque ratione sufficienti a Patribus Poulain et Seisdedos, etiam ad orationem quietis (Operibus cit.)

(2) *Vida*, c. x, n. 1.

(3) *Relaciones*, segunda al P. Rodrigo Alvarez ; item, *Camino de perfección*, c. xxv, *Vida*, c. xiv, etc.

(4) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. xv ; et l. III, c. i etc.

(5) Conferantur super hac notione opera saepius citata Patrum Poulain, Seisdedos, Lehodey, praeter Scaramelli, Bona, Benedictus XIV, etc.

203. Donorum mysticorum divisio. — Mystica, qua intuitus est experimentalis Dei atque divinorum, duplicem complectitur seriem donorum atque phaenomenorum supernaturalium, quas plures magistri *contemplationem indistinctam* atque *distinctam* appellant (1).

Ad primam seriem pertinent actus illi contemplationis proprie dictae, quibus anima de Deo atque mysteriis eius notitiam assequitur universalem et obscuram, atque indeterminatis formis (licet illa multo sublimior sit ac splendentior notitia, quam communiter assequimur), unde a mysticis vocatur, *fulgens obscuritas*, *divinae tenebrae*, etc. Sub hoc genere contemplationis comprehenduntur gradus in secunda sectione enumerati; hucque pertinent etiam omnia fere, quae in tribus capitibus huius sectionis expenduntur.

Contemplatio *distincta* est perceptio supernaturalium cum notitia particulari et minutatim determinata, fitque per visiones, loquutiones et revelationes. Haec phaenomena sub aliqua forma diversos gradus vitae contemplativae comitantur, nullo tamen ordinis vel successionis nexu copulantur inter se, atque dona putari debent longe inferiora prioribus. De illis instituitur sermo in tertia Mysticae parte, necnon in tractatu de Discretione spirituum.

Potest etiam infusa contemplatio in *positivam* partiri atque *negativam*, id est, quae *per modum* fit *affirmationis* aut *negationis*, sicut de acquisita praedicatum est (189), quae quidem respondent contemplationi distinctae et indistinctae, de quibus paulo supra (2).

Solent etiam aliqui mystici distinguere inter *cherubicam* et *seraphicam* contemplationem, uti in acquisita contemplatione perstrinximus; haec autem nomina nihil aliud proprie sunt, quam modi vel aspectus diversi graduum contemplationis, quos in secunda sectione definiemus.

(1) Scaramelli, *Direttorio mistico*, tr. III, introduc.; Poulain, *Des grâces d'oraison*, p. II, c. III; Meynard, *La vie spirituelle*, t. 2, l. I, c. I; Ribet, *La Mystique divine, distinguée des contrefaçons diaboliques et des analogies humaines*, tr. I et II.

(2) Scaramelli, op. cit. tr. II, c. VIII.

Contemplatio non semper est, ut vulgo creditur, sapida atque placentissima, sed interdum laboriosissima est atque insipida, quasi medium purgativum animae, tumque nomine dignoscitur contemplationis *obscurae* [1]. Hac de causa in allata definitione non ponitur, uti a plerisque fit, *cum amore iucundo* vel *suavissima delectatione*, quia non aestimamus delectationem illam ad essentiam infusae contemplationis pertinere, quamvis sit effectus, qui ex illa ordinarie consequitur, ut mox dicetur.

Neque confundenda est vel identificanda fruitio cum *delectatione mystica* vel *sapore Dei*, qui ad discernenda divina in omni contemplatione percipitur ex mirabili operatione doni sapientiae (202 et 206). Praefato autem sapore valet etiam percipi displicentia atque amaritudo eorum quae Deo adversantur (230), sicut etiam aesthetico gustu percipitur asperitas dissonantis musicae; in gustu autem mystico semper supponendum est aliquod supernaturale lumen et sensus, ut dictum est.

204. Causae contemplationis. — Scientificum atque perfectum infusae contemplationis studium (sicut et cuiuslibet rei) postulat ut causas illius perpendamus. Quadruplex autem causa ponitur a philosophis: *finalis*, *formalis*, *efficiens* et *materialis*, ad quam causam (nempe materialem) *subiecti dispositio* reducitur. Causa *materialis* contemplationis infusae est subiectum, qui illam patitur [1]; *formalis* est habitudo potentiarum ad proprium obiectum: *efficiens* sunt dona Spiritus Sancti et intellectiva potentia ab eis illustrata; *finalis* est consummata sanctificatio seu perfectio contemplantis, bonumque totius Ecclesiae. Infusa contemplatio in homine quantumcumque excellens atque divina censeatur, intra actus humanos continetur, licet quadam supernaturali potentia movente et libere moderante exerceantur; unde eius studium ea ratione instituendum est, qua ceteri

[1] Schram, *Institutiones.*, t. 1, c. IV, § 307.
[2] Valligornera, *Myst. Theol. Divi Thomae*, t. 1, q. III, disp. 3, art. 2.

actus humani a christiana philosophia inspectantur. Capita summatim perstringamus doctrinae ab auctoribus mysticis super memoratis causis traditae [1], etenim ab hocce compendio studium enucleatius esset alienum.

205. Potentiae naturales. — Causa efficiens et naturalis actus humani sunt potentiae rationales, intellectus, videlicet, atque voluntas ; anima enim non est operativa immediate per suam essentiam sed per potentias. Aliunde, contemplatio ex intuitione semper definitur, quae est actus intellectus ; quod si actus ille non eliceretur, numquam posset consequi actus voluntatis, amantis atque fruentis, cum verum sit *nihil esse volitum quin praecognitum*. Contrarium idem esset ac humanam naturam evertere, quod quidem essentia est quietismi ab Ecclesia damnati.

Unde, aliena prorsus a veritate sunt verba illa « potentiarum annihilatio, otium omnimodum animae, novae facultates, novi sensus, sensus divini, contactus in animae substantia » et similia, quibus utuntur quandoque mystici, si velint eis significare totalem destructionem, vel suppressionem saltem, actus intelligibilium potentiarum [2]. Verba igitur illa nil aliud significant quam superiorem modum quo operantur potentiae rationabiles, donis Sancti Spiritus informatae, atque divinitus actae (202). Vox *essentia* vel *substantia animae* tunc significat animam per memoratas potentias tota virtute operantem ; interdum, quoque, ipsam animae essentiam, velut subiectum gratiae sanctificantis.

Iam vero, cum intellectus operatio semper fiat in hac vita per species intelligibiles abstractas, eis indiget etiam ad supernam contemplationem ; quidam vero mystici [3] arbitrantur intellectum in sublimiori con-

(1) Conf. auctores modo allatos itemque PP. Alvarez de Paz, Poulain, etc.

(2) Schryvers, *Les principes de la Vie spirituelle*, l. III, c. III, a. 2, § 5.

(3) Antonius a Spiritu Sancto, *Directorium mysticum*, tr. IV, disp. 1, sec. 8, n. 61. Huic concordant recentiorum aliqui auctores, quorum sententia tamen nullo modo communiter tenetur.

templationis actu praesentiam divinam sine speciebus percipere, lumine quodam adiutum simili *lumini gloriae*, longe tamen inferiori (1). Species autem intelligibiles, quarum ope satis queunt explicari gradus etiam sublimissimae contemplationis, speciali quadam ratione illuminandae sunt donis infusis Spiritus Sancti (similiter quodammodo ac sensibiles species ab intellectu agente illuminantur) ut contemplatio infusa et esse et appellari possit; ordinarie tamen sufficiunt species ipsae intelligibiles (sub illuminatione praedicta), quas intellectus ope phantasiae in sua naturali operatione efformavit. Attamen, datur aliquando contemplatio in qua, nullo praevio intellectus labore, Deus per se species intelligibiles infundit (2), vel praeexsistentes sine ulla phantasiae interventione permiscet (3).

Communiter docent mystici hanc novissimam potentiam, phantasiam dico, inferioribus tantum gradibus contemplationis intercedere, minime vero superioribus, qui contemplationis *purae* dicuntur (4). In hac tamen potest interesse phantasia, non quasi adiuvans essentialem actum contemplationis, sed suscitata ex quadam resonantia vel concomitantia. Tota ista doctrina bene adstruitur experientia et assertis S. Theresiae (5) aliorumque mysticorum, affirmantium item posse voluntatis amorem supernaturaliter admodum increscere, non aucta cognitione in intellectu (6); id est, actus utriusque potentiae non esse *intensive* pares (7).

Has intelligibiles operationes vel purum intellectum, praetermissis sensibus externis atque internis ipsaque ratiocinatione, spectant mystici cum loquuntur de *centro* vel *profundo animae*, de *apice spiritus*, vel siquando

(1) Si hoc verum esset, fides evacuaretur, ut scite observat Ioannes a S. Thoma, O. P., *Opera theologica*, vol. V, p. VI, a. 3, § 28.

(2) Alvarez de Paz, *De inquisit. pacis*, l. V. p. III, c. xiv.

(3) Lopez Ezquerra, op. cit., tr. V, c. i.

(4) Scaramelli, op. cit., tr. II, c. xv, xvi et xvii.

(5) *Moradas*, VII, c. xi et alibi.

(6) S. Ioannes a Cruce, *Cántico espiritual*, canc. 26.

(7) Fernández Concha, *Theologia Mistica*, c. vii.

loquutiones similes usurpant, partem sensitivam quasi exteriorem hominis orbem fingentes, cuius centrum est intellectus purus.

206. De donis Spiritus Sancti. — Homo, virtutes morales ordinis naturalis tantum assequutus, fiet quidem philosophus practicus ; si virtutes accedant infusae tam morales quam theologicae christifidelem ascetam efficiemus ; si dona Spiritus Sancti supervenerint, quorum *speciali* et *superiori* influxu (non quidem ordinario et communi omni animae fruenti gratia Dei) potentiae intellectuales moveantur, homo mysticus assurget.

Ad supernaturalis contemplationis actum, sicut ad omnes actus vere christianos, fides et charitas concurrunt, sine quibus actus illi perfecta virtute orbarentur; quoniam vero infusa contemplatio, ut experientia docet, animaeque expertae testantur, modum excedit naturalem, quo mortales communiter operantur, ad eam requiruntur alia principia, quibus illustretur, quaeque potentias hominis aptas atque capaces reddant supernaturalis divinique obiecti contemplandi. Hoc munus est *donorum Spiritus Sancti*, ut theologi docent (1). Id inde consequitur, quod eiusmodi dona non solum causa sint efficiens ordinis superioris, uti dictum est, sed genus etiam causae formalis attingunt, utpote quae ordinem seu habitudinem efficiunt potentiarum ad obiectum contemplandum. Licet tamen dona ista sint habitus, dicuntur etiam habitus vel ipsi actus eorum propter specialem motionem Dei, constituuntque *Dona in actu* (2).

E septem donis Spiritus Sancti in quolibet actu contemplationis necessario concurrunt : primo, *donum intellectus*, quo mens illustratur, ut intelligat et introspiciat divina, non quidem humano modo, sed instinctu

(1) Conf. memoratos auctores : Scaramelli, ibid., c. xiv ; Vallgornera, q. iii, disp. 2 ; Seisdedos, t. 2, p. III, sec. 1, c. iii, etc.

(2) Scaramelli, op. cit., tr. I. c. xxxvi.

quodam divino (1); secundo *donum sapientiae*, ut de Deo sapiat, atque divina discernat. *Donum scientiae* tum cooperari videtur cum agitur de contemplatione divinarum perfectionum, quatenus in creaturis splendent. Quamvis autem praedicta dona portio sint omnium animarum in gratia constitutarum, non semper tamen operantur in illis ea efficientia, qua opus est ad actum mysticum producendum vel quod Spiritus Sanctus non se pariter omnibus communicat, vel quod animi non semper rite disponuntur ad cooperandum motionibus divinis, imo quosdam etiam obices interponunt.

Affluentia praedictorum donorum non solum essentiam mysticae contemplationis constituunt, sed pro incremento vel intensitate luminis, quod in animam infuderint, transcendentiores gradus contemplationis in ea operabuntur (2) similiter quodammodo ac in caelestibus distinguuntur gradus beatitudinis pro intensitate *luminis gloriae*, quo beatissimi caelicolae donantur (3).

207. De obiecto contemplationis. — Obiectum primarium contemplationis infusae (sicut de acquisita diximus) ipse est Deus, secundarium autem creaturae, seu quidquid extra Deum est, velut speculum, in quo reflectuntur divinae perfectiones, quas anima contemplatur. Hoc autem (ut scholarum more loquamur) obiectum est materiale contemplationis: obiectum enim for-

(1) S. Thomas, *Summa Theol.* II-II, q. viii, a. 1, et in III disp. 34, q. i. Horum donorum accuratius et singulare studium ad Theologiam Dogmaticam pertinet, sicut et Philosophiae partium est de potentiis animae disserere; quapropter nostrum non est in hoc Asceticae et Mysticae breviario de iis instituere tractatus.

(2) Doctrina est apud theologos communis septem dona Sancti Spiritus una cum gratia sanctificante infundi, atque in omnibus animabus inveniri, quae gratia Dei potiuntur. Increscunt autem non *evolutione* vel extensione sicut virtutes (quo quidem verbo aequivoce utuntur auctores), sed solum *intensitate* per infusionem divinam, semper enim sunt *dona*. Quamnam vero intensitatem vel actu vel habitu assequi debeant, ut anima mysticum statum valeat attingere, quamnam vero ut actus exerat virtutis vel communes vel heroicos, unus noverit Deus.

(3) Scaramelli, loc. cit.

male est Deus, qua plane supernaturaliter cognitus et experimentaliter degustatus in effectibus, quos causat in anima (1). Sic infertur ex doctrina mysticorum expertorum, atque ita revera esse debet, ni velimus Mysticam confundere cum habitu scientiae theologicae vel cum meris actibus charitatis Dei, quibus exercentur ascetae.

Ad secundarium obiectum pertinent praecipue Humanitas Iesu Christi atque Virgo Beatissima propter arctissimas relationes cum Deo, et quia in eis longe splendidius quam in ceteris creaturis attributa divina refulgent; mysticus vero, magnificentiam illam atque mysteria contemplans, abstrahit a particularibus adiunctis, eaque in altissima unitate considerat, atque interdum etiam notitiam omnem particularium amittit, suspendente Deo potentias in contemplatione penitus perfecta (2).

208. Fines contemplationis. — Finis proximus contemplationis non alius esse potest quam animae sanctificatio, quippe quae non pertinet, generatim inspecta, ad gratias *gratis datas*, sed actus complectitur meritorios virtutum theologicarum animae contemplativae, unde a Domino tribuitur in spiritualem profectum recipientis (3). Inferius enumerantur praestantiores saluberrimi fructus, quos generat contemplatio in hominibus ista via mystica incedentibus. Cum autem hisce mediis regulariter ad perfectionem altius atque celerius perveniatur, quam per asceticas vias, unaque ex his animabus sanctissimis clarius decoret Ecclesiam, longeque magnificentius laudet Deum, quam turba plurima fidelium pusillanimorum ac tepidorum, fas est concludere finem remotum contemplationis esse bonum plurimarum animarum (4), imo totius Ecclesiae, ac postremo gloriam Domini in terris, quam beati concele-

(1) Antonius a Spiritu Sancto, *Directorium Mysticum*, tr. I, sect. 1, n. 1; Fernandez Concha, *Teologia Mistica*, c. xviii.
(2) S. Theresia, *Vida*, c. xxii, n. 5.
(3) Alvarez de Paz, op. cit., l. V, p. II, c. v.
(4) S. Theresia, *Vida*, c. ii, n, 2, et c. xv, n. 3.

brant in caelis. Vere de anima contemplativa licet asserere beatitudinem iam attigisse in terris, cum, testante Angelico Doctore, beatitudo in divinorum contemplatione consistat (1).

209. Contemplationis proprietates. — Ut contemplatio mystica apprime dignoscatur, eius proprietates in duas species distinguamus : aliae quasi essentiales et constitutivae aestimandae sunt, aliae autem velut integrantes et accessoriae. Inter primas recensere oportet eas, quae membra sunt definitionis superius allatae, scilicet : *intuitio divina, gustus mysticus de Deo*, atque *amor vehemens :* alterius generis sunt plurimae aliae virtutes, in quibus eminent *admiratio*, *suspensio*, atque *vehemens gaudium* vel *poena*. De primis satis ad propositum nostrum dictum est, pauca de secundis sive accessoriis superest dicendum.

Admiratio definitur a S. Thoma « reverentialis quidam timor, consequens apprehensionem alicuius rei excedentis facultatem nostram » (2). Et re sane vera, aequum est ut actum contemplativum magna admiratio comitetur, cum in ipso menti obversetur obiectum mirae excellentiae, stupori generando aptissimum. Ex definitione autem Divi Thomae deducitur admirationem in parte affectiva residere (sicut residet timor) supposita in intellectu rei magnae sive sublimis apprehensione.

Suspensio potentiarum oritur ex magna difficultate eas applicandi quasi ex se ad obiecta sua naturalia, vel ad deprecationes ipsas, resque spirituales particulares, atque ad actus reflexos. Ista difficultas, si gradum moralis impossibilitatis assequatur, dicitur proprie *suspensio*, si autem remissior sit, vocatur *ligamen* (3). Eius causa repetenda plerumque est ex magna vitalis virtutis absorptione a potentia, quae ita in obiectum supernaturale tota fertur ut nec ipsi vires suppetant in alia intendere, nec ceteris potentiis locus

(1) *Summa Theol.*, I-II, q. III, a. 5, c., et a. 8, ad 1.
(2) Ibid., II-II, q. CLXXX, a. 3, ad 3.
(3) POULAIN, op. cit. p. II, c. XIV.

sit actus proprios expedite exsequendi. Cum autem causa haec non semper valeat explicare phaenomena omnia suspensionis, in diversis gradibus mysticis observata (1), supponenda est actio quaedam divina, intercludens humanam activitatem in iis, quae impedimentum esse possunt illius gradus contemplationis, quem divina bonitas felicissimae suae creaturae communicare dignatur, uti ex doctrina S. Theresiae deducitur (2).

Fruitio, delectatio, animae quies dulcissima in actu contemplationis sequela est possessionis tanti boni, quod tunc animae communicatur. Nihil, sane, intellectui placidius, quam inventio atque possessio divinae veritatis, nihil cordi beatius quam amor atque possessio boni perfectissimi. Unde probat Doctor Angelicus delectationem spiritualem (quae saepe in sensibilem partem exundat) rerum divinarum contemplationem comitari (3), atque experti mystici dulcissima haec et suprema gaudia spiritus contemplantis ea describunt mentis extasi et iucunditate (4), ut in gloriae procestrio scribere videantur.

Attamen verum est, si fidem eisdem habeamus, interdum contemplationem secum maximam acerbitatem afferre, poenamque crudelissimam et mentis inquietudinem inenarrabilem, vel quod aperit animae abyssum profundissimam imperfectionum ac malignitatis, quae ipsam latebat, vel quod lumina de caelo cum potentiarum ineptitudine contendere debeant, quo quidem verus ac terribilis locus purgationis earum constituitur (5).

Id autem mirandum in his gaudiis et moeroribus, quod ita in anima consocientur interdum, ut neutris velit ipsa carere, licet vehementissime torqueatur et dilaceretur. Hocce mirum consortium contrariorum affectuum apparuit, inter alia exempla, in stupendo prodigio cordis beatissimae Theresiae transverberationis (6).

(1) Ibid., p. VI, c. XXXI, § 5.
(2) *Camino de perfección*, c. XXV.
(3) *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXX, a. 7.
(4) S. Theresia, in *Vida*, c. XIV, et XV; *Camino de perfección*, c. XXXI, et alibi passim.
(5) S. Theresia, *Vida*, c. XXXII et XXXIX; *Moradas*, VI, c. VII.
(6) *Vida*, c. XXIX.

CAP. II.

Effectus contemplationis.

210. Huius capitis ratio. — Finis a Deo intentus in anima, quam infusa contemplatione dignatur, est, uti diximus (208), maior illius perfectio, quae quidem non circumscribitur summis divinisque communicationibus in ipso contemplationis actu, sed plurimis saluberrimis, aeque ac manentibus effectibus in posterum, qui ex ipsa contemplatione erumpunt velut tam divini stipitis fructus opimi: *Omnis arbor bona bonos fructus facit* (Matth. VII, 17). Hos fructus perpendere quos, etiam expleto contemplationis actu, relinquit in animo illud caeleste donum, praesentis capitis munus erit.

Agemus vero de effectibus generalibus cuivis contemplationis gradui communibus; de specialibus enim erit sermo cum singulorum naturae studeamus. Utrorumque studium magni momenti moderatoribus est, vel ut mysticam vitam aequi faciant, vel ut actus legitimos contemplationis infusae ab ementitis diiudicent; fictio etenim, illusio, atque insipientia nullo modo possunt fructus efferre, qui e vera contemplatione nascuntur.

Tandem deducemus ex hac doctrina liceitatem desideriorum contemplationis, verumque munus quo fungitur ipsa in christianae perfectionis oeconomia.

211. Horum effectuum enumeratio. — Difficile est in pauca colligere laudatorum fructuum multitudinem atque opulentam varietatem, cum vere de contemplatione, quae sapientia caelestis est, scripta videantur verba illa: *Venerunt autem mihi omnia bona pariter cum illa* (Sap. VII, 11). Praecipuos autem lubet sub his titulis recensere: *cognitionis*, *abalienationis*, *charitatis, sacrificii et intercessionis*, quos insequentibus

numeris breviter exponemus, testimonia praesertim afferentes mysticae Doctricis.

212. Fructus cognitionis. — Triplex cognitio maxime illustratur lumine contemplationis infusae, nempe: cognitio misericordiarum et attributorum Dei, cognitio miseriae et nihili proprii, necnon cognitio vanitatis parvitatisque rerum mundanarum.

Cognitio Dei divinorumque attributorum, licet fidei semper innixa, ideoque arcana quadam obscuritate eorum propria circumfusa, adeo sublimis est atque pellucida in mentibus contemplantium, ut in comparatione illius tenebrae sint notitiae, quam assequuntur animae, quae divinam Bonitatem numquam tali experientia degustarunt. Audiatur Beata Theresia: « Dedit mihi Dominus perspicere quomodo, unum cum sint (Personae divinae), adeo distinguantur. Magnalia sunt adeo excelsa, ut iterum praecupiat anima vinculis istis corporis absolvi, quae impediunt talibus perfrui. Tantum lucri affert animae (intuitus ille), momentaneus cum sit, ut nequeat ullo modo comparari cum lucro plurium annorum meditationis, quin intelligat modum » (1). Temporis punctum contemplationis plus de rebus divinis mentem illustrat quam dies multos meditationibus etiam lucidissimis instare: « infernum enim considerare (ait mysticus quidam), est leonem depictum videre; infernum contemplari, est leonem vivum inspicere » (2).

Propria cognitio per contemplationem tam vera tamque profunda possidet hominem, ut incedat anima quasi pudore sui suffusa atque pavida, videns se totam spurcitiam atque nequissimam creaturarum, uti contingebat S. Theresiae (3) aliisque multis. Atque S. Ioannes a Cruce latius accepta doctrina ista, sic ait: « Dona cuncta, a Deo homini collata, regulariter hac sui suaeque miseriae cognitione involvuntur » (4).

(1) *Relaciones*, tit. 9, n. 14.
(2) P. Lallemant, *La doctrine espirituelle*, premier principe, c. IV.
(3) *Moradas*, VI, c. VII.
(4) *Noche oscura*, l. I, c. XII.

Vanitas rerum terrestrium adeo evidenter apprehenditur, ut nequeat anima contemplativa intelligere qui possint homines tam caducis rebus allucinari: « Quam expavescit anima caecitatis suae ! Quam miseret eorum qui simili caecitate tenentur... ! Vellet inclamare, ut moneat quam misere fallantur... Piget temporis quo levissimi honoris momentis pepercit, atque erroris, quo honorem existimabat, quod mundus honorem appellat: videt tunc omnia maximam falsitatem esse, nosque omnes in illa versari... » (1).

213. Fructus abalienationis. — Eius intimae persuasionis fructus necessarius esse debet omnimoda animae abalienatio a creaturis, perfecta proprii amoris subiectio, atque remotio omnium affectuum, qui divinae unioni possint officere. Atque ita re vera esse exstant innumera testimonia. « Incipit (animus), isthuc perveniens, concupiscentiam abiicere terrestrium » (2). « Oratio perfecta (verba sunt eiusdem S. Theresiae) affectum omnem honoris et pecuniarum avertit » (3). Atque ita subiungit: « Animae, quam Deus ita sibi coniungit in tam sublimi oratione, tanti est aestimari quam non. Non bene dixi; equidem est; multoque magis honoris taedet ipsam quam ignominiae » (4). Inde oritur spiritus ille paupertatis profundaeque humilitatis, qui in vita contemplantium apparet, quique adeo splendet per capita omnia autobiographiae beatae Theresiae (5).

214. Fructus charitatis. — Ab omnibus iam terrenis rebus abalienata mens, atque a Deo superius illustrata de illius infinita bonitate, quosnam tam feliciter disposita non ferat fructus flammarum divinae dilectionis, atque vehementissimorum desideriorum salutis animarum toto orbe degentium? (**177** et **198**). Re

(1) *Vida*, c. XX, n. 17.
(2) Ibid., c. XIV, n. 3.
(3) *Camino de perfección*, c. XII, n. 4.
(4) Ibid., c. XXXVI, n. 6.
(5) *Vida*, c. XV, n. 9.

quidem vera, tam ardentes sunt affectus illi in animabus contemplatione dignatis, ut nihil aliud sapere, nihil in suis operibus desiderare, nihil aliud persequi videantur quam Dei et proximorum charitatem, cuius iaculis feriuntur, quam semper sitientes concupiscunt. Etiamsi de primis contemplationis gradibus agatur, scripsit S. Theresia: « Scintilla haec a Deo posita infusa contemplatio, quantulacumque, multum crepat, quod si incuria animae non exstinguatur, incipit ignem in altum succendere, qui flammas evomit charitatis Dei, quam libet divinae Maiestati in animabus perfectis reponere... » [1]. De superioribus gradibus quis dicat? tam sensibiles tamque miri deveniunt aestus illi divinae dilectionis ut interdum anima amore deliquescat, extra se rapiatur, plagis vulneretur uti S. Franciscus, divinos experiatur ardores ut S. Stanislaus a Kostka, membrorum diruptiones uti Philippus Nerius, etc. Et quamvis anima omni careat delectatione et solatio, charitas eam sustinet, refovet atque ad operandum impellit. « Alias, anima sibi videtur indigentissima, dicens et quaerens a semetipsa: *Ubi est Deus tuus?* (Ps. XLI) », sicut refert eadem beata Theresia [2].

Iis divinae charitatis impulsibus coniugata incedunt dilectio proximorum, zelusque salutis animarum, sicut in diversis locis affirmat Doctrix nostra: « O amorem praepotentem Dei, quam alii sunt effectus tui a mundani amoris effectibus! Hic socium non sustinet, existimans sibi auferendum quod possidet. Charitas Dei mei, dum plures intelligit amatores exsistere, magis augetur, gaudiaque eius temperantur dum videt non omnes perfrui tanto bono.... Unde anima media excogitat socios habendi, atque libenter gaudiis propriis renuntiat, cum existimat id alicuius fore momenti ut et ceteri satagant illo gaudere » [3]. « Si incipiens enitatur cum gratia Dei ad culmen perfectionis conscendere, aestimo quod numquam solus caelum ingrediatur,

(1) *Vida*, c. XV, n. 3.
(2) Ibid., c. XX, n. 18.
(3) *Exclamaciones* vel *Meditaciones*, 2.

magnam post se manum adducit semper ; tamquam duci strenuo multos concedit illi Deus, qui comitentur » (1).

Una cum charitate, omnes christianas virtutes excitat contemplatio, licet enim haec primum tantummodo gradum attingat, « virtutes crescere facit, ait beata Theresia, multo magis incomparabiliter quam prior oratio (meditatio) : videt enim se anima iam e sua miseria erigi, eique datur aliquantulum notitiae gaudiorum caelestium... (2).

215. Fructus sacrificii. — Consectarium aestuantis amoris Dei, a contemplatione excitati, est amor crucis, poenitentiae, regularis observantiae, subiectionis sensuum, secessus, atque submissae obedientiae ; ea omnia, ut anima Christo confixa sit cruci (**197**). Uti enim superius innuimus (**204** et **209**), non concipienda est vita contemplationis velut status divinis semper affluens supernis consolationibus ; imo potius velut semita undequaque gravibus crucibus sparsa atque laboribus, neminem enim tam potenter solet affligere Deus quam animas contemplantes ; pariter tamen eas magno crucis ac poenitentiae ditat amore (3), atque interdum superioribus replet solatiis, quo possint magis strenue atque constanti animo illa perferre. Ita beata nostra Magistra (4) : « Quos Deus multum diligit, per vias tribulationis conducit, eo quidem acerbiores quo plus diligit... Credere enim in suam amicitiam suscipere delicatos, orbosque laboribus, deliramentum est ; mihi suadeo maiores sibi a Deo infligi... Ideo divina Maiestas debet eis nutrimenta praebere, et non quidem aquae, sed vini, ut vino divini amoris inebriati, non noverint quae patiantur, valeantque perferre. Unde perpaucos video vere contemplativos, quos non item videam strenuos, et ad perpetiendum paratos ».

(1) *Vida*, c. XI, n. 2.
(2) Ibid., c. XIV, n. 3.
(3) *Moradas*, V, c. II, n. 6.
(4) *Camino de perfección*, c. XVIII, n. 1, etc.

216. Effectus intercessionis. — Animae quibus donum contemplationis infunditur magna apud Deum in gratia sunt, ab eo enim prae ceteris diliguntur, et ad magna praedestinantur. « Est, inquit, S. Theresia, haec scintilla (contemplatio in primo gradu) signum sive arrhatio, quam Deus animae elargitur, quod illam iam tunc ad magna eligit, dummodo ad talia suscipienda se ipsa disponat : magnum certe donum, maius quam ut ego dicere valeam » (1). Iam superius indicavimus fructus quos efferunt in proximorum totiusque Ecclesiae utilitatem (214), idque licet asserere cum P. Lallemant: « plus homo sibi ceterisque proficere mense uno contemplationis, quam sine illa decem annis » (2).

217. Eius defectus. — Saluberrimi equidem sunt fructus contemplationis infusae, adeo ut propter eos ipsamque contemplationem fideles, tanto dono gratificati, possint existimari *amici fortes Dei* (3) atque ideo in gratia constituti (4) ; non tamen ideo omni carent imperfectione atque defectu, neque possunt in gratia confirmati iudicari, etiamsi altissimos unionis mysticae gradus attigerint. Corrigit S. Theresia falsam opinionem saeculi atque confessariorum parum expertorum, qui scandalizantur de quovis defectu, quem in contemplantibus repererint aut reperire praesumpserint, quasi de angelis ageretur (5). Mendae istae defectus naturales sunt potius existimandae, cuilibet ingenio proprii, quos ideo Deus permittit, ut contemplativum in humilitate servet ; non tamen reperientur in eo peccata, vel venialia, plene deliberate commissa, maxime in gradibus superioribus sive unionis mysticae (6).

Verumtamen possibilis est lapsus in peccata, etiam gravia, si anima oscitetur ; quae quidem possibilitas

(1) *Vida*, c. XV, n. 3.
(2) *La doctrine espirituelle*, sept. princ., c. IV, art. 4 ; item La Puente, *Guia espiritual*, t. 2, tr. IV.
(3) S. Theresia, *Vida*, c. XV, n. 3.
(4) *Camino de perfección*, c. XIX, n. 7.
(5) *Vida*, c. XXXI, n. 7, et *Moradas*, VI, c. I, n. 16.
(6) *Moradas*, VII, c. IV, n. 3.

non in inferioribus modo, sed etiam in summis gradibus contemplationis dari potest, ut observat S. Theresia : « Quamvis anima tantis mercedibus a Deo donetur in oratione, ne fidat sibi, cadere enim potest, nec ullo modo velit occasionibus se committere » (1). Atque loquens de pervenientibus in mansionem septimam, quae supremus est gradus, admonet : « etiamsi liberae sint, non tamen securae » a lapsu in mortalia (2) : quae quidem insecuritas inde oritur, quod a priori statu prius decidant (3).

218. De desiderio contemplationis. — De contemplatione naturali seu acquisita disserentes, conclusimus licitum esse illius desiderium, sub quibusdam conditionibus (**191**) ; licetne idem asserere de infusa contemplatione? Quamvis aliqui auctores tale desiderium praesumptionis arguant, atque superbiae, necnon temeritatis, quasi illusionibus expositum (4) ; doctrina vero communior, rationabilior, atque auctoritate mysticorum, traditione et antiquitate firmior, pro liceitate certat, quoties de contemplatione proprie dicta, non vero de donis mysticis contemplationis distinctae, agatur (**203**). Aliqui directores, ut S. Alphonsus M. de Liguori, volunt ut nobile hoc desiderium tunc licitum sit, cum anima iam a Deo fuerit initiata in viis supernaturalibus ; alii, cum Scaramelli, tum licitum esse cum anima ad illud divina inspiratione movetur ; alii demum absolute licitum censent etiam ante accepta pignora quaevis, haec tamen monita servando : 1° ut desiderium illud consocietur humilitati et rectae intentioni, cogitationem omnem excludendo inter spiri-

(1) *Vida*, c. XIX, n. 7.
(2) *Moradas*, VII, c. IV, n. 3.
(3) Ibid., c. II, n. 15.
(4) His non obstantibus « diversitas, ut ait MEYNARD (op. cit., t. 2, n. 75) apparens potius quam realis est », nec est cur, nostro quidem iudicio, adeo nos turbet ea sententiarum oppositio, aut tam acriter denuntietur ab aliquibus scriptoribus, qui dum opiniones exaggerant, magis eas et altius dividunt, cum earum potius appropinquatio et harmonia esset perquirenda. Attenta sane horum et illorum mente, tenuis revera differentia prostat.

tualem aristocratiam recensendi, ut desiderant falsi devotionis sectatores; 2° ut avertantur illusiones, faciles in iis, qui se contemplativos autumant; 3° ut desiderium semper divinae subiiciatur voluntati, ordinemque regularem Providentiae nolit praevertere, exemptiones enim et privilegia minime sunt concupienda (1).

Doctrina ista eisdem rationibus fulcitur, quas pro contemplatione naturali exposuimus, itemque sententiis plurimis veterum illustrium Magistrorum, qui hortantur donum illud a Deo postulare, seque ad illud studiose disponere. Satis superque est pauca loca principum scientiae mysticae, S. Theresiae atque S. Ioannis a Cruce, adducere. Loquitur beata Doctrix: « Pro certo habete, quod facientibus quod in nobis est, vosque contemplationi aptantibus, ea, qua dictum est, perfectione, Ipse vobis, nisi modo concedat (nec desinet concedere, credo, si vera sit abalienatio atque humilitas), haec dona servat omnia simul vobis elargiturus in caelo » (2). « Quae vero (orationem supernaturalem) non obtinent, eniti debent ea peragere, quae in hoc libello scripta sunt, quibus possint industriis proficientes, diligenter sollicitae ut Dominus tribuat, Ipsum enixe obsecrando, seque ipsas adiuvando, idque Domino committant, qui unus daturus est, et non negabit, nisi steteritis in via, sed enitamini finem usque pertingere » (3). S. Ioannes a Cruce edocet passim dispositiones, quas ad unionem mysticam debet anima procurare, supponitque saepius illam ab anima exoptatam atque postulatam fuisse: « Hi sunt enim contactus (mystici), quos ipsa (anima) coepit in principio Canticorum exposcere: *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. I, 1). Quae cum res sit, quae tam proxime Deo agitur, ad quem anima tam ardenti desiderio concupit pervenire, pluris ducit ac magis praeoptat contactum unum Deitatis, quam omnia cetera dona quibus afficitur » (4). Ita pariter

(1) Cfr. Poulain, *Op. cit.*, c. xxv.
(2) *Camino de perfección*, c. xvii, n. 6.
(3) Ibid. c. xxv.
(4) *Noche oscura*, l. II, c. xxiii.

sentiunt Dionysius, Richardus a S. Victore, Divus Bernardus, etc. (1).

Sententiae vero atque argumenta praefata quae honestatem evincunt desiderii contemplationis infusae, non idem concludunt de appetitu donorum mysticorum, visionum scilicet, revelationum, etc. et eorum quae *gratiae gratis datae* dicuntur, quae quidem per se suscipientem non sanctificant ; e contra, contemplatio proprie dicta potentissimum et efficax medium est ad culmina etiam altissimae perfectionis perveniendi.

219. De contemplatione et perfectione. — Contemplationis atque perfectionis definitionibus inter se collatis, facile apparet non esse confundendas, quasi utraque res unum forent ; sed prior est medium ad alteram (2). Etsi enim vera contemplatio Dei dilectionem essentialiter amplectitur, ista dilectio invenitur in ea *per modum actus*, semper est enim actus, non vero habitus, contemplatio ; contra vero perfectio est ipsa charitas Dei *per modum habitus*. Contemplatio, insuper, non consistit primario in actu charitatis Dei (qui etiam extra contemplationem dari potest, et quidem tam intensus, quanta sit gratia a Deo communicata), sed essentialiter consistit in actu intuitionis : haec vero, ut actus omnes intellectus, non est, vita sospite, perfectissimum in homine (3).

Attamen, iuxta exposita in superioribus huiusce capitis numeris, infusa contemplatio habenda est medium excellens ac efficax altissimae perfectionis assequendae. Sitne medium necessarium ? Numne impossibile sit ad arrectissima quaeque perfectionis culmina per vias tantum asceticas pervenire ? Non desunt eximii scriptores, qui affirmative ad utrumque respondeant, necessitatem moralem contemplationis infusae affirmando, ut anima sit omnino perfecta, quoad fieri potest

(1) Poulain, loc. cit. et textus ibidem citati ; Lehodey, *Les voies de l'Oraison mentale*, p. III, c. xiii, etc.

(2) Poulain, op. cit., c. xxviii, § 2.

(3) S. Thomas, *Summa Theol.*, p. I, q. lxxxii, a. 3. — Conf. Alvarez de Paz, *De inquis. pacis.* l. V, p. II, c. iii.

in praesenti vita (1) ; veriorem tamen arbitramur oppositam conclusionem.

Et sane ; perfectio consistit in activa unione cum Deo, quae fit per charitatem, voluntatem nostram cum voluntate divina ad amussim conformando, quod quidem per asceticam viam valet obtineri si Deus animam in mystica via non constituat, utraque enim nihil aliud sunt quam media ad christianam perfectionem. Faciunt ad rem verba S. Theresiae : « Studium omne illius qui orationem aggreditur (nec excidat hoc e mente, quia multum interest) futurum est hoc, ut adlaboret, decernat, seque disponat quam plurimis possit industriis, ad voluntatem suam cum voluntate Dei conformandam, atque certissimae scitote in hoc consistere maximam perfectionem, quam in via spirituali potestis adipisci » (2). Certum est contemplatione seu via mystica celerius ad perfectionem deveniri (3), atque regulariter etiam altiora teneri : cum tamen utraque opus sit multiformis gratiae Dei, donum vero contemplationis infusae, omnino gratuitum, nemo *de condigno* aut ex iustitia promereri possit quod quidem Deus dare non tenetur (4), concluditur eam

(1) Vid. P. Arintero, *La Ciencia Tomista*, año VI, n. 35, p. 161 : et *Cuestiones misticas*, cuest. 4, p. 385 (Salamanca 1916) ; item, P. Garate, *Razón y Fe*, (año 1908) pag. 318 et seqq.

(2) *Moradas*, II, c. unicum, n. 16.

(3) S. Theresia, *Moradas*, V, c. III, n. 5.

(4) *Moradas*, IV, c. II, n. 8. — Non defuit scriptor (P. G. Arintero, *Cuestiones misticas*, cuest. 2, a. 6), qui contrarium teneat, contra communem theologorum ac scriptorum sententiam. Impugnat P. Villada S. I. (*Razón y Fe*, t. 48, p. 237), innixus quod gratias efficaces (quae dantur abs dubio in vera contemplatione infusa) non possunt homines de condigno mereri. P. Arintero, dum affirmat hoc meritum de condigno, constat sibi, docenti hominem necessario mysticum esse debere ut sanctus sit vel etiam christianus perfectus, ad quod tenemur universi (cuest. 4, a. 2): post deductas vero istas conclusiones, finem facit affirmans *de facto* plerumque forte solum meritum *de congruo* intercedere. — Iam vero si, ut sanctitatem aut perfectionem assequamur, necessario mystici esse teneremur, Deus, qui primum appetere et consequi nos iubet, et alterum dare teneretur, unde contemplationem ex aequo seu de condigno mererentur illi saltem qui speciali vinculo ad christianam perfectionem obligantur. Atqui theologi mystici, ipso P. Arintero non excepto, unanimiter tenent Deum infusam contemplationem donare *cui vult et quando vult* (*Cuestiones*

non esse necessariam ad sanctitatem, atque *possibile* esse maiorem gratiam virtutemque per vias ordinarias Asceticae quam per extraordinarias Mysticae obtinere, quamvis *in facto* communius sit ut in actuali Providentia homines vere sancti hac secunda via incedant. Insuper quemadmodum non opus est ad perfectionem assequendam statum religiosum tenere (qui tamen status dicitur *christianae perfectionis*), sic nec opus erit generatim loquendo, statum mysticum attingere : Deus unumquemque ad hunc aut illum statum vocat pro sua voluntate (1). Imo fieri potest ut viatores inveniantur, qui Deum intensius diligant, quam aliqui beati in caelo, *lumine* licet *gloriae* elevati, quod sane lumen contemplationis natura sua longe transcendit (2) ; multo possibilior dicenda erit praestantia illa inter viatores ipsos communi dono gratiae aut lumine contemplationis donatos.

Ad nostrae doctrinae confirmationem faciunt, inter alia, subiecta loca mysticae Doctricis (3) et Principis mysticorum : « Quod omnes (*moniales*) in hac domo de oratione satagunt, non ideo omnes contemplativae futurae sunt ; impossibile est hoc, magnaque desolatione erit ei quae talis non est, hanc veritatem non intelli-

misticas, cuest. 2, a. 2 et S. Theresia, *Moradas*, IV, c. 2, n. 8), eo quod nemini sit debitor. Aliter loquuntur de gratia homini necessaria ad quemlibet actum virtutis (et consequenter ad sanctitatem), quae nemini denegatur. — Neque vero obiiciatur gratias conversionis et perseverantiae finalis omnino gratuitas esse simulque necessarias ad salutem ad quam tenemur ; pro his namque specialia militant argumenta, ne possint cadere sub merito, quae quidem argumenta non valent in re praesenti (Videatur articulus noster in ephemeride *Commentarium pro Religiosis*, II, [1921], 248).

(1) P. Schryvers, *Les principes de la Vie espirituelle*, l. II, p. II, c. vii, a. 4.

(2) Ita Cardin. Gotti *Theol. Schol. Dogm.* t. II, tr. 12, q. 2, dub. 3, § 1.

(3) Afferuntur sane sententiae aliquae ex operibus S. Theresiae, in quibus videtur contrarium asserere ; quae quidem sponte explicantur, si prae oculis habeatur sententias illas casus particulares respicere, privatumque iudicium de iis vel de illis animabus, non tamen generalem doctrinam exprimere. Textus item, qui adversus doctrinam nostram e Sanctis Patribus afferuntur, possunt explicari sensu generico de spiritu orationis (62 not. 1).

gere, scilicet, hoc rem esse quam Deus elargitur, et quia necessarium non est ad salutem, nec hac de re nos urget, non putet de hoc ab alio urgendam ; quod non ideo, si ea, quae praedicta sunt, fecerit, perfectissima non erit » (1). « Vera unio optime potest, adiuvante Domino, obtineri, si laboremus eam procurare, nullam voluntatem habendo, nisi alligatam iis quae Dei sint voluntatis (2). Ego autem dico vobis, et saepenumero dicam, quando vere a Domino istam mercedem consequutae sitis, nihili sit vobis haec altera dulcissima unio (passiva seu infusa) quam supra memoravi » (3). « In humilitate, mortificatione, abalienatione et virtutibus aliis maior est securitas semper ; nihil verendum neque vobis timendum est ne non *ad perfectionem sicut alte contemplativi perveniatis*... Atque fieri posset ut non tantam de contemplatione mercedem (caelestem) haberetis. Iudicia sunt Dei : non est nostrum ea perscrutari » (4). Concordat S. Ioannes a Cruce, ad propositum nostrum scribens : « Non omnes, qui se ex animo in via spirituali exercent, evehit Deus ad contemplationem, *nequidem dimidiam partem ; quare? Ipse noverit* » (5). « Sanctosque plures videbimus in caelo, ait S. Alphonsus M. de Liguori (6), qui sine iis mediis donisque supernaturalibus maiori fruentur gloria, quam alii, qui talibus dignati sunt ». Neque etiam Ecclesia exigit homines contemplativos fuisse, ut illos in sanctorum referat album (7).

(1) *Camino de perfección*, c. XVII, n. 2.

(2) Notetur beatam verba facere de activa unione, seu de conformatione voluntatis nostrae ad Dei voluntatem, quod quidem in nobis est.

(3) S. THERESIA, *Moradas*, V, c. III, n. 3, 4 et seq.

(4) *Camino*... c. XVII, n. 4 et 6.

(5) *Noche oscura*, l. I, c. IX, (editio critica).

(6) *Praxis confessarii*, c. IX, § 2, n. 136. Iisdem fere verbis scripsit S. FRANCISCUS DE SALES, *Traité de l'Amour de Dieu*, l. VII, c. VII.

(7) BENEDICTUS XIV, op. cit., l. III, c. XXVI, n. 8.

CAP. III.

De dispositionibus ad contemplationem.

220. Huius capitis ratio ac divisio. — Certissimum axioma philosophicum est omnem formam in quolibet subiecto suscipiendam exigere adaequatas in eo dispositiones, eo quidem maiores, quo illa fuerit excellentior. Non cuivis animae thesauros suos committit Dominus ille, qui dixit : *Nolite sanctum dare canibus* (Matth. VII, 6), quique multis modis praecipit nobis : *Praeparate corda vestra Domino* (I Reg. VII, v. 3). Licet enim divinus Spiritus mystica sua dona ubi vult inspirat (I Cor. XII, 11), atque interdum etiam imperfectis transeunter illa impertitur, praevias tamen dispositiones postulat, vel ipse elargitur, ut ex pluribus patet Sacrae Scripturae locis (1).

Dispositiones ad contemplationem vel ab ipso subiecto venire possunt, vel a Deo causantur : priores semper insufficientes sunt, non enim datur adaequata proportio inter operam nostram, et ea quae supernaturalia sunt liberaeque dispensationis Dei. Ideo auctores aliqui causas illas *negativas* appellant, quas nos iuvat *activas* potius appellare, negativum enim in re nostra nihil aliud significaret quam *abstinere* ab interiacendis obicibus, et gratiae contemplationis resistere ; atqui homo positivum quid praestat, uti mox dicetur, semper tamen supposita ordinaria gratia Dei.

Deus animas ad contemplationem dupliciter ipse per se disponit: *vocatione* qua eas dignatur, pluribus adiectis gratiis praevenientibus, ac *purgatione passiva*, quam ipse operatur vel permittit ad animi purificationem. — De vocatione satis ad propositum nostrum dictum est 30 et 31), atque cum divo Ioanne a Cruce signa etiam ordinaria (miraculosis praetermissis) notavimus, unde

(1) Vid. Alvarez de Paz, *De inquis. pacis*, l. V, pag. 1.

dignoscitur an aliquis iam tunc contemplativus sit futurus (66); de passiva purgatione animarum mysticarum dicendum restat. Duplices etiam sunt dispositiones, quas homo procurare potest: aliae sunt proprii ingenii ac laboris, aliae externae directionis, a prudentia et labore moderantis magistri proficiscentes. Utraeque non aliquem inferiorem gradum infusae contemplationis intendunt, sed ad supremos se extendentes, firmitatem in eis atque progressum pertentant.

Unde liquet dispositiones ad contemplationem (divina vocatione supposita), hic et nunc exponendas, triplices esse: dispositiones, videlicet *activas*, *passivas*, atque *directivas*, quae argumentum suppeditant tribus sequentibus paragraphis.

§ 1. — Dispositiones activae.

221. Remotio impedimentorum. — Ad contemplationem et unionem mysticam uti minimum postulandum, quod omnia arceantur obstacula, quae illam possint praepediri. Maxime sunt impedimentum in primis peccata omnia, inquietudines (68), defectusque omnes in via ascetica purgationis enumerati; inter eos autem vere capitales praecipue sunt habendi tres sequentes: sensuum ac potentiarum divagatio, inordinatus sui amor, et cuivis adhaerentia creaturae. Unus tantum inordinatus appetitus, habitualis, quantuluscumque sit, observat S. Ioannes a Cruce (1), plus officit unioni divinae quam alia peccata venialia, etsi graviora in genere venialium, inopinato commissa. Ita concluditur ex natura ipsa contemplationis, atque eximiorum mysticorum testimoniis. Pauca exhibeamus.

Ait Kempis: « Ideo enim pauci inveniuntur contemplativi, quia pauci sciunt se a perituris ac creaturis ad plenum sequestrari » (2). S. Ioannes a Cruce: « Hoc bonum (unionis mysticae) nullus assequitur nisi per

(1) *Subida del monte Carmelo*, l. I, c. XI.
(2) *De imit. Christi*, l. III, c. XXXVI.

intimam purgationem, denudationem, et quasi latebrosum secessum spiritualem ab omnibus creatis » (1). Libri tres beatissimi huius mystici de *Subida del monte Carmelo*, nil aliud intendunt quam praefata impedimenta impigre removere. S. Theresia : « Mihi persuadeo ideo non plures spirituales (animas) reperiri quod, cum non talia servitia praestent quam pro mercede tanta (contemplationis nempe exordiis), neque iterum se ad suscipiendam disponant, imo potius laborent eripere de manu Domini voluntatem, quam uti rem suam possidet, et ad abiecta convertere, abscedit Dominus alias quaesiturus, quae se diligant, ut plura largiatur, licet donata semel non omnino aufert, dum vivitur in conscientia pura » (2).

Maxime etiam contemplationem impediunt *illusiones*, seu errores qui super his rebus mysticis praevalere solent, atque praecipue : 1° existimare se multum profecisse et quasi in superiori spirituali hierarchia iam constitutum, eo quod pignus aliquod habeat horum donorum supernaturalium ; 2° securum se et quasi immutabilem in hac via iudicare, sicut arbitratus est Psaltes: *Non movebor in aeternum* (Ps. XXIX); 3° autumari se in omnibus, quae agit vel loquitur, divino afflatu inspirari, quasi Spiritus Sancti gratiam sibi vindicaverit ; 4° se ipsum absolvere ab exercitiis mortificationis, observationibus, aliisque minutis rebus, quasi novitiorum propriis ; 5° suavitati delectationibusque adhaerere, ista ambire, et forte visiones ac revelationes appetere (3). Omnes isti errores a proprio amore nascuntur, qui facile etiam in sanctissima quaeque subrepit, cuius effectus immediatus est divina beneficia a se avertere.

222. Perseverantia in virtutibus. — Quemadmodum vera contemplatio cunctas promovet virtutes (214), ita vicissim virtutum exercitatio statum contem-

(1) *Noche oscura*, l. II, c. XXIII.
(2) *Camino...*, c. XXXI, n. 12. — Vid. etiam G. ARINTERO, *Cuestiones místicas*, cuest. 3.
(3) LEHODEY, *Les voies...*, p. III, c. XII, § 2.

plantis promovet atque consolidat (1): maxime vero charitas, humilitas, amor crucis, abalienatio sancta, ordo atque tranquillitas animi. Quasi summam vero atque compendium harum dispositionum, quas perstringit S. Theresia a Iesu, indicat sinceram humilemque animae in manus Dei deditionem. Magistram audiamus in duobus locis magis explicitis: « Harum animarum (virtutes excolentium) per misericordiam Dei multas credo esse in hoc saeculo: studiosissimae Maiestatem divinam non offendere, etiam a peccatis venialibus cavent; poenitentiae amicae, horas quasdam secessus observant, tempore bene utuntur, operibus se exercent charitatis in proximos, in verbis optime moratae, in vestitu, in regimine domus, si ei praesint... Quoad apparet, non est cur eis interdicatur ingressus usque ad intimam mansionem (contemplationis perfectissimae), neque interdicet Dominus, si ipsae velint; optima equidem dispositio est ad mercedem istam suscipiendam » (2). « Ipsius sumus, quidquid velit de nobis faciat, quo placuerit nos ducat: hoc mihi persuadeo quod eam, quae in veritate se humiliaverit atque omnino se abalienaverit (in veritate, dico, non quidem iuxta cogitatus nostros, qui saepe fallunt nos, sed quod vere ab omnibus abalienatae simus) non fraudet Dominus mercede ista multisque aliis, quas desiderare nesciemus » (3).

Vere humili et simplici cordi, non modo non nocebunt scientiae theologicae et naturales, ut autumatur Molinos (4), sed magno ad haec sibi momento erunt, asserente Doctrice nostra: « Aliae personae magis proficient, praecipue si litteris sint instructae, quae in hoc exercitium magnus thesaurus sunt, meo quidem iudicio, si humilitas consocietur... Experta sum in aliquibus doctis viris, qui modo coeperunt, et plurimum profecerunt » (5).

(1) Poulain, *Des grâces d'oraison*, p. II, c. XII, n. 11.
(2) *Moradas*, III, c. I, n. 8.
(3) *Moradas*, IV, c. II, n. 8. Conf. item *Vida* c. XI, n. 1 et 2; necnon *Camino de perf.*, c. XXXII, n. 7 et 8.
(4) Prop. 64 Molinos, ab Innocentio XI damnata, const. *Caelestis*, 20 Nov. 1686.
(5) *Vida*, c. XII, n. 2.

223. Dispositiones proximae. — Quamvis praefatae dispositiones excellentissimae sint in ordine ad contemplationem, tamen remotas censemus eo quod animum tantum disponant ut opportune dona caelestia suscipiat. Quod autem propius videtur animum aptare ad habitum contemplationis est cumulus actuum fervidorum et constantium, qui ex se magis approximant vitae mysticae, uti sunt habituale exercitium praesentiae Dei, vehemens appetentia divinae unionis, quod *sitis Dei* appellatur (Ps. XLI), una cum desiderio et petitione humili atque confisa contemplationis ipsius cum Sponsa Canticorum : *Osculetur me osculo oris sui* (Cant. I, 1). Sic infertur e variis locis melliflui Bernardi (1), S. Ioannis a Cruce (2) aliorumque Magistrorum ; et sane, verum humileque desiderium una cum petitione istorum donorum reputari possunt inspirata a Deo, si instanter animo illabantur ; notumque omnibus est vehementes inspirationes aliquid Deum flagitandi signa communiter haberi quod velit Dominus postulatis obsecundare (3).

Diximus autem huiusmodi desideria et obsecrationes humilitatis ac confidentiae plena esse debere, quia tunc legitima existimantur cum anima illorum donorum indignissimam se reputat, et a sola bonitate divina sperat accipienda, testante mystica Doctrice (4).

Sunt etiam dispositiones proximae ad contemplationem purgationes passivae, de quibus in proximo paragrapho sermo ; quas equidem quaerere non tenemur, sed a Deo illatas patienter sustinere, atque in commodum nostrum convertere.

224. Cautelae. — Ne tamen exposita doctrina in vitium erroremque practicum abeat, tria monita seu cautelae adhibendae sunt, quas beata Theresia in diversis locis suorum operum tradit ; 1° quantumcumque

(1) *Serm.* 3 et 9 in Cant.
(2) *Llama de amor viva*, canc. 3, v. 3, § 3 in fine.
(3) SCARAMELLI, *Direttorio mistico*, tr. III, c. XXXII in fine.
(4) *Moradas*, IV, c. II, n. 8.

ST. ALBERT'S COLLEGE LIBRARY

disposita existimetur anima ad contemplationem infusam nolit tamen per se in illam ingredi, nisi Dominus introduxerit, neque velit discursum suspendere, etc., omnia enim non dicam inutilia, sed noxia quoque forent (1); 2° etiam omni praeparatione adhibita, ne credat necessario esse contemplationem subsequuturam, Deus enim cui vult concedit, omnisque humana industria impar est tanto dono assequendo vel merendo (2); 3° quidquid tamen sit, praemissae dispositiones et praeparatio salutaria semper erunt: « Nolite arbitrari parvi momenti esse ne a nobis depereat negotium istud; cum enim defectus ex nobis non est, iustus est Dominus, eiusque Maiestas alia via donabit, quod auferat ista » (3).

§ 2. — Dispositiones passivae.

225. Purgatio passiva mystica. — Perpendimus in Ascetica (138) causam sufficientem passivarum purgationum, quae moraliter necessariae sunt ut amor divinus totaliter dominetur animum perfectionem insequentem; eadem nunc argumenta potiori iure repetenda essent de animabus quae unionem mysticam attingere conantur. Cum media fini respondere debeant, cumque exquisita puritate opus sit ut anima per has vias supernaturales incedat donec cum Deitate desponsationem valeat adipisci, facile apparet purificationem eius exquisitam admodum ac supernaturalem esse futuram.

Nomine ergo *purgatorii mystici*, seu *purgationis passivae mysticae* venit cumulus aerumnarum, quae sub manu divinae Providentiae animas excoquunt ad purum, easque immediate disponunt ad supernam contemplationem, vel ad aliquem superiorem illius gradum.

In aerumnis istis essentiale quiddam ab accessorio distinguendum venit. Fundamentum seu essentia illarum

(1) *Vida*, c. XII, n. 2 et 3.
(2) *Moradas*, IV, c. II, n. 7 et 8.
(3) *Moradas*, III, c. II, n. 17.

est intima quaedam desolatio et ariditas animi, proveniens e lumine quodam contemplativo a Deo immisso, cui recipiendo non satis dispositae sunt potentiae; inde obscuritas et afflictio in ipsas derivata. Hoc phaenomenum explicat similitudo ignis invadentis combustibile male dispositum (1), eadem enim causa, quae demum ligna in ignem fulgentem convertet atque transformabit, primum obscurat denigratque donec penitus desiccat, impedimentaque omnia et imperfectiones ab eo expellit. Huic purgativae quidditati accedunt interni externique labores, pro adiunctis varii, a Deo ordinati, ad eundem finem obtinendum, ut mox dicetur.

226. Eius divisio. — Purificationes seu purgationes illae duplicis sunt generis, dictae *purgationes sensus* et *spiritus*, quae respondent eis, quas S. Ioannes a Cruce nominat *nox sensus* atque *nox spiritus*. Essentia prioris in *ariditate sensibili* consistit, posterioris vero in *ariditate spirituali* (17); prior directe intendit animum purificare «quoad sensum, illum spiritui aptando» ait S. Ioannes a Cruce; altera purificat «*spiritum*, *illum aptando* ad unionem amoris cum Deo» (2).

Poenae, accessoriae quidem, sed admodum sensibiles atque molestae, quae solent ad sensus purgationem concurrere, sunt illae omnes, quas in Ascetica recensuimus (138 et seqq.), intensive et extensive adauctae, quibus accedit diabolica oppugnatio sive obsessio: quae, pro causis immediatis earum, in tres species distinguuntur: tentationes, videlicet, a diabolo, ab homine, a natura. In spiritus purgationem, velut accessoriae poenae, conspirant horribiles tentationes contra virtutes theologicas, aliaque tormenta, spiritualia valde, ex anxietate animi de unione cum Deo. De his omnibus aerumnis notionem aliquam elucubrabimus in numeris subsequentibus.

(1) Videre libeat simile istud mire explicatum a S. Ioanne in *Noche oscura*, l. II, c. x; item López Ezquerra, op. cit., tr. VI.
(2) *Noche oscura*, l. I, c. viii.

227. De ariditate sensibili. — Ariditas ista animarum, quae iam pene limina pertingunt mystici status, non respicit communem amissionem sensibilis devotionis, eo modo quo experiuntur per vias asceticas incedentes, sed modo multo magis operoso atque amaro, eo quod superiorem spiritus regionem attingat. Iuxta notionem S. Ioannis a Cruce status purgationis sensibilis constituitur vero quodam « initio obscurae et aridae contemplationis, quae communiter ipsum contemplantem latet ac fugit » (1). Phaenomenum istud inde explicatur, quod supernum lumen *doni Intellectus*, quod incipit in anima non bene disposita diffundi, religat phantasiam, praepeditque naturalem discursum intellectus, ita ut difficile admodum fiat ordinariae meditationi vacare, non enim suppeditat phantasia species imaginesque pias, quarum ope possit divina ut antea concipere et super eis ratiocinari. Et quoniam *donum Sapientiae* non adeo potenter agit, (ut videtur), non percipit anima suavitatem Dei, quae contemplationem perfectam distinguit, unde fit ut primi gressus seu exordia vitae contemplationis infusae magis ardua sint pariterque obscuriora.

Patiuntur hic animae omnis consolationis absentiam, displicentiam in oratione, in qua sibi non licet meditari ; silentium, et apparentem a Deo derelictionem ; propensionem quoque ad Deum quam explere sibi non datur ; super omnia autem haec « dolent non ariditatem ipsam, sed quod timeant se ista via oberrare, existimantes spirituale bonum sibi defecisse, Deumque se dereliquisse eo quod in bono nullum experiantur sustentaculum aut consolationem » (2). Non possunt capere animae istae obscuram altamque de Deo notitiam, in exordio contemplationis aridae et absque figuris obtentam, donum esse pretiosissimum, cum, ex ipso beato Ioanne « illa sit purior, simplicior, itemque spiritualior, interior atque perfectior, quam tamen, per animam totam infusam, haec nec intelligit, nec persentire videtur » (3).

(1) *Noche oscura*, l. I, c. IX.
(2) *Noche oscura*, l. I, c. X.
(3) *Subida del monte Carmelo*, l. II, c. XIV.

Ad dignoscendum inter ariditatem istam et tepiditatem (aut humorem melancholiae) attendantur haec signa seu proprietates, quae iuxta S. Ioannis doctrinam sanctae ariditati insunt: 1° defectus consolationis et gustus in rebus divinis, aeque ac in creaturis; 2° timor non famulandi Deo pro debito, et abeundi retro in eius servitio; 3° gravis, diuturna, imo accrescens difficultas in meditando et phantasiae imaginibus adhibendis; 4° proclivitas et illecebrae ad cogitandum de Deo intuitu simplici, universali et confuso, etiam turba adversante supervenientium divagationum; 5° desiderium constans, licet arduum, magis appropinquandi Deo, id est amandi, inveniendi atque possidendi. Tribus postremis signis distinguitur etiam haec, a communi ariditate ascetica (1).

228. De impugnatione diabolica. — Occasionem arripiens diabolus de difficultatibus in quas offendunt mystici per viam, accedente venia Dei (quam propter altissima iudicia bonumque animarum dat inimico, **140**), vario vexat modo animas per varios status passivae purgationis sensus. Illae impugnationes directae in personam contemplantis, triplicis sunt generis: *tentationes*, *possessio diabolica* et *diabolica obsessio*.

De *tentationibus* satis dictum est in purgatione ascetica; notanda hic tantum venit vehementia diabolicae impugnationis in mystica purgatione, atque celeritas qua interdum apparent disparentque, ut verum opus diabolicum (2). Quamlibet virtutem oppugnant, maxime vero fidem, spem, religionem, castitatem atque patientiam. Eis accedunt moerores, acediae ad bonum omne, interdum horribilia dubia et scrupuli inspirata, ut docet S. I. a Cruce, « ab spiritu quodam abominabili, quem Isaias vocat *spiritum vertiginis* (Isa. XIX, 14); est unus

(1) Conferatur doctrina in *Noche oscura*, l. I, c. IX, X et XI, cum doctrina in *Subida del monte...*, l. II, c. XIII et XIV, unde praefata signa exsurgent.

(2) Cum tentationes illae adeo violenter impetunt ut vim humanarum passionum praetergrediantur, ad genus quoddam pertinent diabolicae obsessionis.

ex gravissimis stimulis atque horroribus noctis huius, vicinissimus iis quae in nocte spirituali eveniunt » (1).

Possessio diabolica est actio daemonis per humanum corpus exercita, quasi malignus spiritus in homine esset incarnatus, qui perficit ut ratio atque libertas amittatur. Id si eveniat, velut automata operatur homo, tuncque *possessus* seu *energumenus* appellatur. Raro dantur possessiones diabolicae in bene moratis hominibus, rarissime vero in contemplativis, si expertis credere est (2); contra ac obsessio, quae in manu divinae Providentiae saepe medium purgationis est contra diabolica consilia.

Obsessio, obsidio, seu *oppugnatio diabolica* dicitur actio daemonis in humanum corpus, ut illud cruciet, quin tamen in patiente usum rationis evertat (3). Actio illa triplici ratione exercetur : 1° in usu linguae, aliorumque membrorum corporis (non amissa in patiente ratione atque interiori libertate), orationem, v. gr., impediendo, blasphemias pronuntiare cogendo, nervorum systema concutiendo (4) etc. ; 2° prae sensibus externis, horrorificas visiones fingendo, incomportabiles strepitus reddendo, corpus tundendo, casibus, etc. affligendo ; 3° plagis, vulneribus, infirmitatibus et doloribus vexando, quae medicorum effugiunt scientiam ac medicamina, quaeque interdum repente curantur et evanescunt. Horum omnia exempla in vita contemplativorum legimus (5).

Longe alia ab hac diabolica obsessione est *obsessio simpliciter psychologica* de qua loquuntur auctores mentalium infirmitatum (6) ; consistit autem in ideis ita defixis,

(1) *Noche oscura*, l. I, c. XIV.

(2) Scaramelli, *Direttorio mistico*, tr. V, c. VII.

(3) Poulain, op. cit., c. XXIV, § 6.

(4) Omnia fere phaenomena ista causam habere possunt timorem et phantasiam, quod verum esse censendum est in personis vulgaribus, quae veram obsessionem non patiuntur.

(5) Videantur aliqua selecta exempla de his in opere P. Poulain, c. XXIV, § 7 et 8, atque in Scaramelli, tr. V, c. VIII.

(6) Pitrès et Regis, *Les obsessions et les impulsions ;* J. Raymond, *Névroses et psychonévroses ;* Barbéns (P. Franciscus de), *El cerebro, los nervios y el alma*, p. III, c. XV (Barcelona 1912) ; Raymond (P. G)., *Le Guide des Nerveux...* p. I, c. II.

ut infirmi conscientiam, etiam repugnante voluntate, magis aut minus invincibiliter dominentur, comitante quadam anxietate atque impulsu ad malum vel ad irregularia. Distinguitur ex idearum tenacitate atque ex subiecti physicis characteribus; quoniam autem de veris aegrotantibus agitur, remedia naturalia sunt adhibenda, quae dicentur in Discretione et curatione spirituum (290).

229. Aliae poenae sensibiles. — Miseram tantarum aerumnarum picturam complent labores ab hominibus et a natura provenientes. Ab hominibus solent personae contemplativae haec perpeti : ab aliis solitudinem, ab aliis murmura atque calumnias, ab aliis falsas interpretationes, a plurimis apertas persecutiones ob eadem ipsa dona mercedesque, quibus a Deo dignantur; quod autem maxime tunc cruciat patientis animum est contradictio bonorum (1), quodque moderatores non inveniant, qui eorum statum intelligant, permittente etiam Domino ut per tempus aliquod obcaecentur atque aberrent. — A natura veniunt calamitates familiares, casus fortunarum, infirmitates, in officiis difficultates, etc. (2). Non semper haec pericula graviora sunt atque rara, nec supernaturali signo signantur; semper tamen omine veniunt divino, et ad purificandam mentem contemplativam peropportuna.

230. De ariditate spirituali. — Ut primi contemplationis gradus attingantur sufficit sensibilis ariditas, superius explicata; ad superiores vero novis indiget anima purgationibus, eam praeparantibus ut more divino cogitet atque operetur. Hoc assequuntur ariditas spiritualis, necnon vulnera languoresque charitatis, quae veri sunt actus contemplativi, licet acerbissimi, qui mysticum purgatorium constituunt persimilem ulterioris vitae purgatorio.

Consistit *spiritualis ariditas* (*substantialis* quoque dicta) in amissione omnis accidentalis devotionis ex intima cognitione propriae nullitatis et miseriarum,

(1) S. Theresia, *Vida*, c. xxx, n. 6.
(2) Ibid.; n. 5 et seq.; *Moradas* , VI, c. 1, n. 14 et seq.

quam animus contemplantis concipit vi intensissimi luminis infusi, aperientis sibi abyssum istam indeficientis nequitiae in conspectu immensae Dei Maiestatis et inscrutabilium perfectionum eius. Haec vera videtur notio S. Ioannis a Cruce, ut patet ex sequentibus locis, inter alia : « Haec obscura nox est divinus in animam influxus, qui eam emundat ab ignorantia et ab imperfectionibus habitualibus, naturalibus ac spiritualibus, quam contemplativi vocant contemplationem infusam... Duabus de causis haec divina Sapientia est animae non modo nox atque tenebrae, sed etiam poena et cruciatus. Primo propter altitudinem Sapientiae Dei, quae sensum animae transcendit, et hoc modo ipsi tenebrae est (quasi dicam *offuscat eam*). Secundo propter huius vilitatem et impuritatem, ideo est sibi acerba et crucians, simulque obscura... Invadente animam hac alma luce ut impuritas eius expellatur, tam immundam se tamque miseram apprehendit, ut sibi videatur se contra Deum stare et Deum esse sibi inimicum. Quod quidem animae tanto dolori est atque angori, ut beatus Iob, dum magnis a Deo laboribus exercitaretur, id unum prae ceteris doleret, dicens : *Quare me posuisti contrarium tibi, et factus sum mihimetipsi gravis?* (Iob VIII, 20). Hoc autem maxime anima torquetur quod timeat se numquam Deo dignam fore, eiusque bona iam sibi periisse. Hoc illi ex profundissima evenit immersione... Alia, demum, huius obscurae contemplationis excellentia est magnitudo Dei atque maiestas, ex cuius intuitu oritur in anima sensus et taedium summae paupertatis et miseriae : quae una est e praecipuis afflictionibus, quas animus in hac purgatione sustinet. Nam experitur in se vacuum immane, profundamque indigentiam triplicis boni, quod ad animi delectationem ordinatur, videlicet : temporalis, naturalis atque spiritualis, seque in contraria mala immersam considerat, id est : in miserias imperfectionum, in ariditates vacuitatemque apprehensionum potentiarum, atque solitudinem spiritus in tenebris constituti... » (1).

(1) *Noche oscura*, l. II, c. v et VI.

Unde intelligitur id, quod *secundam noctem* appellat beatus Ioannes a Cruce, ipsam esse contemplationem infusam, in quantum superat vires naturales, unde fit animae laboriosa, donec purificetur ipso lumine, quod sibi infunditur (1). Misera anima in hoc statu contremit in conspectu summae altissimaeque magnitudinis Dei, horretque propriam indignitatem ac sordidam deformitatem, quasi peccatis innumeris obrueretur. Tunc, velut ad oram praecipitii atque desperationis constitutae, videtur sibi infernum adaperiri sub pedibus suis (2); attamen contra haec omnia adeo obfirmatur anima, ut millies mortem oppeteret ante quam vel levissime peccaret.

231. Amoris vulnera. — Nomen istud vel etiam *impetus amoris*, *ignita iacula*, *amoris sagittae*, *deliquium*, *agonia* et similia significare solent anxietates et cruciatus ab amore divino causatos in anima, quum deperit perfecte possidere Deum, nec tamen assequitur arctissimam illam unionem, quam superhumano modo concupiscit. Nomen hoc *vulnus amoris* (3), adhibetur specialiter ad significandos vehementissimos illos sensus, quando cum similibus dulcedinis affectibus miscentur, utrosque movente et consociante intensa charitate Dei (4). In ceteris anxietatibus divinae dilectionis permiscentur etiam gaudium et moeror, non tamen in simili gradu.

(1) *Subida del monte Carmelo* (l. I, c. II, et l. II, c. II) loquitur Sanctus de *tertia* quadam *nocte*, quae, si ad passivam purgationem mysticam referatur, nihil aliud esse videtur quam cumulus aerumnarum animae in gradibus mysticae unionis (superiores nempe gradus contemplationis), eo praecipue quod visionem beatificam nondum assequatur; quod respondet illis S. Theresiae verbis: *Que muero, porque no muero.* Ita ut, *tres noctes* sint quasi tres gradus dominationis divini luminis in humano intellectu, simulque tria genera mysticorum dolorum, quae respondent triplici statui animarum per has vias gradientium: incipientium, videlicet, proficientium, et omnino perfectarum. Consulantur quae dicuntur in num. 242, atque in notatione ad num. 18.

(2) S. Theresia, *Vida*, c. xxx et xxxii; *Moradas*, VI c. I, n. 19.

(3) *Relaciones*, 2. ad P. Rodrigo Alvarez, n. 26.

(4) Poulain, op. cit. c. xi, n. 13.

Haec phaenomena magis aut minus vehementia, saepius aut rarius, apparent per omnes gradus vitae mysticae, prout dictum est (209, 214) ; indubium tamen est affectus illos, a *siti Dei* excitatos, eo maiores et profundiores manifestari, quo altius divinae communicationes attinguntur (1). Mirandae sunt in vita S. Theresiae poenae acerbissimae, quibus martyrium istud amoris altissimum spiritum eius afficiebat, quas ipsa describit in illo inimitabili cantico : *Que muero, porque no muero* (2). Ei apprime concinit seraphicus Ioannes a Cruce in suis canticis mysticis, levamen quaerens dolori in illis affectuosissimis versibus : *Decidle que adolezco, peno y muero* (3).

232. Effectus harum purgationum. — Fructus harum probationum in Ascetica recensuimus, cum de passiva purgatione ageretur; hic tamen adnotandi sunt: defectuum expiatio, emundatio seu totalis abalienatio ab omni quod Deus non est, vel ad Deum non ducat, rapidus in virtutibus progressus, ascensus per gradus contemplationis. Pericula tentationum et obsessionum ad hoc maxime conferunt ut anima studiosius atque confidentius manibus divinae bonitatis se committat, magisque confirmetur in virtutibus illis, quae maxime oppugnabantur tentationibus. Vulnera amoris, iacula ignita, et similia phaenomena magis atque magis accendunt atque inflammant in anima divinam charitatem, scoriam omnem veteris hominis destruunt, ut enim scribit Theresia nostra, de hoc ignito fulmine loquens: « quidquid terrenum de nostra natura invenit in favillam convertit » (4) : ea demum est *mystica mors*, de qua nonnulli loquuntur auctores, multo radicitus inflicta, quam mors ascetica (102).

233. Ordo et diuturnitas probationum. — In enumerandis et distribuendis per sua genera probatio-

(1) *Noche oscura*, l. I, c. XI, et l. II, c. XIII.
(2) Vid. insuper *Moradas*, VI, c. XI ; *Vida*, c. XX, n. 6.
(3) *Cántico espiritual* : « A donde te escondiste, Amado ».
(4) *Moradas*, VI, c. XI, n. 2.

nibus, quae mysticum purgatorium constituunt, ordinem logicum ac methodicum sequuti sumus, cum impossibile sit ordinem historicum sive successionis tenere. Deus nulli subiacet legi, neque normam aliquam tenet (quod intelligamus) in bonorum suorum distributione; si tamen inspiciamus, quod communiter evenit in animabus, quae gradatim cuspidem unionis mysticae pertingunt, quidam apparet ordo successionis atque vicissitudinis inter probationes atque gradus contemplationis infusae. Quod autem communius evenit, magisque conformari videtur naturae cuiusque purgationis medii, potest in sequentem ordinem redigi, a quibusdam auctoribus propositum.

1° Ariditas spiritualis cum suo comitatu tentationum aliorumque dolorum in aditu mysticae vitae solet inveniri, ideoque ante orationem quietis (1), quin tamen in posterum omnino secura sit ab eis per intervalla.

2° Ariditas spiritualis incipientibus perfectis gradibus contemplationis apparet, id est, ante passivam unionem atque per varios eius gradus et formas iteratur (2).

3° Obsessio seu oppugnatio diabolica non ante solet apparere, quam anima ad ecstaticam unionem pervenerit (3), in quo quidem gradu inveniuntur vulnera amoris et ignita iacula, quae mentem ad perfectissimam consummatamque unionem disponunt (4).

Amissio bonorum temporalium, valetudinis, etc., omnibus vitae spiritualis gradibus sunt communia, in sublimioribus vero non semper ad purgationem animi ordinantur, qui iam ab iis omnibus terrenis omnino abalienatus est.

Quoad diuturnitatem autem acerbitatemque harum purgationum nullos licet terminos definire, cum pro varietate animarum sint quoque varii. Sufficiant ad rem haec duo monita S. Ioannis a Cruce: « Sensibilis

(1) Poulain, *Grâces d'oraison*, c. xv; S. Alphonsus de Liguori, *Praxis confessarii*, c. ix, n. 129, 131, 132.
(2) Ibid.
(3) Poulain, op. cit., c. xxiv, § 7.
(4) *Moradas*, VI, c. xi, et VII, c. i, n. 2.

purgatio communis est, multique experiuntur...; spiritualem vero perpauci » (1). Quamdiu sit animae in hoc spirituali ieiunio atque poenitentia perseverandum, non certo dicitur ; non enim omnes simili modo vel easdem tentationes sustinent ; etenim omnia haec una Dei voluntas moderatur atque emetitur, pro maiori vel minori imperfectione cuique purganda, itemque, pro gradu unionis amoris ad quam Deus vult quemque promovere plus minusve intense atque brevius vel diutius humiliabit (2).

Praeclara exempla huius varietatis, quoad modum ac diuturnitatem poenarum, exstant inter alia S. Theresia, aridítates annos duodeviginti experta : S. Alphonsus Rodríguez scrupulis annos decem vexatus ; S. Maria Magdalena de Pazzis, quae, iam a iuventute in ecstases rapta, inter eas tamen bis per quinque annos terribilibus probationibus subiecta est, idque, secundo, postremo vitae suae tempore ; S. Rosa Limana, quae per annos quindecim sexquihoram in die a daemone vexata est ; S. Iosephus a Cupertino, cuius ecstases iam pene ab infantia mirandae fuere, ac nihilominus quadragesimum annum aetatis agens (sexagesimo primo aetatis decessit) omni extraordinario dono per biennium privatus atque vehementissimis tentationibus exagitatus est ; S. Ioanna de Chantal, quae per totam vitam passa est plurimas tentationes atque angustias (3). Maxime frequens in vita sanctorum est gaudiorum atque afflictionum vicissitudo (4).

234. Praxis. — Agendi ratio, a patiente hoc tribulationum tempore tenenda, in Ascetica statuta est (144, etc.): mysticam vero purgationem modo pertractantes, specialia haec monita prae oculis habenda censemus : 1° omnes istae tentationes, non damna et punitiones, sed beneficia sunt existimandae, artes enim

(1) *Noche oscura*, l. I, c. VIII.
(2) Ibid., c. XIV.
(3) POULAIN, op. cit., c. XXIV, § 8.
(4) Ibid., § 1, n. 4.

sunt amantissimae Dei Providentiae in nos : « Credamus omnia in maius bonum nostrum casura ; ducat nos sua Maiestas qua velit » (1) ; 2° labores istos patienter atque confidenter suscipiamus, quemadmodum Iesus Christus orans in horto ; 3° in oratione perseverandum est cum ipso Iesu, nec consolatio cum anxietate quaerenda, sed oculis amantibus, simplicibus atque tolerantia plenis in Deum intentis, acquiescere in manu Domini (2), in tenebris fidei Beatissimam Trinitatem adorando, ipsi per actus amoris adhaerendo, nolentes perscrutari quidquid erga nos evenerit (3) ; 4° in tentationibus et oppugnationibus viriliter et sine timore resistamus diabolo, lustrali aqua praesertim fugemus (4), conviciemur atque illudamus ei, hortantes ut crucem adoret nobiscum (5) ; nullam tamen virtutem attribuente sibi anima, sed in omnibus glorificante Iesum Christum : 5° de probationibus occasionem capiamus ad actus virtutum (fidei, spei, patientiae, charitatis), quasi *qui aurifodinam colit, in suo fundo inventam ; 6° animo ac virtute numquam deficiamus etsi tempus tribulationis longius producatur, nec existimemus diuturnitatem indicium esse quod Dei gratia exciderimus (6) ; 7° prudenti directori quisque se aperiat, eique obtemperet (7).

§ 3. — Dispositiones directivae.

235. De necessitate moderatoris. — Argumenta quibus in suo loco evicta est necessitas, qua tenetur anima pia, se subiicendi moderatori in via spirituali (**26**), omnem vim retinent si agatur etiam de personis, quae

(1) S. Theresia, *Vida*, c. xi, n. 7 : *Moradas*, VII, c. iv, n. 7.
(2) *Noche oscura*, l. I, c. ix et x.
(3) Besse (Ludov. de) *Ecclaircissements sur les œuvres de saint Jean de la Croix*, c. i.
(4) S. Theresia, *Vida*, c. xxv, n. 10, 11 et 12.
(5) Poulain, op. cit., c. xxiv, n. 88.
(6) Ibid., c. xxiv, n. 6.
(7) Vid. Lehodey, op. cit., p. III, c. iii, § 5.

vias mysticas terunt, atque summe illustrantur a Spiritu Sancto. Ipsae hanc necessitatem persentiunt, ni velint se ipsas fallere ; dubia enim et incertitudines, quae illas frequenter adoriuntur, num bono an malo spiritu agantur, timor illusionum quibus sunt expositae (221), tribulationes, quibus obruuntur, sunt sibi acutissimi constantesque stimuli incitantes ad quaerendum magistrum, qui spiritum discernat, sibi moderetur, seque sustineat in tam arduis semitis percurrendis. Sic apparet in vita sanctorum omnium.

Si tamen moderator sapiens et expertus, prudentia praeditus, sanctitate, scientia atque misericordia, potest non pauca animabus vitare offendicula et obstacula, quae ipsis identidem impediunt progressus per vias mysticas, ita moderator ineptus multum graviterque eis nocere potest, uti docet experientia, Sanctique testificantur (1). Inde gravis obligatio scientiae harum viarum acquirendae tenet eos omnes, quicumque munus in se suscipiant aliquam animam contemplativam moderandi.

Dirigendae vero animae erit monita ducis in omnibus implere, quae legi Dei vel Ecclesiae aut Instituti sui constitutionibus evidenter non opponantur ; quod si iussa directoris principiis generalibus Asceticae et Mysticae non consenserit, opportunum esset mutare directorem, ut suo loco dictum est (44). Si tamen res dubia sit aut obscura, iudicio moderatoris vel confessarii stetur, donec voluntas Dei evidenter alia via manifestetur (2).

236. Moderatoris opera. — Etiamsi verum est Spiritum Sanctum ducem esse ac magistrum specialem animarum per vias mysticas incedentium, non ideo inanis erit et vacua opera moderatoris ; imo potius maioris hic momenti erit, quam in ducendis animabus

(1) Conf. S. Ioannes, *Subida*, Prologo ; *Noche oscura*, l. I, c. x et *Llama de amor*, canc. 3, v. 3, § 11.; S. Theresia, *Vida*, c. xiii, n. 11.

(2) Conf. López Esquerra, *Lucerna mystica*, tr. I, c. xii, et Poulain, op. cit., c. xxvi, super huius numeri doctrina.

per vias asceticas. Ita ferunt historiae sanctorum directorum, uti Philippi Nerii, et Francisci Salesii, qui plus laboris ac diligentiae impendebant in duabus vel tribus personis perfectis dirigendis, quam in vulgaribus sane plurimis.

Maxima directoris opera, praesuppositis eius communibus officiis, alibi expositis, (24, 184), in eo est indubitanter, ut regulas generales directionis (35) atque discretionis (283) applicet, avertatque impedimenta syrtesque doceat discipulum, cum semel perscrutatus fuerit spiritum, quo informatur, gradumque contemplationis, quem sit assequutus. Hoc modo semitam faciet expeditam, ut Spiritus Sanctus operetur in anima, cuius actioni magistro aeque ac discipulo pro virili parte erit obsecundandum.

Hunc autem laborem minutatim expendentes, haec munera nunc moderatori assignanda censemus: *discernere*, *approbare*, *sustinere*, *corrigere*, *ac praeservare* animum moderandi, iuxta doctrinam infra expositam. Cum agemus de gradibus contemplationis in specie (Sectione secunda), quaedam adiungemus monita ad directionem animarum in illis gradibus versantium magis accommodata.

237. Discernere. — Primum prudentis moderatoris munus est intime dignoscere conditionem sui moderati, unde tenetur perscrutari ex signis apparentibus (66), sit necne contemplativus; num eius contemplatio acquisita sit an infusa (ex natura et effectibus), quem gradum obtineat contemplationis (242 et seqq.), quae dona specialia et extraordinaria a Deo recipiat, quos fructus egerat, quomodo divinis mercedibus respondeat. Iis cognitis, sciat verum a falso et illusorio secernere in muneribus illis, regulas de discretione spirituum applicando (283 et seqq.); quod si non valeat mox iudicium certum ac iustum ferre, semel ac iterum animam alte perquirat, scientiam ac sollertiam postulet a Deo, qui dat omnibus affluenter. Continget aliquando ut prudentium virorum consilium sit exquirendum, quod quidem opportunis adhibitis praecautionibus ex-

quiret sagax moderator. Ita faciendum supponit S. Theresia (1).

Ut haec omnia rite perficiantur, supponendum est animam cum sinceritate incedere in expositione intimi cordis sui, et ideo moderator eam urgere debet ut integre atque fideliter rationem sibi reddat donorum, quae a Deo recipiat, nihil omnino celando (2), eique prae oculis obiiciat monita S. Theresiae. « Attamen multas potest diabolus fallacias submittere, unde... oportet pervigilem semper esse, doctumque magistrum eligere, eique nihil celare, atque ita nihil sibi damni potest evenire » (3).

Duo tamen extrema sunt in hac re directori cavenda: nimium credulus esse visionum, revelationum aliarumque mercedum singularium, itemque nimium incredulus, ea velut systematice reiiciendo (4). Non miretur si contemplativus in rebus explicandis confusione laboret; cum supra se reflectere non valuerit, uti ordinario accidit, impotens est explicare, quae secum aguntur (5).

238. Approbare. — Cum moderator bonum spiritum noverit animae contemplantis, approbare debet, ut illa secure ac confidenter incedat; secus enim anima continuis agitaretur timoribus et anxietatibus, quae suo in virtutibus profectui valde nocerent. Tunc erit admonenda ut otio se tradat contemplationis, quamvis sibi videatur operam perdere (6); vel audiat interiorem vocem Domini, eius impulsui non contradicens (193). Item in approbandis vel improbandis libris, sociis, operibus vel consiliis, exercitantis spiritu bene sibi perspecto, firmiter ac sine titubatione agat.

In huiusmodi tamen approbationibus caveat spiritualis magister ne sibi ipsi morem gerat aut privato suo spiritui parcat; sed hoc tantum sibi cordi sit ut

(1) *Vida*, c. XIII, n. 12.
(2) *Moradas*, VI, c. IX, n. 7.
(3) *Vida*, c. XXV, n. 8.
(4) *Moradas*, VI, c. I, n. 8.
(5) *Vida*, c. XVII, n. 4.
(6) Ibid., c. XIII, n. 9 etc.

directioni obsecundet animae a Spiritu Sancto impressae (1). In dubio, prudentius erit paulum procrastinare approbationem revelationum, elevationum spiritus, aliorumque effectuum supernaturalium, qui a communi cursu animarum abscedunt.

Maturius autem ac diligentius erit moderatori perpendendum, priusquam definitivo modo approbet, votum vitandi defectus vel id faciendi quod perfectius est, quod aliquando animae ferventes nuncupandum proponunt. Praeter regulas discretionis spirituum (296), quae in his casibus aliisque extraordinariis consiliis prae oculis sunt habendae, diu multumque perpendat magister indolem moderati, et talia vota non permittat nisi personis bene cordatis, sereno et aequo iudicio praeditis, non meticulosis aut nimiis, rectae conscientiae, atque satis provectis. Et sane etiam tunc excludendi sunt a voto actus indeliberati ac semideliberati atque res absolute perfectae in se, non tamen respectu promittentis ; nec oportet vota eiusmodi primum in tempus indefinitum concedere, sed per dies paucos et brevia tempora paulatim experiri (2).

239. Sustinere. — Cum tot sint tamque graves cruces in vita mystica ferendae, cumque animi deiectio tam frequens sit atque terribilis, ut impigerrimum quemque a via virtutis valeat absterrere, curare debet moderator clientis animum in iis adiunctis sustinere atque confortare deiectum, levare etiam illum, si quando reapse ceciderit, possibile est enim ut cadat. Enarrat S. Theresia gratissimo mentis sensu animos sibi illatos a S. Petro de Alcantara, a P. Balthasare Alvarez, aliisque confessariis, qui tantam sibi opem, fortitudinem, aususque in adiunctis maxime arduis et criticis vitae suae contulerunt (3). Adhibeat tunc moderator considerationes, quas proposuimus, cum de patientia, amore crucis, purgationibus passivis, etc. ageremus,

(1) S. Ioannes a Cruce, *Llama de amor*, canc. 3, v. 3, § 9.
(2) Saudreau, op. cit., l. V, p. III, c. II, § 4.
(3) *Vida*, c. XXV, n. 28, et 30.

prae oculis patientis proponens ante omnia doctrinam et exempla Domini Iesu atque Sanctorum.

Nullam umquam displicentiam aut stuporem significet moderator de terribilissimis maximeque desperatis narrationibus animae, aut de suggestionibus diaboli supra modum abominandis, aut de peccatis ipsis, quae forte referat; imo potius cor illi exhibeat vere paternum, adhortetur cruces illas perferre patienter, certamque reddat nullum se in tantis rebus invenisse peccatum (nisi evidenter pateret) quandoquidem de animabus sanctis agitur (1). Si tamen aliquando contigerit ut anima lethaliter icta occubuerit, etiam tunc adlaboret angelum illum deiectum misericorditer sublevare, inque via salutis iterum constituere, enixe adhortans ut omnino bonitati Domini se committat confidenter, ut pro his casibus observat S. Theresia (2).

240. Corrigere. — Mirari non debet director, si quos inveniat in animabus contemplantium defectus, in primis praesertim vitae spiritualis gressibus; non enim illico sunt sanctae (3). Curet autem cum prudentia et charitate defectus ab eis avertere, easque adiuvare ut impedimenta contemplationis arceant (221). Super omnia tamen scite dissipet illusiones, erroresque spiritus (281, 289 et seq.), imperium etiam auctoritatemque, si opus fuerit, interponens, sollicitus tamen eas non perturbare (4).

Si tamen agatur de aliqua orationis methodo, quae evidenter non apparuerit esse a Deo, nec etiam a maligno spiritu, non statim corrigat aut obfirmate approbet, donec res in clariorem lucem veniat, ne anima iniuste deturbetur (5).

241. Praeservare. — Et quoniam animae contemplativae, licet per sublimia volitent, impeccabiles non sunt (217), invigilandum est directori ne in animum

(1) S. Alphonsus de Liguori, *Praxis*, c. ix, n. 130.
(2) *Vida*, c. xix, n. 8.
(3) Ibid., c. xxiii, n. 2 et 4.
(4) *Moradas*, VI, c. iii, n. 2 et 3.
(5) *Vida*, c. xxiii, n. 6.

discipuli instillentur venena vanitatis aut propriae confidentiae (1), quae possent eum ab statu suo deiicere. Hac de causa assentationes vitet et laudes, personarum acceptiones, curiositatem quaestionum, innecessarios sermones, etc. (2); item circa revelationes, neuter velit secreta Dei scrutari vel notitias, licet spirituales atque sanctae videantur, quae ad propositum suum non faciant (3) : « Ne te admisce iis », dixit quondam Dominus Theresiae, conquerenti Domino quod non aliis mercedem faceret sicut sibi (4). Et quamvis maximo animae emolumento est nosse dona, quae recipit a Deo, poterit enim grates rependere, eis melius respondere, seque in adversis erigere, semper tamen intelligat oportet talia dona mere gratis a Domino evenire, maximam Deo de abusu rationem esse sibi reddendam, secum agi quasi cum parvula et exili, multumque magis potuisse proficere, si non fuisset infidelis; omnibus opus est animae, ne tantos thesauros vel in ipso mystici cursus limine vana gloria furetur ; et haec omnia opportune debet moderator moderatum admonere, eum avertens usque ab omnibus, quae in eo vanitatem, adhaesionem rebus et personis, confidentiamque propriam fovere sint nata (5).

SECTIO II.

GRADUS CONTEMPLATIONIS

242. Graduum contemplationis infusae in classes distributio. — Indubitanda res est eximiorum mysticorum experientia testata, ab iisque confirmata, qui scientiae contemplationis infusae ex industria ac

(1) *Vida*, c. XIX, n. 7.
(2) S. ALPHONSUS, *Praxis*, c. IX, n. 144.
(3) S. IOAN. A CRUCE, *Subida del monte*... l. II, c. XVIII.
(4) *Vida*, c. XIX, n. 5
(5) SCARAMELLI, *Direttorio mistico*, tr. III, c. XVIII, n. 171 et seqq.

serio incubuerunt, in hac dari gradus ascendentes et perfectiores, donec ventum fuerit ad summum animabus viatorum assequibilem. Iam superius (206) notavimus istam graduum differentiam constitui ex vi atque abundantia, qua in animis diffunduntur atque operantur dona Spiritus Sancti [1] ; quoniam vero huiusmodi operatio arcana et impervia homini est, neque par in omnibus recipientibus, liquido patet difficile admodum esse numerum limitesque praedictorum graduum definire, etiam post collectas collatasque inter se affirmationes plurimorum mysticorum experimentalium. Inde multiplices divisiones a diversis auctoribus super mysticis gradibus propositae [2].

Fortunate duos mysticos habemus primi ordinis, quorum splendida probatissimaque scripta dux erunt nobis securus in tanto negotio ; hoc autem argumentum certitudinis in arrepta divisione eo ipso firmius est, quod uterque dux in idem conveniunt, etiam a diverso principio proficiscentes. Omnibus noti sunt, cum eorum lectiones ab exordio operis huius incessanter audiverimus : S. Ioannes a cruce et S. Theresia a Iesu. Prior gradus mysticos mira certitudine signat in suis operibus *Noche oscura del alma* et *Cántico espiritual,* quibus respondent *Las Moradas* S. Theresiae a quarta ad septimam inclusive (tres enim priores *Moradas* ad Asceticam pertinent, ut diximus in n. 153, in notatiuncula) quas praeclara Doctrix mirabili ordine describit in suo magistrali opere *Castillo interior* seu *Las Moradas.* Si quintam sextamque mansionem in unam re-

(1) Scaramelli, *Direttorio mistico*, tr. II, c. xiv, n. 149 et 150, et tr. III, Introd.

(2) Angitur spiritus intuens tantam varietatem atque differentiam apud quosdam, gradus super gradus afferentes infusae contemplationis, maxime si conferantur cum admirabili simplicitate et claritate nostrorum supereminentium magistrorum, Ioannis scilicet a Cruce ac S. Theresiae a Iesu. Non licet nobis acquiescere quibusdam hodiernis scriptoribus, (pace tantorum virorum dixerim), qui denegant S. Ioanni a Cruce mandatum erudiendi nos de supra memoratis gradibus, et illorum qui in eis partiendis ac definiendis pene missum faciunt praeclarissimum doctorem : nos equidem praecipuum magistrum in hoc negotio illum habemus.

ducamus, quod quidem varii loci mysticae magistrae permittere videntur (**249** et **251**), invenimus in doctrina eius tres mysticos gradus aperte expositos a S. Ioanne in diversis locis laudatorum operum eius.

Sublimis Magister Ioannes a Cruce totum spiritualem cursum in tres partes dividit, quos *status* nominat (1), nempe : *incipientium*, qui meditationi vacant ; *provectorum* seu contemplativorum, qui infusa contemplatione fruuntur (2); atque *perfectorum*, qui passivam unionem divinam sunt assequuti. Priores, usque ad noctem obscuram sensus (**227**), in via purgativa versantur, et aliquod tantum contemplationis principium possident, secundi *via mystica illuminativa* gradiuntur, atque vera contemplatione infusa donantur (3); tertii *viam unitivam* sunt ingressi, id est, passivam unionem cum Deitate sunt assequuti (4). Hae possunt considerari tres viae in animae mystica regione quibus respondent viae tres regionis asceticae (**21**).

Eliminata priori parte viae, quod non proprie mysticus sit gradus, sed activa atque passiva praeparatio donec limina contemplationis attingantur, tertioque spatio itineris in duo iterum partito, ut sanctus Doctor facit in suo *Cántico espiritual* (5) mysticos gradus ordine isto fas erit proponere :

1° *Contemplatio infusa* simpliciter talis, quae respondet *quartae mansioni* S. Theresiae, sive *oratio quietis*, ut loquitur ipsa beata nostra.

2° *Unio mystica*, dicta quoque *spiritualis desponsatio* (6), quae respondet *quintae* et *sextae mansioni*, quaeque ab aliis respective *unio simplex* vel *unio ecstatica* appellatur.

3° *Matrimonium spirituale*, quod *unio consummata* (7) quoque nominatur, quod *septimae mansioni* respondet seraphicae Doctricis.

(1) *Noche oscura*, l. I, c. I.
(2) Ibid., c. XIV.
(3) Ibid.
(4) Ibid., l. II, c. XXIV.
(5) *Canción 22 ; su declaracion.*
(6) Ibid., itemque in *Canciones 14 et 15*, cum sua notatione.
(7) *Canción 22 et 40*, in fine.

Quod autem duae praefatae mansiones (quinta et sexta) iuxta mentem Magistrae coëant in unam, quo illius doctrina doctrinae S. Ioannis magis aptetur (1), vel inde patet quod beata nostra in sua autobiographia utrumque statum describit et amplectitur sub symbolo *quartae aquae* (2), cum, e contra, *secunda* et *tertia aqua* (3) sub uno eodemque adspectu in *quarta mansione* efferuntur. Et quoniam auctores quae mentem S. Theresiae interpretari aggrediuntur non verentur *secundam* et *tertiam* aquam in unum gradum mysticum aggregare, nihil est quod vereamur mansionem quoque *quintam* et *sextam* sub uno titulo comprehendere, iuxta mentem S. Ioannis a Cruce, uti dictum est. Insuper, huic unioni favere videtur locus iste *mansionis quintae*: « Licet omnia pene, quae in hac mansione eveniunt atque in insequenti *unum sunt*, diversissima est vis effectuum » (4); unde concludi potest mansionem sextam (unio ecstatica) nihil aliud esse quam modum mansionis quintae (unio simplex), ita pene quemadmodum inebriatio spiritualis (aqua tertia) modus quidam est (5) orationis quietis (aqua secunda autobiographiae).

Haec concludamus: collata S. Theresiae doctrina de gradibus mysticis cum doctrina S. Ioannis a Cruce, invenimus essentiales gradus tres recensendos: 1° *gradum imperfectum*, vel simplicis contemplationis infusae, seu orationem quietis; 2° *gradum perfectum*, vel unionis mysticae, seu desponsationem spiritualem; 3° *gradum perfectissimum* vel *summum*, seu matrimonium spiri-

(1) Si quid officeret huic accommodationi (quod quidem nobis non apparet), in hoc insudandum esset, ut doctrina sanctae Doctricis doctrinae S. Ioannis aptaretur, magno etenim momento futura erat Doctori mystico ad res scientificas atque theoreticas summa scientia theologica, qua potiebatur.

(2) *Vida* cap. XVIII-XXI.

(3) Ibid., c. 14-17. Notum est *aquam primam* meditationem significare.

(4) *Moradas*, V, c. II, n. 6.

(5) Huius deductionis rectitudo mox aestimabitur cum inebriatio spiritualis unioque ecstatica sint explicatae. Imo ad perfectam intelligentiam huius numeri oportet prius percurrere quae in tribus sequentibus capitibus exponuntur.

tuale. Ceteri gradus, qui ab auctoribus ponuntur et describuntur, ad istos reducendi sunt, vel modi praedictorum sunt existimandi.

In tribus capitulis sectionis huius de tribus laudatis gradibus respective agemus, ea quidem brevitate quae tenue nostrum compendium decet.

CAP. I.

Gradus imperfectus.

243. Huius gradus elementa. — Hunc priorem gradum mysticum imperfectum dicimus, non quod vera contemplatio non sit, sed quod anima non sit in eo expers divagationum quas provocat phantasia, quodque praesentia deitatis non directe sentiatur, sed effectus eius, videlicet, supernae quaedam emissiones, quae [1] notitiam et infallibilia pignora praebent, quod Deus propius sit vel praesens; quandoque vero in quibusdam animabus (ex gratia speciali) dari etiam potest verus *sensus divinae praesentiae* [2].

S. Ioannes a Cruce hunc mysticum gradum prolixe describit in suo *Cántico espiritual*, a *cantione* quinta ad tertiam decimam [3], anxietates et gaudia canens animae, quae Dilectum obsecrat ut faciem sibi ostendat et concupiscenti sese tradat omnino; cuius votis non satisfit donec ad secundum gradum pervenerit, ut canitur in stropha decima tertia et sequentibus, iuxta notationes et commentaria ab ipso auctore suis idylliis subiecta [4].

S. Theresia loquens de secunda aqua divina (quae primus gradus mysticus est), ait interiores animae potentias se intra se ipsas recipere, ut gaudio illo super-

(1) Seisdedos, *Principios fundamentales*, t. III, p. V, sec. 3, c. I.
(2) S. Franciscus Salesius, *Traité de l'amour de Dieu*, l. VI, c. II.
(3) Vid. *Declaración* cantionis 22, ubi clavis invenietur ad intelligentiam totius arcani *Cántico espiritual*.
(4) Maxime vero in *Declaración* cantionum 14 et 15.

naturali fruantur, non tamen amitti aut suspendi; una voluntas captivatur, quam aliae potentiae interdum suis actibus ab illa quiete avertere intentant (1). Subiungit autem: « Vult Deus propter suam excellentiam ut anima intelligat divinam Maiestatem adeo sibi appropinquasse ut non opus sit nuntios mittere, sed ipsam (posse) Ei alloqui, et non quidem clamoribus, tam prope enim est, ut apertis vix labiis intelligatur... Atque hic intelligamus ab eo nos intelligi, et quanta praesentia illius perficiat, ipsumque velle incipere in anima operari (quod quidem ipsa intelligit) ex magna interiori atque exteriori sibi communicata iucunditate » (2). « Non videt Magistrum bonum, qui ipsam docet, licet aperte intelligit secum esse » (3).

Ex quibus omnibus concluditur hunc priorem gradum infusae contemplationis inde constitui atque distingui, quod signa gerat contemplationi communia, sine peculiaribus tamen atque perfectis mysticae unionis, non enim datur in eo omnium potentiarum internarum suspensio, neque sensus intimus ac directus praesentis deitatis, sed, ut plurimum, effectuum eius praesentiam denuntiantium, quin tamen « anima videat Magistrum, se docentem », ut observat beata Theresia (4).

Ad hunc gradum pertinent *oratio* quam S. Theresia *quietis* appellat, cum suis varietatibus; *inebriatio* videlicet *spiritualis*, *somnus spiritualis*, *spirituale silentium*, praeeunte modos istos *infusa recollectione*. Pauca de singulis formis huius contemplationis verba faciamus, praetermissis quae superius dicta sunt de probationibus (233), praecedentibus vel comitantibus ipsas.

244. Oratio quietis. — Non agimus de requie, quam anima in omni contemplatione iucunda invenit, tunc quasi in centro requiescens; sed de primo gradu

(1) *Vida*, c. XIV, n. 1 et 2.
(2) Ibid., n. 3 et 4.
(3) *Conceptos del amor de Dios*, c. IV, n. 2.
(4) Ibid., n. 4.

infusae contemplationis, quae appellatur *quietis*, eo quod intellectus labori valedicit ratiocinationum, quibus prius exercebatur, et voluntas gaudet de praesentia sui obiecti, quod est Deus a quo vehementer attrahi persentit. Non ideo confundatur cum solatio et pace mentis in divino famulatu.

In hac contemplatione semper voluntas a Deo magis aut minus intensive captivatur; attamen ceterae potentiae liberae permanent, et aberrant quandoque suis naturalibus actibus occupatae, sed ad instar columbae Noë, nullibi requiem invenientes, ad requiem Dei sui revertuntur. Ipsa quoque voluntas, licet in Deo occupata, non usque pari modo illicitur ; quandoque enim illecebrae infirmiores sunt, tumque oratio arida fit et ardua, maxime si a phantasia praepediatur ; alias illecebrae sunt vehementiores, tumque orationem dulcissima suavitas comitatur (1). Hac de causa, et quod Deus tunc primo iucundissimus apparuit praedilectae creaturae suae, vocatur hic gradus a S. Theresia *gustus de Deo* (2).

In principio huius recepti ab anima doni contemplationis, solet adoriri inquietudo per aliquot momenta, quandoque etiam inopportune atque ex tempore ; merces vero iteratur identidem ; quandoque etiam amittitur inopinatu et per annos aliquot interrumpitur. Vult Dominus ut anima inaequivoca experientia intelligat haec beneficia dona esse purae gratiae bonitatis suae, non autem debita diligentiae nostrae, simulque iis intermissionibus admonet obligationem fideliter respondendi beneficiis eius, ne eis iniuria nostra fraudemur. Demum venit hora, qua oratio quietis, cum intensitate varia, fit habitualis in anima, saltem cum haec data opera cum Deo agere studet (3) ; interdum etiam usque eo persistit ut dum intellectus ceteraeque potentiae per diem operibus incumbunt divini famulatus, voluntas tamen quasi Deo alligata perseverat, diu

(1) Lehodey, *Les Voies...*, p. III, c. VI, § 2.
(2) *Moradas*, IV, c. II, n. 2 ; *Vida*, c. XV, n. 1.
(3) Poulain, *Grâces d'oraison*, p. 3, c. XVI, § 1.

perfruens divinae quietis oblectamentis, iuxta S. Theresiam (1).

245. Ebrietas spiritualis. — Ebrietas spiritualis est modus quidam orationis quietis, in qua gaudium et iucunditas spiritualis, quibus superiores potentiae sunt repletae in sensus etiam interiores exundant, idque tam supereffluenter tamque vehementer, ut anima cogatur in voces erumpere sanctae amentiae. Solent auctores hanc contemplationem nomine *perfectae ebrietatis* significare, ut ab *imperfecta* secernant, quae est gaudium sensibile ac vehemens animarum fervidarum in viis Asceticae.

S. Theresia hunc modum contemplationis scite ac vivide describit sub symbolo *aquae tertiae*; et quamvis affirmat istam esse altiorem praecedenti (2), in uno tamen gradu utramque coniungit, *mansionem quartam* describens. « Multa hic, ait beata Doctrix, verba eructantur in laudem Dei sine arte, ni Deus ipse concordet; intellectus saltem hic nihil valet... Totam se vellet linguas fieri, quibus laudaret Dominum. Insana multa sancte effutit anima bene sana placere semper ei, qui talem eam posuit. Personam scio, cui, cum poëta non esset, contingebat versus subito condere affectu plenos, quibus dolores suos exprimebat... Quidnam tum laborum prae oculis obiiciantur quos iucunda pro Domino non suscipiat... ? » (3).

Si bene perpendantur omnia, quae in eo capitulo a S. Theresia narrantur, intelligetur miros impetus istos spiritualis ebrietatis aequivalere ecstasibus imperfectis sicut inchoata quoque et imperfecta unio mystica est contemplatio, ex qua procedunt.

246. Somnus spiritualis. — Hoc nomine, vel *somni potentiarum*, significatur forma quaedam orationis quie-

(1) *Camino de perfección*, c. XXXI, n. 4 et 5; *Relación* 2. ad P. Rodrigo Alvarez, n. 7.
(2) *Vida*, c. XIV, n. 1.
(3) Ibid., n, 2 et 3.

tis, in qua interiores potentiae sensitivae inertes permanent, atque rationabiles de Deo intense agunt, quin tamen proprie suspendantur. Huic formae simile est *silentium spirituale*, quod nihil aliud est quam absentia divagationis et discursus omnis cum quadam potentiarum alligatione, ut nequeant in propria naturalia obiecta intendere.

Beata Theresia sub uno gradu complectitur ebrietatem et somnum spiritualem, ait enim de priori loquens: « Est potentiarum somnus, quae nec omnino amittuntur, neque sciunt qua ratione operentur... Censeo nihil esse aliud quam omnino mori omnibus mundanis rebus, atque Deo perfrui... Est gloriosissimum aberrare, est caelestis insania, ubi vera sapientia discitur, estque iucundissimus modus, quo anima fruitur Deo » (1). Et alio loco scribit « De hac oratione (quietis) provenire solet *somnus*, quem vocant potentiarum, quae quidem absortae sunt, nec adeo suspensae ut valeat vocari ecstasis, nec iure pleno est unio » (2).

Ceterum, verba ista: *silentium spirituale*, *oratio silentii*, *inebriatio*, *iubilum*, *somnus potentiarum*, et similia, saepe sumuntur velut accidentia cuiusvis gradus contemplationis (3). Sic S. Ioannes a Cruce de quadam loquitur ebrietate spirituali in matrimonio mystico (4), agitque de sommo spirituali cum describere incipit mysticam desponsationem (5).

Ne confundantur haec mystica phaenomena animarum perfectarum cum suspensione et dormitatione personarum infirmarum aut cerebrorum defatigatorum, licet posteriora ista quandoque speciem praeseferant spiritualem, et honesto procedant exordio: ex effectibus eorum in anima satis phaenomena alia ab aliis secernuntur, dum enim supernaturalia enumerata superius commoda contemplationis parant (210), mere psychologica vacuam deserunt animam corpusque extenua-

(1) *Vida*, c. XVI, n. 1.
(2) *Relaciones*, 2. ad P. Rodrigo Alvarez, n. 5.
(3) POULAIN, op. cit. p. II, c. III, n. 10.
(4) *Cántico espiritual*, canc. 25.
(5) Ibid., canc. 15, versus « La noche sosegada ».

tum [1]. In his insistemus, cum de ecstasibus sermo erit (251).

247. Recollectio infusa. — Dicitur *recollectio passiva, sive infusa* recessus quidam potentiarum ad interiorem partem mentis, exterioribus obiectis et occupationibus aversis, a Deo repente et suaviter in anima immissus, ipsa non procurante. Ab *activa* recollectione eo differt, quod haec ex humano conatu procedit, nec adeo vehemens et efficax est quam passiva.

Haec recollectio consideratur a pluribus auctoribus velut primus gradus contemplationis infusae, eamque Dominus elargitur quasi praeludium orationis quietis, cum, ex S. Theresiae sententia « initium sit ad eam perveniendi » [2]; sed evenire etiam potest, iuxta alios, ut simplex sit dispositio supernaturalis ad orationem aut initium et praeludium sublimissimarum contemplationum [3]. Ea tamen accepta, non immediate subsequitur donum infusae contemplationis, quandoque enim anima sistit in ordinaria meditatione. Unde admonet S. Theresia in ea recollectione « non esse dimittendam meditationem nec operationem intellectus » [4], addens alibi « nullum in ea sensum vel potentiam amitti (id est, suspendi), sed omnia integra manere, manere tamen ut operam navent Deo » [5].

248. Documenta practica. — Praeter monita generalia ad directionem contemplativorum superius tradita (236 et seq.), huic primo gradui peculiaria haec sunt tenenda : 1° non ideo contemplativam se aestimet anima, quod semel aut iterum aliquod praedictorum bonorum susceperit, sed inspiciendum est an saepius vel fere assidue suscipiantur [6] ; 2° multum conside-

[1] S. Theresia, *Fundaciones*, c. vi ; Scaramelli, op. cit., tr. III, c. vi.
[2] *Moradas*, IV, c. iii, n. 7.
[3] Lehodey, op. cit. p. III, c. vi, § 1.
[4] *Moradas*, IV, c. iii, n.7.
[5] *Relaciones*, 2 ad P. Rodrigo Alvarez, n. 4.
[6] *Moradas*, IV, c. iii, n. 9.

rare oportet an persona imbecilla sit valetudine vel effrenata cogitatione, tumque pili fiant eius suspensiones, quas S. Theresia *stupiditates* vocat [1], sed tunc moderandae sunt poenitentiae ac orationes patientis, bene cibetur atque diutius dormiat [2], idque, etiamsi supernaturalis aliqua causa appareat admixta naturalibus, quae talia phaenomena producant; 3° si in oratione quietis obex interciderit phantasiae, ut supra dictum est, nihil de illa curetur, etiam ut reprimatur et colligatur, sed anima voluntatem in Deum quiete defigat, ceteraeque potentiae per se colligentur [3]; 4° in spirituali ebrietate impetibus externis parcatur [4], praesertim coram aliis personis; 5° dum lumen contemplationis vel oratio ipsa perdurat, ne sistat anima ut consideret, quae Deus secum perficiat aut ipsa operetur « dignoscere cupiens, ut ait S. Franciscus Salesius, qualiter se gerat, et gaudium quo perfruitur, sollicita scire an tranquillitas illa vere tranquilla sit, an quies sit bene quieta » [5]; sed omnibus omnino debet valedicere, quae avertant benevolum intuitum, aut mysticae quieti officiant; 6° neque moderatorem neque moderatum praeoccupare debet varietas accidentialium phaenomenorum mysticae contemplationis, sed tota sit mens in diligendo Deo in pace.

CAP. II.

Gradus perfectus.

249. Elementa huius gradus. — Perfectum dicimus hunc secundum gradum mysticae contemplationis eo quod illius naturam et essentiam perfecte contineat, id est, intimum sensum praesentiae deitatis directe

(1) *Moradas*, IV, c. III, n. 11.
(2) Ibid., n. 12.
(3) In *Vida*, c. XVII, n. 6.
(4) *Camino de perfeccion*, c. XIX, n. 9.
(5) *Traité de l'amour de Dieu*, l. VI, c. X.

susceptae, atque suspensionem potentiarum (saltem interuarum), quae totaliter ac sine ulla distractione in divinum obiectum intendunt. Inde gradus iste *unio* appellatur, et proprius, *unio omnium potentiarum*, ut in scriptis suis consignat inspirata Magistra (1), quo melius hunc discernat a praecedente gradu orationis, in quo unio inchoata solum est et imperfecta. Cumque unio illa tam intima sit tamque secreta, ut nullus pateat locus fraudibus daemonis vel phantasiae, certissima est anima susceptae a Domino altissimae ac benevolentissimae visitationis, quae quidem certitudo alia e notis est gradus istius, ex obfirmato testimonio S. Theresiae (2).

Unio mystica, de qua nunc, solet a scriptoribus distingui in *unionem simplicem* et *unionem ecstaticam;* posterior a priori differt in maiori intensitate ac vehementia, qua potentiae adhaerent obiecto contemplato, quae secum affert alienationem seu amissionem sensuum exteriorum (quoad usum) in ipso actu ecstaticae unionis. Respondet unio simplex *mansioni quintae* S. Theresiae, ecstatica vero *sextae;* utraque tamen a S. Ioanne a Cruce unius gradus considerantur sub nomine *unionis*, seu *spiritualis desponsationis* (3), et a S. Theresia in autobiographia sub simbolo *quartae aquae* describuntur.

Uterque clarissimus sanctus mirabilia nobis ostendunt, quae Dominus operatur in animabus hoc mystico gradu decoratis ; observant tamen non omnibus omnia communicari, quae ipsi enarrant, « neque eadem mensura et modo *cognitionis* et *affectus*, aliis enim animabus plus, aliis minus datur aliter etiam et aliter, utrumque vero evenire potest in hoc statu spiritualis desponsationis » (4). Unde infertur, iuxta praefatum Doctorem, illam intensitatem non quidem diversos gradus, sed modos eiusdem gradus constituere.

(1) *Relaciones*, 2ª ad P. Rodrigo Alvarez, n. 4.
(2) *Moradas*, V, c. 1, n. 9.
(3) *Cántico espiritual*, canc. 13-21, inclusive, cum suis commentariis.
(4) Ibid., canc. 14, annotatio.

Praeterea, vidimus in capite praecedenti spiritualem ebrietatem non in alio a quiete gradu inveniri (in quod incidunt hodierni prudentiores rerum mysticarum scriptores), licet cum quadam sensuum alienatione coniuncta sit, atque, testante etiam S. Theresia, illa ebrietatis forma quiete sit facile praestantior [1]. At, quamvis beata Doctrix aperte ac determinate unionem simplicem ab ecstatica distinguit, nulla ipsi apparet notabilis differentia inter utramque, nisi in manifestationibus et effectibus, quod quidem non sufficit ad diversitatem graduum constituendam. Inde licuit Doctrici asserere unionem et ecstasim seu elevationem « unum esse » [2].

Ex his aliisque superius (242) enucleatis argumentis concludere licet iure nos differentias omnes perfectae unionis mysticae, spirituali matrimonio inferiores, sub uno gradu complecti, vestigiis insistentes S. Ioannis a Cruce in admirabili *Cantico*...

Ad quaedam particularia veniamus super variis donis mysticis, quae gradum istum constituunt, aerumnis eius praetermissis (233).

250 Unio simplex. — Dictum est triplici hoc signo essentialiter constitui: 1° intimo sensu praesentiae deitatis, ex *visitationibus Dilecti*, quas memorat Ioannes a Cruce [3]; 2° suspensione omnium internarum potentiarum, quod est, iuxta beatam Theresiam, earum usum totaliter amitti aut sopore quodam teneri [4]; 3° certitudine animae de hac mercede a Deo reapse suscepta [5]. In tribus iis differt unio a gradibus praecedentibus; ut autem ab unione ecstatica distinguatur, inspicere sufficit an sensus non fuerint totaliter amissi. In unione simplici sensus quodammodo religantur, adeo stricte quandoque, ut vix anima valeat eis uti [6]; tunc unio dicitur *semi-ecstatica*.

(1) *Vida*, c. XVI, n. 1.
(2) Ibid., c. XVIII, n. 3: *Moradas*, V, c. II, n. 6.
(3) *Cantico espiritual*, cant. 13; S. THERESIA, *Vida*, c. XVIII, n. 8.
(4) *Moradas*, V, c. I, n. 3; *Vida*, c. XVIII, n. 8.
(5) *Moradas*, V, c. I, n. 5 et seq.
(6) *Vida*, c. XVIII, n. 6; *Moradas*, V, c. I, n. 3.

Tempus horum actuum contemplativorum initio brevissimum esse solet, spatio, ait S. Theresia, « unius Ave Maria » (1) ; mox etiam per semihoram protrahuntur in statu perfecto (2). Hoc tempore elapso, mox contemplatio in gradum quietis descendit, iterumque aliquoties in unionem pristinam evehitur per simile temporis spatium.

Pariter evenit in ecstatica unione. Quamvis haec contemplationis phaenomena (sicut cetera omnia) transeuntia sint, nec umquam veros habitus constituant (aut quasi dicamus actum continuatum), nec enim in ipso spirituali matrimonio unio mystica continua est (3); remanet tamen in anima sensus quidam divinae unionis fere continuus, debilis tamen atque confusus (4).

Inter miras proprietates proventusque uberrimos huius contemplationis, sequentes enumerat S. Ioannes a Cruce: « In hac unione divina videt anima atque degustat abundantiam inaestimabilesque divitias, quantum quietis et oblectamenti concupiscit invenit in ea, arcana Deique notitias ineffabiles intelligit, cibus sane sibi sapiens quam qui plurimum, terribilem a Deo vim ac fortitudinem mutuatur, cui nulla alia virtus valet obsistere... miram ibi percipit spiritus suavitatem atque delicias..., super omnia tamen intelligit atque perfruitur inaestimabili refectione charitatis, qua in charitate confirmatur » (5). Atque S. Theresia « Quid sit unio certe patet, duas nempe res divisas unam fieri. Ah, mi Domine, quam bonus es !... Restat in anima ex hac oratione et unione tenerrimus affectus, ut velit anima liquefieri non moerore quidem sed in lacrymas delectabiles... ; maxime oblectatur impetum illum ignis aqua sedare, qua magis succenditur ; paradoxum videtur, sed ita sane est » (6).

(1) *Vida*, c. IV, n. 3.
(2) *Moradas*, V, c. II, n. 6.
(3) Antonius a Spiritu Sancto, *Directorium mysticum*, tr. IV. disp. 4, sec. 5.
(4) Poulain, op. cit., c. XVII, n. 9 et 10.
(5) *Cántico espiritual*, canc. 14, declaración.
(6) *Vida*, c. XVIII, n. 2, et c. XIX, n. 1.

251. Unio ecstatica. — Est ipsa praefata unio, ita vehemens, ut exteriorum sensuum suspensionem vel alienationem producat. Laudata Doctrix hanc unionis formam ita describit: « Inter ecstasim et unionem (id est, inter *unionem simplicem et ecstaticam*) haec est differentia: quod ista diutius perdurat, et in exterioribus (effectibus) sentitur, nam intercluditur anhelitus ita, ut nequeat persona verba efferre, nec oculos aperire; et licet haec eadem in unione eveniant, hic tamen vehementius, calor enim naturalis, nescio quo, abscedit, etenim cum ecstasis altior est (in omnibus enim his modis orationis plus minusve datur, cum altior est, inquam, conglaciant manus et quandoque ut paxilli rigescunt, corpusque, si stans deprehenditur, aut genu flexo, eo modo perstat, tantaque virtute in fruitionem eorum, quae sibi repraesentantur, intendit, ut anima videatur quasi oblivisci animare corpus, illudque deserit » (1).

Ex hac simplici descriptione decet etiam inferre differentiam inter simplicem unionem atque ecstaticam non esse substantialem, sed totam versari in maiori vel minori intensitate contemplativa intra idem genus contemplationis; itemque notare decet in allatis verbis immediatam veramque ecstaseos causam nullam aliam poni quam, totius fere vitalis hominis virtutis a potentiis superioribus absorptionem, ut intensius inhaereant divino obiecto dilectionis suae (2).

Ex doctrina in capite isto enucleata haud difficile est deducere notas seu signa, quibus unio ecstatica secernitur ab iis, quae turpes tantummodo sunt simulationes eius (quae quidem rationalismus et naturalismus nequiter permiscent), sopores scilicet, catalepsis, aliaque hysterismi, somnambulismi et hypnotismi phaenomena (257 in fine). Sufficit, ut discernantur, observatio contrariorum effectuum, qui ab utrisque in animam derivantur; dum enim ecstasis supernaturalis ea omnia

(1) *Relaciones*, 2ª ad P. Rodrigo Alvarez, n. 11.

(2) Sic etiam indicare videtur S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, q. clxxv, a. 2.

comparat bona quae contemplationi assignantur (190), phaenomena ista naturalia vel diabolica nihil eorum praestant omnino. Iterum, claritas atque interna activitas potentiarum superiorum, quae virtutes sunt essentiales ecstasis supernaturalis, nihil commune habent cum earum inertia in morbis lethargicis vel cum violenta charitate phaenomenorum hypnoticorum. Mire iam monuerat S. Theresia : « Non idem est ac cum aliquis deliquio vel paroxysmo corripitur, ubi nihil interiorum aut exteriorum intelligit. Id quidem certe capio in hoc casu, quod numquam mens tam pervigil fuerit in rebus divinis vel tanta luce et cognitione divinae Maiestatis donata. Impossibile quidem videtur: nam si potentiae absorptae sunt ita, ut liceat eas emortuas dicere, itemque sensus ; qui potest intelligi mentem arcanum illud intelligere ? Ego nescio nec forte ulla creatura, sed ipse solus Creator » (1). His adde facilitatem, qua potest anima ab ecstasi revocari, ex obedientia praecepto vel nudae voluntati legitimi superioris, licet exterius non manifestetur, itemque impossibilitatem provocandi ecstasim ex propria vel alterius personae voluntate, a quibus omnibus longe differunt physica phaenomena naturalia, quae diximus. Denique, phaenomena hysterismi, allucinationis, ceterorumque accidentium systematis nervosi veri sunt status pathologici, accumulatio nempe virtutis in illud systema cum aliorum detrimento, vera infirmitas organica cum suis perturbationibus et cuivis patentibus incohaerentiis ; non ita quidem supernaturalia phaenomena, semper armonica, benefica, pretiosa, divina (2).

252. De formis ecstasis. — Non idem sunt *ecstasis* et *unio ecstatica*, nam prior esse potest sine altera : unio ecstatica gradus est contemplationis, ecstasis accidens est sive phaenomenum transitorium et separatum. Iuxta verbi etymologiam *ecstasis* idem valet ac *extra*

(1) *Moradas*, VI, c. IV, n. 3 et 4.
(2) Vid. S. Theresia, *Vida*, c. XVIII ; Arintero, *Evolución mistica*, p. II, c. VI, § 3.

se esse ; sensu tamen proprio et vulgato dicitur « elevatio mentis ad intelligibilia cum sensuum alienatione » (1).

Sic accepta ecstasis, pro diversitate causae dividi potest in *naturalem*, *diabolicam* et *divinam* (2). Posterior haec, proprie ecstasis appellata, de qua nunc agimus, definitur ab Angelico Doctore « Elevatio hominis spiritu divino ad aliqua supernaturalia cum abstractione a sensibus » (3).

Ecstasis supernaturalis seu divina duas species valde distinctas amplectitur : *ecstasim propheticam*, et *ecstasim unionis.* Prior oritur ex aliqua singulari visione, quam homo suscipit, sicut prophetae susceperunt, et nostris fere temporibus, inter alios, celebrata Bernardette in specu Lourdes, quin tamen de gradibus contemplativis res esset : altera est unio mystica de qua nunc agimus (4).

Huius ultimae speciei tres formae dignoscuntur : *mentis excessus*, *raptus*, et *volatus spiritus. Mentis excessus* (*arrobamiento* dictus a S. Theresia, cum de ecstasi loquitur) qui etiam simpliciter *ecstasis* appellatur, est ipsa forma paulo ante descripta (251) in qua sensus paulatim alienantur ; *raptus* (quem S. Theresia *arrebatamiento* quoque nominat) fit per subitam sensuum alienationem (5) ; *volatus spiritus* est raptus, in quo anima quasi e corpore egredi videtur ita, ut (verbis utamur S. Theresiae) « saltem ipsa dicere non valeat sit necne in corpore per aliquot momenta ; videtur sibi se totam in regionem abiisse longe aliam ab hac, in qua vivimus » (6), cui concordat S. Paulus Apostolus (II Cor. XII). Omnes istae formae idem sunt quoad ecstasis naturam, effectusque in animam derivati, iis respondent, quos de mystica unione tradidimus, cuius sunt partes.

Temporis tractus in phaenomenis mysticis brevis esse

(1) VALLGORNERA, *Mystica Theol.*, t. II, q. IV, disp. 2 a 17.
(2) BENEDICTUS XIV, *De Serv. Dei beatific.*, l. 3, c. XLIX, n. 4.
(3) *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXV, a. 1, ad 1.
(4) SEISDEDOS, *Principios fundamentales*, t. III, p. V, sec. 6, c. 1, § 2.
(5) *Relaciones*, 2a ad P. Rodrigo, n. 14.
(6) *Moradas*, VI, c. V, n. 8.

solet, ut superius notatum est ; sed brevibus intervallis repetita, aliquas etiam horas protrahi possunt. Quidquid sit, dantur in vita sanctorum exempla, quae suadent ecstases etiam per plures continuos dies sustineri: de S. Ignatio dies octo, de S. Coleta dies quinque, de S. Maria Magdalena de Pazzis usque ad quadraginta [1].

Non est essentialis proprietas ecstasis, rapti, etc. corporis elevatio [2], aut alia phaenomena miraculosa uti aureolae splendentes, caelica aromata, etc. quae comitantur quandoque; sed in ipso solet anima suscipere altissimas divinitatis communicationes, loquutiones, revelationes.. (vide Sectionem tertiam) : sensibus tamen inertibus, superior animae pars activissime operatur, ut dictum est, et essentialiter libera perseverat ita, ut mereri possit atque re vera meretur, iuxta communiorem theologorum sententiam [3].

Licet per ecstasim communiter amittitur omnino sensuum exteriorum usus, ita ut corpus maneat insensibile, dantur tamen casus extraordinarii in quibus persona ecstasi correpta ex speciali dono Dei usuram sensus alicuius retinet ; ita fertur de S. Catharina Senensi et S. Maria Magdalena de Pazzis, quae per ecstasim loquebantur de iis quae videbant vel intelligebant ; et posterior haec aliique sancti dicuntur ambulasse etc. Ecstasis huiuscemodi, elevationesque corporeae dicuntur etiam *ecstases mobiles*, et pro qualitate motus diversa nomina sortiuntur : v. gr., *ascensio ecstatica*, si improviso paulatim a terra elevetur ; *translatio ecstatica*, si improviso alio transferatur ; *gressus mysticus*, si incedat ; *volatus ecstaticus*, si raptim ascendat [4] ; *bilocatio*, si duobus in locis pariter adsit (261). Postrema haec manifestatio non nisi in supremo gradu mystico solet evenire.

(1) Poulain, op. cit., c. xviii, n. 7.

(2) Illa corporis elevatio verum est miraculum, neque aequivalet amissioni gravitatis ut explicare contendit Lopez Ezquerra (op. cit., tr. V, c. xxx), tunc enim ad milliaria multa usque conscenderet, et novo miraculo opus esset ad eius elevationem cohibendam.

(3) Ibid., c. xviii, n. 37 ; Antonius a Spiritu Sancto, *Directorium mysticum*, tr. IV.

(4) P. Seraphin, *Principes de Théol. mystique*.

253. Desponsatio spiritualis. — *Desponsatio*, proprie loquendo, est promissio a Deo facta animae, iam in gradu unionis constitutae, eam in matrimonium spirituale assumendi (1). Haec desponsatio, iuxta S. Theresiam, in raptibus celebratur (2). S. Ioannes a Cruce censet desponsationem unioni mysticae aequivalere, de qua diximus (**249**), sed supponit etiam in raptibus seu volatu spiritus celebrari (3). In gradu simplicis unionis quasi invisuntur futuri sponsi (4), in ecstatibus et raptibus Dominus animam praedilectam gratiis cumulat atque donis, quae monilia sunt et arrabones matrimonii. Quandoque Dominus Iesus pignora quaedam visibilia dedit sponsalicia, uti fuere, digito sanctae Catharinae annulum inserere, dexteram dare sanctae Theresiae, etc.; haec autem non ipsa desponsatio, sed signa sunt desponsationis vel matrimonii spiritualis.

254. Documenta practica. — In hoc gradu opera est navanda praecipue ut verae ecstases ac supernaturales suspensiones a falsis dignoscantur, adiuveturque anima ad tribulationes perferendas, et diabolicis impugnationibus obsistendum (**233**, **234**). In ipso contemplationis actu, si vera sit, nihil aliud agendum quam sinere se duci a Spiritu Divino, nec enim valet anima aliud quid agere, testante S. Theresia (5).

Ad recte iudicandum, haec habeantur prae oculis: 1° non velut unio mystica habendi sunt ferventissimi sensus unionis, quibus animae quaedam inflammantur (erunt, ut summum, sensus acquisitae contemplationis), dum non intercesserit totalis potentiarum suspensio, cum ceteris signis ei propriis: 2° multum perpendantur ecstasim antecedentia et consequentia ut supernaturalis censeatur, pariterque an phaenomena comitantia rara sint vel ridicula vel offensioni obnoxia, quod diabolicum interventum denuntiaret; 3° quidam languores,

(1) Poulain, op. cit., c. xix, n. 26.
(2) *Moradas*, VI, c. i, n. 2.
(3) *Cántico espiritual*, canc. 14, annotatio.
(4) *Moradas*, V. c. iv, n. 2.
(5) *Vida*, c. xviii, n. 1 et 2.

quibus poterit quis in actu verae contemplationis corripi, effectus naturales esse possunt debilitatis organicae, quae laborem mentis tantum non patitur ; in hoc casu non relinquent post se salutares effectus languorum vere supernaturalium, nec tunc persona, quae talibus afficitur, poterit (propter physicam infirmitatem) mandato confessarii obedire, imperantis ut ab illo statu egrediatur ; 4° moderator, ut certior fiat an ecstases poenitentis sint a Deo, vel propter aliam iustam causam, poterit ecstatico imperare ut in naturalem statum redeat nam obedietur sibi humiliter et prudenter imperanti ; quod tamen non esset signum infallibile ; caveatur autem ne ecstaticus vexetur tunsionibus, punctionibus, etc. ; 5° praecepta ista rara sint, non ex curiositate sed necessitate imposita, tempusque breve concedatur (horae quarta pars, ex gr.) ad mandatum exsequendum (1). Quod si, demum, certo constaret phaenomenum ex organica debilitate procedere, ad remedia physica recurrendum, et orationi tempus limitandum ut pro similibus casibus dictum est (248).

CAP. III.

Gradus summus.

255. Huius gradus elementa. — Summus dicitur gradus hic ultimus mysticae vitae quod in ipso maxima perfectio obtineatur quam mens in via assequi potest ; quodque, praeter beatificam visionem, nullus sit alius status melior animabus appetendus. In ipso continetur *matrimonium spirituale*, unaque cum illo plurima et praestantissima charismatum dona, quibus dignatur a Deo anima beatissima, quae fertur in haec sublimia divinitatis.

(1) Poulain, op. cit., c. xviii, § 1, n. 12 et seq. : P. Seraphin, *Principes de Theol. myst.*, n. 194 et seq. ; Scaramelli, *Direttorio mistico*, tr. III, c. xviii et 20 ; Görres, *Die christliche Mystik*, l. IV, c. ii.

Gradum istum haec quoque nomina significant : *unio consummata*, *unio transformans* atque *deificatio*, eo quod mens in hoc statu summe Deo coniungitur et in illum transformatur ita, ut more divino sentiat atque operetur, ut mox dicemus. Respondet *mansioni septimae* S. Theresiae, quae, simul cum S. Ioanne a Cruce [1] aliisque mysticis, eum appellat *spirituale matrimonium*. Quoniam Magistra nostra, cum autobiographiam scriberet, nondum gradum istum attigerat, de eo non loquitur cum gradus orationis describit sub symbolo aquae divinae, unde in unione simplici atque ecstatica sistit, quae *quarta* est *aqua* perillustri Doctrici, altiora nondum assequutae.

Proprietates et signa huius gradus ipsis nominibus, quibus appellatur, satis indicantur, atque notionem transformationis atque stabilitatis prae se ferunt. Ad haec tria reducuntur : 1° sensus intimus ac fere continuus praesentiae Dei, unionisque cum Maiestate divina ; 2° transformatio animae in Deum, propter susceptam novam supernaturalem vitam, vi cuius potentiae actae et informatae superiori modo operantur (256) ; 3° certitudo et securitas de praesentia Dei secum, sine timore fallaciae aut erroris [2]. Aliqui auctores, quasi speciale signum gradus istius censent unionem animae contemplativae cum Deo per intellectum sine speciebus (205).

Solent hic cessare ecstases atque raptus, qui, si quando apparent, sine violentia ac vehementia perficiuntur ; illa vero cessatio non supponit defectum supernaturalis virtutis, aut maiorem in subiecto resistentiam physicam, sed id tantum, quod caelestes communicationes fiunt in intimo spiritu, ubi Deus operatur, multa supplens eorum, quae natura in prioribus gradibus praestabat, vitans ne vires naturales depereant [3]. Si ita non esset, impossibilis fieret vita

(1) *Cántico espiritual*, canc. 22 et seqq.
(2) *Moradas*, VII, c. 1, n. 9, 10 et 11.
(3) Vid. Seispedos, *Principios fundamentales*, t. III, p. V, sec. 6, § 3, punct. 5, licet explicatio ibi allata differt a nostra aliquantum.

in hoc contemplationis gradu, dum perpetua fere ecstasi anima teneretur.

Non solent tentationes hanc felicem sublimemque regionem pervadere, ac si quando passiones tumultuantur vel oboritur diabolica impugnatio, nequeunt pacem animi deturbare, qui a superiore mentis regione immotus illas experitur, quasi qui convallium tempestates nubes supergressus, e serenis culminibus contemplatur, ut loquitur S. Alphonsus de Liguori (1).

Non tamen desunt cruces acerbissimae ; sed iucundissimis admiscentur gaudiis, quae proveniunt ex unione cum Iesu crucifixo, et ex ardenti animae desiderio patiendi pro Domino suo, ei melius inserviendi, atque velut victimam se pro fratribus offerendi.

Ad particularia quaedam veniamus, quibus notiones, hic summatim propositae, in bono, ut aiunt, lumine, collocentur.

256. Matrimonii spiritualis celebratio. — Ad ingressum animae in hunc sublimem statum descendit Dominus (vel Trinitas Beatissima) supernaturali ac specialissimo modo in ima spiritus seu in animae substantiam, iuxta verba S. Theresiae et Ioannis a Cruce: ut autem anima, tanto favore dignanda, huius novae et specialis consecrationis conscia reddatur, apparet ei Trinitas Beatissima (vel Divinitas indistincta), atque paulo post Persona Verbi, cum quo anima arctissimo charitatis vinculo copulatur cum mutua utriusque traditione per intellectuales loquutiones (2). Haec omnia miro ac divino sermone traduntur a mysticis Magistris saepius a nobis memoratis, in quorum scriptis perlegere est has mirificas communicationes divinae Bonitatis, praedilectis animabus collatas (3).

Cum dicimus Deum in animae substantiam descendere vel animae substantiae copulari, neutiquam admittimus, nec specie quidem, aliquam ibi esse unionem substan-

(1) *Praxis confessarii*, c. IX, n. 138.
(2) SCARAMELLI, *Direttorio mistico*, tr. III, c. XXIV, n. 237.
(3) *Moradas*, VII, c. I, n. 9 et seq. ; *Cántico espiritual* et *Llama de amor viva*.

tialem, aut animae essentiam per se ipsam agere sine potentiis intermediis, sed tantum Dei gratiam singularissimam animae substantiam afficere, unde derivatur, potentias illuminans (1) ; notum est enim animae essentiam esse subiectum gratiae sanctificantis, Deumque dici, ex S. Thoma, animam tangere cum in ea causat gratiam (2). Hac superiori atque ineffabili vita informante animam extraordinaria gratia Dei, potentiae quoque vitam istam participant, unde consequenter divino more operantur (3). Altiora sunt haec atque diviniora quam ut sermone valeant explicari terreno, vel humano valeant intellectui pervia fieri.

Locum aliquem saltem afferamus Principum nostrorum in Mystica, ut veritas appareat expositae doctrinae: « Maximum est discrimen inter praeteritas omnes et huius mansionis visiones ; interque desponsationem et matrimonium spirituale tantum discriminis est, quantum hic inter sponsos et (coniuges) qui nequeunt separari... Haec arcana coniunctio in intimo centro mentis perficitur... Omnia, quae hucusque diximus (de ceteris mansionibus) per sensus et potentias agi videntur... ; quod autem in matrimonio spirituali perficitur, longe aliud est. Apparet Dominus in hoc animae centro non imaginaria visione, sed intellectuali, licet subtiliore quam praedictae visiones, sicut Apostolis suis, ianuis clausis apparuit... » (4). « Hic interior motus (seu impulsus amoris et laudis) e medio mentis procedit, excitatque potentias » (5). « Matrimonium spirituale est quaedam in Dilectum perfecta transformatio, in qua utraque pars se invicem tradit omnino possidendam cum quadam unionis et amoris consummatione, per quam anima divinum quid, imo participative Deus, efficitur, quantum in hac vita fieri potest » (6).

(1) *Moradas*, VII, c. II, n. 10.
(2) *De Verit.*, q. XXVIII, a. 3.
(3) Vallgornera, op. cit. t. I, q. I, a. 10; López Ezquerra, op. cit., tr. 5, c. XIV.
(4) *Moradas*, VII, c. II et III.
(5) Ibid., c. III, n. 10.
(6) *Cántico espiritual*, canc. 22, declaración.

257. Effectus huius unionis transformantis. — Ex hac unione divinissima inaestimabiles thesauri proveniunt animae generosae, quae meruit eam adipisci, miraque sunt atque magnifica charismata, quibus a Deo decoratur. Aliqua recenseamus ex iis quae ex propria experientia refert beatissima virgo Theresia, ad haec tria capita contrahentes : virtutum incrementum, gaudium perfectae pacis, et magna mystica dona. Pauca dicamus de singulis.

Virtutes, quibus anima perficitur, eaedem sunt, quae enumerantur in qualibet infusa contemplatione (210) : sed maximae notantur a S. Theresia : 1° perfecta sui ipsius oblivio ut divino tantum honori atque servitio studeat : 2° ardens desiderium patiendi pro Deo, ardentius vero divinae voluntati in his ceterisque omnibus morem faciendi ; 3° maxima a rebus omnibus abalienatio ; 4° perpetua cupiditas iis incumbendi, quae ad salutem conferant animarum ; 5° ea memoria Domini isque tenerrimi amoris sensus, ut nollet umquam a laudibus eius cessare, quod si quando negligit, ab ipso Domino excitatur (1).

Gaudium pacis complectitur : 1° laetitiam in persequutionibus, inter quas quietissima manet, nulla contra persequentes nec specie quidem odii permota ; 2° nullum omnino timorem mortis, quam raptum vel somnum dulcissimum reputat ; 3° absentiam anxietatis illius in caelum etiam abeundi (qua in praecedentibus gradibus afficiebatur), dummodo possit in terra Dilecto suo inservire ; 4° tranquillitatem in receptione donorum Dei, quae iam non expavescit ; 5° securitas quaedam, licet non omnimoda, aeternae salutis suae (2).

Dona mystica pretiosa sunt atque omnigena, tum ad animae propriae solatium et robur, tum ad provectum ceterorum. « Hic supereffluenter dantur aquae cervae sauciatae atque sitienti ; hic delectatur in tabernaculis Dei... » (3). « Mihi suadeo has mercedes dari ad infir-

(1) *Moradas*, VII, c. III, n. 1, 4 et 9.
(2) *Moradas*, VII, c. III, n. 5 et 6, et c. IV, n. 4, etc.
(3) Ibid., c. III, n. 15.

mitatem nostram confortandam, ut eum (Iesum Christum) imitari in laboribus multis valeamus » (1). S. Ioannes a Cruce haec dona mirasque mercedes in memoratis operibus quam eleganter decantat.

Una ex his mercedibus, unioni transformanti apprime consona, licet non privativa huiusce gradus, est impressio vulnerum seu *stigmatum*, quae aliquando visibilia apparent in corpore, quandoque occulta manent, semper tamen cum acerbissimo dolore et ineffabili gaudio admixta. Item sudor sanguinis atque spineae coronae punctiones. Horum donorum substantia est omnimoda animae transformatio in Christum Iesum per eius dolorum participationem. Primus, qui *stigmatibus* dignatus esse refertur, fuit S. Franciscus Assisiensis, a saeculo vero XIII trecenti triginta homines traduntur hoc insigni favore fuisse dignati (2).

Ne vera et supernaturalia stigmata cum falsis confundantur, quae quandoque phantasia producit, quandoque provocat hypnosis, meminisse iuvat priora morbosis carere symptomatibus, quibus altera laborant, unde nec suppurant umquam nec gangraena corripiuntur, nec medicina curantur, sicut fucata vulnera ; insuper, illa in locis apparent manuum, capitis et pedum, qui locis respondent Passionis Iesu Christi, ac vera profundaque vulnera sunt, sanguine manantia, dolorem afferentia vehementissimum, quorum nihil in falsis stigmatibus observatur, quae nihil sunt aliud quam eruptio, aedemae quaedam vel aequimoses, aut erosiones, ut summum, sudore aliquo sanguineo conspersae (3).

258. Practica documenta. — Opera praecipua moderatoris in hoc, sicut in praecedenti gradu, in eo esse debet, ut discernat num anima eo usque pervenerit, et utrum dona, quae suscipit, vere a Deo procedant

(1) *Moradas*, VII, c. IV, n. 6.

(2) Conf. IMBERT, *La stigmatisation et l'extase divine.*

(3) IMBERT, op. cit., t. II, c. VI et XIV ; item GOMBAULT, *L'imagination et les états préternaturels*, p. IV, c. II ; MONS. MÉRIC, *L'imagination et ses prodiges ;* RIBET, *La mystique divine*, etc., t. III, *Les contrefaçons diaboliques.*

an spiritus nequitiae aliqua ratione intercedat. Postremum id ultima pars operis huius praestabit; quod autem ad ipsum gradum mysticum attinet eiusque proprietates haec meminerit spiritualis magister: 1° anima non ideo ad spirituale matrimonium pervenisse credenda est quod continuo fere sensu affecta sit unionis divinae, nam aliqui sancti, et eadem S. Theresia (1), taliter affecti sunt antequam hunc supremum gradum attigissent, quamvis iam iam sunt assequuturi; opus autem hic est fusione quadam humanae vitae cum divina (2), atque ceteris signis ante expositis; 2° item non est existimanda ad hunc summum gradum anima eo ipso pervenisse, quod donis extraordinariis dotata sit uti annuli symbolici insertione, festorum nuptialium in spiritu celebratione, stigmatum impressione, etc.; quae omnia in gradu praecedenti locum habere possunt (3), tunc vero signa erunt indubia spiritualis matrimonii, quum cetera signa quoque accedant; 3° vulnera illa non censeantur quasi a Deo sine matura consideratione; possunt enim exteriora a daemone causari, interiora vero phantasiae fictiones esse; 4° de iis examen instituendum est inspiciendo num divinis illis ornentur characteribus, qui supra sunt expositi, praecipue num acerbum dolorem una cum magna suavitate afferant, num sint verae et altissimae contemplationis effectus, num in personas cadant sinceritate et perfectione conspicuas; 5° mercedes istae altissimo teneantur sigillo, quod si aliquando in lucem prodeant, maxime caveatur ne personae tanta mercede dignatae veneratio exhibeatur et ne periculum aliquod inanis gloriae iniiciatur; 6° denique non excidat a memoria moderantium aeque ac moderatorum veram sanctitatem et perfectionem non (uti vulgus autumatur) in his donis mirandis consistere sed in virtutibus solidis atque probatis, ut toties dictitat seraphica Mater Theresia a Iesu (4).

(1) *Vida*, c. XIX.
(2) POULAIN, op. cit., c. XIX, n. 8.
(3) Ibid., n. 22.
(4) SCARAMELLI, op. cit., tr. III, c. XXVIII.

Semel ac constat ea mystica dona divina esse, nihil restat agendum nisi motioni Dei obsecundare et directionis regulas supra traditas applicare (235 et seq.).

SECTIO III.

CONTEMPLATIO DISTINCTA

—

259. Dona mystica huius status. — Materia huius ultimae sectionis Mysticae suo loco notata est (203): studium instituimus mysticorum donorum, quae a scriptoribus phaenomena censentur *contemplationis distinctae* seu conterminatae et definitae.

In praecedenti sectione gradus perpendimus contemplationis infusae proprie dictae, quae de Deo rebusque divinis est, generico ac velut synthetico modo apprehensis, sine limitationibus ; in praesenti sectione actus illi perpenduntur, in quibus mens veritatem suscipit aut manifestationem aliquam divinitatis sub specie particulari et distincta, semper autem modo certe supernaturali seu praeter humanas vires et industriam, ut de infusa contemplatione diximus, superius enucleata.

Hic vero non agimus de gratiis, quas theologi proprie et stricte *gratis datas* appellant, quae in bonum proximorum ordinantur (1), nam licet aliquando tales sint hae, quae nunc pertractandae veniunt, alias tamen ad utilitatem suscipientis directe ordinantur, et regulariter in hoc a Deo donantur, ut subiecti vitam contemplativam excitent atque sustineant (2), eiusque virtutes foveant, praeter aliquas ad *revelationis* et *prophetiae* genus pertinentes, quae in aliorum emolumentum principaliter conferuntur.

(1) Vid. S. Thomas, *Summa Theol.*, I-II, q. III, a. 1 et 4.
(2) López Ezquerra, op. cit., tr. V, c. I.

Illae autem gratiae seu dona triplicis sunt generis, videlicet: 1° *visiones*, seu sensibiles et spirituales rerum vel mysteriorum repraesentationes ; 2° *loquutiones*, seu intelligentia veritatum per corporalem vel spiritualem auditum ; 3° *revelationes*, seu manifestationes latentium veritatum, quae per visiones vel loquutiones obtinentur ; huc veniunt prophetiae, quae non nisi revelationes sunt futurorum. De aliis quibusdam miris donis, quae ista comitari solent, satis superque diximus superius in ecstatico et supremo gradibus (**252, 253, 257**), de quibus tamen aliqua subiungemus, cum de visionibus studium instituemus.

Omnia dona mystica generatim (excepta contemplatione proprie dicta et gratiis *gratis datis*) possent hac ratione partiri, dona videlicet : 1° *ordinis corporei* (radii splendentes, fragrans odor, mystici gressus) ; 2° *ordinis affectivi* (ebrietas spiritualis, stigmata, mutatio cordium); 3° *ordinis cognoscitivi* (visiones, loquutiones, revelationes) : de his postremis mercedibus praecipue agemus, cum quibus ceterae intime connectuntur (1).

Ne obliviscamur, quod superius (**203**) innuimus, haec nempe dona semper posthabenda esse infusae contemplationi proprie dictae, licet vulgus illa existimet velut indicia consummatae virtutis. Indubium est ista posse etiam in peccatoribus dari, ut revera data sunt, licet perfunctorio modo, illa vero in iustos tantum cadere possunt, vel ex eo dumtaxat quod actum includunt divinae charitatis, cum peccato nulla ratione coëuntis. Praeterea, dona ista infusae contemplationis media sunt, uti diximus, verae ac proprie dictae contemplationis fovendae, atqui media finibus ipsis semper sunt inferiora. Denique, illusionibus et erroribus subiecta sunt utpote vel a natura vel a daemone imitabilia, unde minor est his fides habenda.

Tria sequentia capita sectionis huius studium suscipiet harum gratiarum triplicis generis contemplationis distinctae, ne tamen in *Discretione spirituum* multae de his notiones resumantur, in illam partem servabimus,

(1) Vid. Ribet, *La Mystique divine*, etc., t. 2.

quae attinent ad regulas et signa perspicua veras loquutiones, visiones et revelationes a falsis dignoscendi, totusque nunc labor erit in earum natura propriisque characteribus expendendis.

CAP. I.

De visionibus.

260. Notio ac divisio. — Dicitur *visio* in hac Mystica disciplina *repraesentatio supernaturalis cuiuslibet obiecti ab aliqua potentiarum apprehensa*. Verba *visio* et *apparitio* solent indiscriminatim usurpari ; sed iuxta Cardinalis Bona sententiam (1), eo differunt, quod visio intelligentiam supponit veritatis vel obiecti in apparitione se oculis offerentis ; posterior vero est manifestatio stuporem iniicens, cuius tamen res et significatio ignoratur.

Visionis mysticae materia esse possunt res omnes visibiles atque invisibiles, materiales aeque ac spirituales, ipsi quoque daemones animaeque purgantes. De iis omnibus exempla afferunt historiographi, non tamen de personis, quae in limbo resident.

Visiones, iam a divo Augustino (2), distinguuntur ab auctoribus in *corporeas*, *imaginarias* et *intellectuales*, pro facultate hominis apprehensiva illas immediate suscipiente (oculi, imaginatio seu phantasia, intellectus); item in *personales* atque *impersonales*, prout vel ipsa persona repraesentata in visione praesens adsit vel per speciem aut tertiam emissam personam repraesentetur; denique in *simplices* et *symbolicas*, prout vel ipsum cognoscendum obiectum, vel ipsius aut veritatis nuntiatae emblema tantum exhibent. Unde visiones a Prophetis visae frequentissime symbolicae erant, uti scala Iacob, somnia Ioseph, linteum visum a S. Petro, etc.

(1) *De discretione spirituum*, c. XV, n. 2.
(2) *De Genesi ad litteram*, l. XII; item S. Thomas, *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXIII, a. 2, etc.

261. Visiones corporeae. — Uti dictum est, *visiones corporeae* sunt repraesentationes praeternaturales, quae oculis corporeis subiiciuntur. Dicuntur etiam *oculares*, seu melius *externae*. Quadrupliciter eveniunt: vel reali praesentia obiecti ante oculos (qua ratione res tantum corporeae possunt repraesentari), vel aërea obiecti configuratione ab angelis efformata, aut effectu optico a radiis lucis super retinam convenienter incidentibus causato, vel imagine praeternaturaliter in ipsa retina impressa (1). Quaecumque sit causa immediata, idem est semper effectus. Verisimilius videtur visionem hac postrema forma repraesentari, cum a solo subiecto recipiente et non a ceteris adstantibus percipitur (2).

Communis sententia est visiones seu repraesentationes omnes deitatis, quae in Veteri Testamento continentur, impersonales fuisse, id est, angelorum ministerio factas (3). De apparitionibus Iesu Christi post Ascensionem suam (praeter eius apparitionem Sancto Paulo), disputant theologi utrum aliqua personalis fuerit, plures autem ex iis, quas historiae tradunt, communiter tenetur repraesentativas tantum seu impersonales exstitisse. Affirmat S. Theresia se ab ipso Domino Iesu didicisse numquam eum in terras descendere hominibus se personaliter communicaturum, extra Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum (4); atque Cardinalis Bona scribere non dubitavit hanc esse Patrum unanimem doctrinam (5), licet S. Thomas aliique auctores contrariam sententiam probabilem affirmant (6). Idem est tenendum de Beatissimae Virginis, Sanctorumque apparitionibus, licet de his faciliores censeantur personales manifestationes (7)

Cordis Iesu apparitiones, necnon cordium permutatio,

(1) Poulain, *Grâces d'oraison*, c. xx, § 4, n. 42.

(2) Huic formae aut praecedenti respondent phaenomena perspecta diebus nostris in imagine « Crucifixi (vulgo) *de Limpias* ».

(3) S. Thomas, *In I Dist.* 16, a. 1, ad 4, etc.

(4) *Relaciones*, tit. 4, n. 7.

(5) Op. cit., c. xix, n. 4.

(6) Meynard, *La Vie spirituelle* t. II, l. IV, c. i, n. 277; Poulain, op. c., xx n. 45.

(7) Bona, loc. cit., n. 4 et 8.

quae de quibusdam traditur beatis (de S. Michaële a Sanctis, de S. Catharina Senensi et de S. Catharina de Ricciis, etc.) inter se et Christum Iesum fuisse peracta, sub forma tantum spirituali atque symbolica evenisse credendum videtur, quo scilicet significaretur nova ex tunc atque superiori vita animam privilegiatam informari (1).

Mos est daemonis corporeas visiones corrumpere, atque vivida phantasia potest eas cum fallacibus fictisque a se imaginibus confundere ; sed aliae ab aliis differunt magnopere, falsaeque a veris facile discernuntur ex effectibus et ex raris quibusdam adiunctis, quae in falsis admiscentur, ut in tractatu *de Discretione spirituum* videre est (300 et seq).

Possunt etiam personae dum hac luce fruuntur in duobus vel pluribus locis simul apparere, per *bilocationem* quam vocant. In hoc casu communius tenetur (et haec thomistarum sententia) personam in uno tantum loco adesse, probabilius ubi operatur ; alibi autem per angelos repraesentari (2)

Persimiles visionibus corporeis sunt dona mystica persuavissimi saporis, fragrantiae caelestis, extra sensum rapientis musicae, mirabilis splendoris, etc., quibus quandoque Dominus aliquos decoravit (3), vel sanctorum corpora dignatus est honorare : ministeriis angelorum assignantur, sicut elationes corporeae, eodemque modo dignoscuntur, quo phaenomena praelaudata (251, 252).

262. De visione imaginaria. — Hoc nomine venit cuiuslibet obiecti sive materialis sive spiritualis per

(1) Poulain, op. cit., c. xx, n. 47. Doctus canonicus Mr. Ribet (Conf. *La Mystique divine*, t. II, c. xxxi, § 5) admittit in quibusdam casibus realem et physicam, licet supernaturalem, cordis transformationem seu innovationem ; et quidem apparet in quibusdam singularem et extraordinariam immutationem fuisse peractam, quemadmodum in S. Philippo de Neri, et S. Stanislao de Kostka. — Consulatur Aguillo (P. Fr. Hieronymus), O. M., *Teologia ascético-mistica*, p. II, Appendix I.

(2) Bened. XIV, *De Serv. Dei beatific.*, l. IV, p. I, c. xxxii, n. 18.

(3) S. Ioannes a Cruce, *Subida del monte*, l. II, c. xi.

imagines sensibiles ab humana phantasia praeternaturali modo perceptas, absque interventione sensuum exteriorum. In vigilia aeque ac in somno locum habent, atque ita vivide se offerunt, ut re vera eorum obiecta ob oculos versari videantur. Communiter accidit, affirmante S. Theresia, ut momentaneae sint [1] : tam alte vero imprimuntur, ut earum effectus atque recordatio tota vita non obliterentur.

Harum autem visionum efformatio facile explicatur vel propter associationem imaginum in phantasia praeexsistentium, vel propter infusionem novarum ex actione divina aut ex angelico ministerio. Quamvis autem imaginariae visiones altioris sint ordinis, quam visiones corporeae, possunt a daemone vel a natura facilius quam istae effingi et adulterari [2] ; sed discerni possunt mediis, quibus supra dictum est atque inferius docebitur.

Ex huiuscemodi visionibus licet explicari facta, quae de quibusdam Sanctis feruntur, quod, nempe, fuerint in inferno, in caelo et alibi terrarum, quodque testes adfuerint alicuius praeteriti vel futuri eventus : simplici imaginaria visione haec fieri potuerunt, nullo mutato loco. Aliquando miraculum obtinuit translationis vel bilocationis, cum homo, tali dignatus mercede, aliquid operatus est vel signum aliquod reliquit praesentiae suae in loco, ubi dicitur adfuisse ; ita fertur S. Alphonsum M. de Liguori, cum Aruntei esset (in Regno) Clementis Papae XIV agoni opem tulisse, qui Romae decubuit [3] ; similiter traditur Ven. Mariam de Agreda mexicanos indios saepius invisisse ut converterentur, non relicto suo Agredae monasterio ; quamvis hic optime supponi potest in Venerabili visio imaginaria, unaque ministerium angelorum in Mexico [4].

263. Visio intellectualis. — *Visio intellectualis* dicitur repraesentatio alicuius obiecti per species tantum

(1) *Moradas*, VI, c. IX, n. 2.
(2) Ibid., num. 1.
(3) LOYODICE, *Vida de S. Alfonso M. de Ligorio*, l. 3, c. XXII.
(4) *Vida*, tr. II, c. IX.

intelligibiles, supernaturali modo infusas, vel in intellectu sine ope phantasmatum concordatas. Dividitur in *obscuram* et *distinctam*, prout res cum suis lineamentis et terminis vel sine eis apprehenditur. Visio obscura divinitatis confunditur cum contemplatione indistincta in gradibus perfectis, atque aequivalet profundissimae visioni incomprehensibilitatis Dei : visio vero distincta datur in solo supremo gradu (1), utraque tamen unius Dei opus est, quod neque ab angelis neque a diabolo produci potest (2).

In hoc visionum genere maximum negotium est eas practice a visionibus imaginariis distinguere, saepe enim utraeque admiscentur et confunduntur propter intimam intellectus inter et phantasiam connexionem. Ut praecise distinguantur, consideranda est earum spiritualitas (in intellectualibus enim apprehenditur veritas vel obiectum sine figuris et phantasmatibus), maxima difficultas, qua subiectum laborat in eis explicandis (nam absentia imaginum memoriaeque sensitivae terminos aufert comparationis ad earum expositionem), tenacitas denique visionis, quae cum intellectualis sit diutius perstat (3).

Cum visionibus intellectualibus connexa est quaestio apud theologos agitata de possibilitate et exsistentia visionis intuitivae Dei in hoc mundo, licet transeunter et momentaneo modo. Communiter admittitur ut possibilis ; dubitatur autem num (praeter visionem qua perpetuo fruebatur Christus Iesus) aliquando data sit creaturis visio Dei intuitiva, quae vere *beatifica* dicitur, sed probabilissime affirmatur (4), maxime de Beatissima Virgine Maria.

(1) S. Theresia, *Moradas*, VII, c. I.
(2) *Vida*, c. XXVII, n. 4 et 5.
(3) *Moradas*, VI, c. VIII.
(4) Alvarez de Paz, *De inquisitione pacis*, l. VI, p. III, c. XV ; Benedictus XIV, op. cit., l. III, c. L, n. 5. Absque difficultate illam admittit P. Antonius a Spiritu Sancto, *Directorium mysticum*, tract. 3, disp. 4, sec. 5, n. 298, necnon P. Augustinus a S. Ildephonso, August. Recol., in sua *Teologia Mistica*, lib. II, tr. IV, c. VIII, inter alios.

264. Practica documenta. — Praetermissis nunc regulis discretionis in obiecto et effectibus visionum fundatis, et iis, quae pro directione dicta sunt (236), sequentia, quoad praxim, prae oculis habeantur: 1° visiones corporeae vel etiam imaginariae dari possunt in personis, quae per vias mysticas non incedunt, vel quibusdam innodantur imperfectionibus voluntariis, etiamsi per eas gradiantur; tunc vero non frequenter his donis dignabuntur; 2° visiones intellectuales aut etiam imaginariae vividae atque frequentes, tantum in supremis gradibus, ab unione simplici et supra solent evenire (1); 3° imagines Domini atque Sanctorum, licet a diabolo ipso depictae sint, in veneratione habeantur, nedum aspernentur (2); opportunum tamen foret prius inimicum abiurare, cum certo non constat a Deo procedere; 4° his omnibus mercedibus utatur anima ad serviendum Deo maiori diligentia et amore et cum propria confusione (3); 5° huiusmodi visiones distinctae nec quaerantur nec concupiscantur, imo potius Deum efflagitemus ut per aenigmata fidei nos perducat, quam fortiter tenere curandum est semper, ut instanter admonet S. Ioannes a Cruce (4); potest tamen anima atque debet grates Deo pientissimas de earum bonis effectibus referre, eorumque meminisse, tempore praesertim ariditatis et tribulationis, ut animus confortetur et erigatur; 6° numquam debent a directoribus aut leviter admitti aut systematice reiici (5); sed spectandum, orandum atque consulendum est, donec prudens consilium fas sit suscipere.

(1) Legatur S. Theresia, *Moradas*, VI, c. viii et ix.
(2) Ibid., c. ix, n. 10 et 11.
(3) Vallgornera, op. cit., qu. iii, disp. 5, a. 1.
(4) *Subida del monte...*, l. II, c. xi.
(5) López Ezquerra, *Lucerna mystica*, tr. V, c. iii-viii.

CAP. II.

De loquutionibus.

265. Earum notio ac divisio. — Dicuntur *loquutiones* verba quaedam divina sive interiora sive exteriora, per quae Deus veritatem aliquam homini ostendit, nulla etiam imagine vel repraesentatione intercedente. Non est autem nobis sermo de mediis generalibus atque ordinariis, quibus Deus homines alloquitur, per Sacras, videlicet, Scripturas, per Ecclesiam, Superiores, Confessarios, punitiones, inspirationes, consolationes, remorsus, etc. per quae nobis ordinarie se communicat; sed de verbis quibusdam singularibus et extraordinariis, quae Deus vel per se ipse vel per angelorum ministerium ad aures hominis efformat vel ad interiorem auditum, ut veritatem aliquam commoneat vel mandatum edicat.

Loquutiones sicut et visiones distinguuntur in exteriores seu *auriculares* et interiores seu *imaginarias* atque *intellectuales*. Quandoque visionibus consociantur et videntur ex illis procedere ; interdum tamen seorsim ac fere improviso suscipiuntur, ignorante homine unde proveniant.

266. Loquutiones auriculares. — Dicuntur *auriculares* loquutiones illae quae auribus percipiuntur. Exstant earum exempla non pauca in Scripturis Sacris, nec desunt in historia ecclesiastica atque in vitis Sanctorum. Audiuntur ab eo, qui talibus dignatur, quasi ab imagine, visione, vel aliunde procederent ; sed communiter docent theologi voces illas angelorum ministerio efformari (1).

Abs dubio potest diabolus causa earum loquutionum esse, ansamque praebent quoque fictionibus insanientis

(1) Vallgornera, op. cit., q. III, disp. 5, a 8, n. 750 ; Scaramelli, tr. IV, c. XII.

phantasiae ; facile tamen dignoscuntur ex effectibus mox dicendis, usuque regularum discretionis spirituum.

267. Loquutiones imaginariae. — Verba imaginariae loquutionis interiori sensu percipiuntur, velut soni a speciebus sensibilibus redditi. Producuntur per associationem specierum in phantasia praeexsistentium, in quo potest operatio diabolica vel vis imaginativa intercedere, vel causantur speciebus de novo infusis. Anima verba illa percipit quasi ex imo mentis vel e caelo vel ex ignoto loco procederent.

Huiusmodi loquutiones imaginariae admodum determinatae sunt ac distinctae multoque clarius percipiuntur quam per organa corporalia, licet subiectum alio divagetur vel positive resistat. Adeo menti insident, ut numquam excidant e memoria, et in ipso loquutionis tempore tam sibi certa est anima verba illa Dei esse ut nullus vel levissimo dubio pateat locus, quamvis postea aut extra contemplationis actum aliqua adoriatur suspicio. Quod autem has et alias veras loquutiones ab ementitis facilius secernit est: claritas mira menti illapsa, cumulus veritatum, quas edocent, alma pax saporque spiritualis in animam redundantia, maiestas et auctoritas, qua imperant et subiugant suscipientem. Proprietates istae divinarum loquutionum ex doctrina eruuntur lucidissima S. Theresiae (1).

268. Loquutiones intellectuales. — Loquutio pure *intellectualis* est communicatio veritatum animae a Deo facta per solum intellectum absque auxilio sensuum exteriorum vel phantasiae. Excellentias omnes continet, quae de visionibus intellectualibus dicta sunt, atque similitudinem praesefert angelicae loquutionis. « Sermo est adeo caelestis, ait S. Theresia, qui perperam humanis verbis exprimi potest, quantumvis adlaboremus explicare, nisi Dominus experientia edocere dignetur » (2).

(1) *Vida*, c. XXV ; *Moradas*, VI, c. III.
(2) *Vida*, c. XXVII, n. 5.

Internae loquutiones, tam imaginariae quam intellectuales, triplicem induunt formam, quas S. Ioannes a Cruce appellat: *successivas*, *formales* et *substantiales* (1). *Successivae* dicuntur, quae fiunt in modum colloquii in intimo spiritu a rebus abalienato, ubi anima, lumine et motione Spiritus Sancti intercedente, et Deum alloquitur, et ipsum alloquentem obaudit; *formales* sunt illae, quae ex alio accipiuntur, nihil anima cooperante vicissim, sive spiritus sit intra se receptus, sive alio divagetur; *substantiales*, seu operativae, sunt ipsae formales loquutiones, vi tamen praeditae operandi in anima, quae significant; v. gr. si praecipiant « humilis esto », « quietare », illico manet anima altissima humilitate affecta, vel imperturbabili pace circumfusa.

Prior harum loquutionum species non omnino expers est fraudis et illusionis, ut intelligenti patet, neque item secunda species; posterior autem in mirificis effectibus certum et insigne testimonium divinae originis habet. De prioribus haec inter alia, habet S. Ioannes a Cruce: « Miror ego valde, quod hac aetate nostra evenit, quod nempe anima qualiscumque, si teruntio gaudeat meditationis, et aliquid harum loquutionum experiatur, statim omnia a Deo praedicat, praesumitque ita esse, dictitans: dixit mihi Dominus, Dominus respondit mihi, cum ita non sint, sed ipsi plerumque haec sibi dicant » (2) (300 et seq.).

Si interna loquutio operetur in anima, quos effectus in praecedenti numero perstrinximus, et a fortiori si cum postremo nuper descripta loquutione conveniret, supernaturalis seu divina indubitanter appellanda erit; alias autem suspecta iudicanda est donec eius legitimitas ex regulis discretionis appareat.

Iuxta S. Theresiae doctrinam (3) nulla suscipitur

(1) *Subida del Monte Carmelo*, l. II, c. XXVIII et seq. Aliqui auctores, inter quos Scaramelli, has loquutionum species seu formas imaginarias reputant; alii vero, quibus accedit Vallgornera, intellectuales existimant; nostra tamen sententia, et imaginariae poterunt esse et intellectuales, *successivas* tamen crebrius imaginariis accessuras credimus.

(2) Ibid., c. XXIX.

(3) *Vida*, c. XXV, n, 4.

interna loquutio (multoque minus externa), dum anima in sublimi ecstasi vel raptu versatur; decrescente vero ecstasi suscipi possunt; intellectuales raro eveniunt dum potentiae elevantur et suspenduntur [1]; atque ex tota narratione vitae, ab ipsa beata Theresia facta, concluditur internas loquutiones admodum raras esse ante secundum mysticum gradum (unionis, nempe), frequentiores tamen in secundo et supremo gradu.

269. Practica documenta. — In hac loquutionum materia directori maxime curandum est ut omne praestigiorum dolum avertat a moderato, atque salutaribus effectibus utatur, quos verae loquutiones afferre solent. Oportet ergo ut meminerit: 1° loquutiones auriculares locum habere posse dum etiam corporeae visiones repraesentantur; sed infrequentes esse, breves, atque illusionibus facile obnoxias; 2° non decere ut anima illas quaerat vel toto appetitu eis cibetur, imo potius, supervenientes abiuret, Dominumque precetur ut se per vias ducat simplicis fidei; quod si a Deo evenisse constet, grates et laudes habeat, in idque solum incumbat ut earum effectibus bonis utatur, utque eiusdem vivendi ratio meliorescat; 3° non magni faciendas loquutiones successivas illusionibus obnoxias, de quarum discretione superius allatum est; 4° si loquutionum causa mens considerationibus et speculationibus distineatur, satagat ut, prora aversa, affectibus potius incumbat; 5° item, in loquutionibus formalibus mens non tam ad ipsas quam ad earum bonos intendat effectus, et nedum sibi de iis communicationibus complaceat, curet in solidis virtutibus proficere; 6° denique, persona, quam talibus devincit Deus, nihil omnino faciat, quin prius haec cum suo prudenti moderatore conferat, cui obtemperare debet in omnibus, in quibus peccatum evidens non appareat, quamvis aliud sibi ex loquutionibus intelligere videatur [2].

[1] Ibid., c. XXVII, n. 5.
[2] Vid. SCARAMELLI, *Direttorio mistico*, tr. IV, c. XV; POULAIN, op. cit., c. XXIII.

CAP. III.

De revelationibus.

270. Notiones ac divisiones. — *Revelatio* in genere *est occultae veritatis manifestatio.* Dividitur in *supernaturalem*, *naturalem* et *diabolicam*, ratione luminis, quo res occulta manifestatur. Prior, de qua nunc sermo, quae proprie revelatio appellatur, definiri potest: Manifestatio occultae veritatis vi luminis supernaturaliter seu divinitus infusi.

Revelatio supernaturalis potest esse *publica* (seu canonica), vel *privata*. Prior in Sacris Scripturis et Traditione continetur, et ab Ecclesia interpretatur; altera a personis privatis suscipitur, et studio subiacet mysticorum. Quoniam vero quae latent, praesentia sunt, vel praeterita vel futura, omnia haec possunt obiectum esse revelationum, posteriorum autem revelatio speciali nomine *prophetiae* dignoscitur.

Est ergo *prophetia* stricte sumpta (latiori enim sensu cum revelatione confunditur) manifestatio supernaturalis futurorum. In *perfectam* atque *imperfectam* partitur: prior illa est, in qua prophetans extrema nuntiatae veritatis agnoscit, intelligens se lumine divino nuntiare; imperfecta vero est illa, in qua nuntians vel sensum eius non intelligit, si, v. gr., per symbola et aenigmata prophetet (qua dicitur *symbolica*), vel ignoratse munus prophetae exsequi. Posterior haec *instinctus propheticus* appellatur, qui nihil aliud est quam supernaturalis impulsus ad enuntianda vel aperienda secreta divina, inscio subiecto verae significationis nuntiatorum [1]. Huius generis fuit prophetia Caiphae nuntiantis necessitatem mortis Domini Iesu Christi (Ioan. XI, vers. 49-52).

[1] BONA, *Lapis Lydius* seu *De discret. spirit.*, c. XVII, n. 2; Conf. S. THOMAS, *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXI, a. 5.

Revelationes perfectae fiunt per visiones loquutionesque divinas, in superiori capite explicatas, quas Deus regulariter per ministerium communicat angelorum (1); imperfectae vero, uti notavimus, aliquem tantum implicant interiorem impulsum vel inspirationem aliqualiter inconscientem.

Dantur item revelationes *conditionatae* et *absolutae*, prout earum adimpletio exitusque ab aliqua conditione pendeat an non. Revelationes comminatoriae (quae punitiones minitantur), quaeque praemia offerunt, conditionatae esse solent (2). Talis fuit, ex. ergo, prophetia Ionae de subvertenda Ninive et vaticinium S. Vincentii Ferrerii de proximitate ultimi iudicii.

271. De revelationum auctoritate. — Cum semel de authenticitate constat privatarum revelationum, eo quod signa praeferant inaequivoca divini interventus, eis assensum praebere et praecepta vel monita per eas adimplere tenentur non solum personae, quibus factae sunt, sed etiam illae ad quas mandata perferuntur, dummodo non probabiles tantum sed moraliter certae iudicentur. Ceteri autem, ad quos revelationes non deferuntur, non tenentur eas admittere vel eis fidem habere, licet eiusmodi manifestationes divinae ab ecclesiastica auctoritate fuerint approbatae: licet tamen omnibus pium assensum praebere, non quidem fidei divinae seu catholicae; neminem tamen decet talia spernere aut irridenda traducere. Haec est communis theologorum sententia de harum revelationum auctoritate, quam tenet Benedictus XIV in opere de Sanctorum canonizatione (3).

Ut autem praefatas revelationes supernaturales seu divinas liceat appellare, haec accurate perpendantur: 1° an aliquo evidenti miraculo confirmentur; vel saltem, deficiente miraculo, regulis discretionis spirituum omnia in eis consona eveniant; 2° an citra divinarum reve-

(1) *Summa Theol.*, II-II, q. CLXXI, a. 2.
(2) POULAIN, op. cit., c. XXI, n. 10.
(3) *De Serv. Dei beatific. et Sanct. canoniz.*, l. III, c. ultimo, n. 12 et seqq.

lationum terminos et obiecta contineantur: 3° an sensu proprio et sine vitiosa amplitudine interpretentur; 4° an post susceptas revelationes, suscipiens ipse vel alius eas adulteraverit.

Primo puncto in tractatum *de Discretione* relegato, de ceteris hic velut in sede propria pauca expendamus.

272. Revelationum amplitudo. — Licet privata revelatio signis divinitatis ornetur, iuxta discretionis normas, falsitate poterit laborare, si ultra terminos suos extendatur, quamvis sint aliqua ratione cum ipsius natura connexi. Evenit frequenter in eiusmodi revelationibus ut activitas intellectualis recipientis, eius naturalis scientia, praeiudicia quoque erroresque scientifici maxime conferant ad quorundam adiunctorum effictionem in imagine, episodio, loco vel sermone revelato; indubium tamen est istam naturalium elementorum congeriem, revelationi accrescentium, non agenti supernaturali revelanti esse tribuendam sed homini suscipienti, qui talibus eam exornavit: notum est enim huiusmodi revelationibus non ideo homines illustrari ut theologi fiant, vel historiographi vel astronomi vel litterati, multoque minus ut humanae curiositati mos geratur, sed ut boni sanctique efficiantur. Quae quidem permixtio humanae divinaeque actionis eo magis suspicanda est quo maior fuerit in suscipiente scientiae thesaurus, luxque revelatrix tenuior, uti evenit in simplici inspiratione, et in instinctu, qui dicitur propheticus.

Ex praecedenti doctrina, communiter hodie a doctis theologis admissa (1), et in ratione et experientia bene fundata, valent explicari contradictiones historicae, scientificae, imo et theologicae (in rebus disceptatis), quae in revelationibus Sanctorum secum collatis apparent; v. gr. tresne fuerint clavi crucifixionis Iesu Christi, iuxta Ven. Agredae testimonium, an quatuor

(1) Benedictus XIV, op. cit., l. III, c. ult., n. 16; Cardinalis Pitra, *Analecta Sacra Solesm.*, t. 8, super S. Hildegarda, p. 16; Poulain, op. cit., c. xxi, § 1.

prout refert S. Birgitta, vixeritne Virgo Sanctissima tres et sexaginta annos, ut affirmat haec eadem beata, an septuaginta, an duos supra septuaginta, iuxta alios. Inde quoque ducitur quam infirma quamque nulla sit argumentatio quam ex huiusmodi revelationibus aliqui quandoque conantur desumere ad aliquam historicam aut scientificam quaestionem dirimendam; ex. ergo, verba Ven. Mariae de Agreda (ordinis S. Francisci), pro quibusdam physicis systematibus vel pro Scotismo; visiones sanctae Catharinae de Ricciis (dominicanae) pro P. Savonarola, etc.

Perlucida est sane ad rem nostram S. Ioannis a Cruce doctrina, quae simul edocet ad revelationes eiusmodi personasque eis ditatas non velut consultoria et oracula esse adeundum ad quaestiones dirimendas, quas tradidit Dominus prudentiae atque disputationibus hominum: « Quaecumque humano consilio et industria peragi possunt, communiter Deus nec peragit nec docet, licet cum anima diu atque familiarissime conversetur » (1). In cuius confirmationem affert beatus prudens illud consilium, quod a socero suo Ietro suscepit Moyses quamvis Legislator Duxque populi Israël Deum ore ad os velut amicus amicum, adloquebatur (Exod. c. XVIII, 21).

273. Earum interpretatio. — Revelationes non semper apertae sunt et absolutae; nam, uti dictum est, quaedam sunt symbolicae et conditionatae, aliae quaedam ex vaga inspiratione et instinctu prophetico procedunt; unde facile erraret, qui earum sensum, nulla inquisitione facta, recto, absoluto et litterali modo interpretaretur. Non emittit Dominus sui luminis splendorem ut temere atque inconsulto pro cuiusque utilitate applicetur; interdum vero permisit ut revelationes falsae intelligerentur in poenam praesumptionis in eas irrepentis.

Contra hoc falsae interpretationis discrimen vel a subiecto suscipiente vel ab iis, ad quos notitia reve-

(1) *Subida del monte...*, l. II, c. XXII (edit. crit., c. XX).

lationis defertur, praemunit S. Ioannes a Cruce, hac praeclarissima doctrina : « Qui se ad loquutionis litteram vel ad formam imaginemque apprehensibilem visionis cinxerit non poterit non errare saepius, fietque ut postea intercludatur et confundatur, eo quod, earum apparentia ductus, spiritui locum non dederit in nuditate sensus » (1). Quaedam Veteris Testamenti exempla in suae doctrinae confirmationem affert.

Haec est ratio adversi eventus in quibusdam consiliis, arreptis a personis, quae divinis quidem ac veris sed praecipiti et litterali sensu interpretatis revelationibus sunt confisae ; qualis S. Alphonsi Rodriguez de felici maritima expeditione, quae adversa prorsus accidit (2), itemque revelationes factae in vinculis S. Ioannae de Arco, post expletam missionem principem ad quam Deus ipsam vocarat (3).

274. De immutationibus et commentariis. — Aliud est ipsa revelatio a Deo procedens, aliud vero commentaria ab eo facta, qui revelatione dignatus est, vel modus dicendi in suis scribendis notitiis, vel demum versiones, additiones et menda ab editoribus parum scrupulosis superaddita. Qui nesciat in eiusmodi libris vel scriptis alia ab aliis secernere, errare necesse est. Evenit enim plerumque ut revelationes momentaneae sint aut saltem brevissimae, persona autem videns cum eas scripto committere intendit, summa tantum

(1) *Subida del monte*, l. II, c. XIX (edit. crit., c. XVII).

(2) Expeditio alluditur facta in Maiorica insula anno 1608 in navigio « Vellina », quod a pirata Dánzer captum est. Significaverat Dominus beato Alphonso fore, si alumni Societatis Iesu navim conscenderent, ut *navigationem haberent auream ;* Superior verba haec interpretatus est quasi nuntium felicis eventus, at vero felix fuit quatenus *aurum in fornace tribulationis probatur:* malum ergo a Superiore evenit, qui suis noluit acquiescere prudentibus consiliariis ; Deus tamen in bonum omnium convertit. (*Vida de S. Alfonso Rodriguez*, a P. NONELL, c. XXXVII).

(3) Inter alia quae dicuntur illi revelata dum esset in vinculis, audivit B. Ioanna se *per magnam victoriam deliberatam iri,* quod quidem ipsa de victoria aliqua militari intellexerat, cum tamen Deus significare voluerit ipsam martyrii palmam esse promerituram. AYROLLES, *La vraie Jeanne d'Arc*, t. II, c. V, n. 4.

lineamenta retinens, studet eam adiunctis et comparationibus e proprio penu exornare. Ipsi inspirati scriptores hanc difficultatem fatentur, ut videre est in libro Revelationum S. Birgittae (1), atque in Vita Theresiae nostrae. Audiatur Doctrix eximia: « Aliud est Dominum ista elargiri, aliud vero intelligere qualis merces et gratia recipiatur, aliud tandem scire dicere et explicare qualiter sit » (2).

Uti exemplum immutationum ab editoribus factarum citantur *Dialogi* S. Catharinae Senensis, ubi intromissa est haec sententia (tunc temporis controversa) quod Beatissima Virgo a primo instanti suae Conceptionis non fuerit immaculata; item exstant eliminationes et menda addita operibus Ven. Mariae de Agreda (3), Catharinae Emmerich (4), et aliarum.

275. Practica documenta. — Vere practica sunt, quae diximus; iuvat autem caput istud quibusdam monitis claudere, ad spiritualem directionem animarum, quae revelationibus donantur, ex praeinserta doctrina et generalibus documentis depromptis (236). Haec nunc igitur admonenda supersunt: 1° ne propere iudicium de revelationibus feratur, nisi evidenter falsae appareant ex ridiculis et monstruosis concomitantibus, de iisque semper diffidatur, quae non procedant a personis, quae unionem saltem ecstaticam non sint assequutae, et vere probato spiritu censeantur; 2° nulla erga personam videntem admiratio significetur, neque a se per ludibrium aut dedignationem abiiciatur (5), sed paulatim corrigatur, si illusa appareat: 3° in omni revela-

(1) *Revelationes extravag.* (id est, *appendix*), c. XLIX.

(2) *Vida.* c. XVII, n. 4.

(3) Tandem in lucem prodiit editio originalis sub auspiciis Illmi D. Ozcoidi (1911-14); in ea tamen annotationes illustrantes desiderantur quibus anacronismi quidam explicarentur, et praeiudicia quaedam, in *Mistica Ciudad* inventa.

(4) In prima editione revelationum huius servae Dei asserebatur, inter alia, sanctum Iacobum, Maiorem dictum, in transitu adfuisse Bmae Virginis; in alia posteriori editione sublatus est error ille, nullo suppressionis allato argumento.

(5) *Subida del monte*, l. II, c. XXII.

tione elementa humana a divinis segregentur, suum cuique spiritui tribuendo, nec temere tota revelatio ideo commentitia iudicetur, quod pars ab ea separabilis, falsa apparuerit ; 4° effectus salutiferi revelationum et approbentur et foveantur, quin ideo ipsa revelatio statim approbetur [1], de ea vero omnino diffidatur, si nullos secum afferat fructus [2], aut anima nihil curet de illis ; 5° caveat moderator ne in disciplinam videntis se dedat eius nutibus obsequendo vel etiam eam consulendo ; 6° multo magis caveat ne illam in consultorium constituat vel communitatem ex revelationibus et oraculis moderetur : etenim licet de personis agatur dono prophetiae illustratis, non eo gaudent habitualiter ad libitum, sed per modum actus, cum Deo placet ; 7° confidentiam in Deo non adeo exaggerent animae istae (vel spirituales quaecumque), ut existiment Deum teneri sibi inspirare et in quibuslibet adesse, eo quod aliquando eius extraordinarium auxilium sint expertae [3] ; 8° denique semper et ubique anchorae tenendae sunt humilitatis atque timoris Domini [4].

[1] Haec agendi ratio Ecclesiae, quae v. gr. *Scapulare Rubrum* approbat, quin eo ipso uti veram approbet eius revelationem.
[2] S. Theresia, *Fundaciones*, c. viii.
[3] Vid. Poulain, op. cit., c. xxiii.
[4] S. Theresia, ibid.

PARS QUARTA

DE DISCRETIONE SPIRITUUM

276. Huius ultimae partis argumentum. — Cum in prologo opusculi nostri (8) partitionem instituimus, liquido patuit *Asceticam* et *Mysticam specialem* quasi corpus operis constituere, quibus praeludium ac velut caput fuit praemissus tractatus de *Mystica generali*. Restat nunc tractatio quae velut conclusio sit atque complementum ceterarum, quod quidem exsequitur postrema pars operis, quae *Discretio spirituum* inscribitur. In ipsa ex notionibus et conclusionibus, passim in praecedentibus sparsis, et nonnullis etiam, quas ipsa suppeditat, regulae prudentiae deducuntur, quarum ope licet perscrutari atque distinguere abscondita humani cordis incitamenta, ut aberrationes caveantur vel curentur, virtutesque promoveantur.

Argumentum igitur, ut patet, intra Asceticae et Mysticae terminos concretum, complexum tamen est atque utilissimum ; ut autem in praesenti Cursu aequo limite eius studium instituatur, in haec quatuor capita brevissima congessimus: 1° *notiones genericae* de discretione; 2° *regulae generales* ad discernendos spiritus; 3° *regulae speciales* pro casibus extraordinariis; 4° *regulae specialissimae* pro loquutionibus, visionibus et revelationibus.

Priora duo capita constituunt quod *Pars discretionis generalis* posset appellari, duo vero posteriora *Partem specialem* efformant.

CAP. I.

Notiones generales de discretione.

277. Definitio. — Discretio spirituum, in genere, est iudicium per quod homo causas impulsivas propriarum aut alienarum affectionum discernit; ut cognoscat num a bono an a malo principio seu spiritu procedant (1). Dividitur discretio in *acquisitam* et *infusam* pro natura luminis, quod intellectum illustrat, ad iudicandum. Si supernaturale sit et a Deo infusum gratiam constituit *gratis datam*, quae a beato Apostolo dicitur *discretio spirituum* (I Cor. XII, 10); si vero naturale sit, licet scientia theologica atque Sanctorum experientia illustratum, scientiam practicam parit acquisitae discretionis.

Quum hic de hac posteriori sit sermo, libet eam praecisis terminis definire: *Scientia theologico-practica, quae a principiis revelatis exorsa, atque ex particulari cognitione humanarum affectionum, regulas tradit ad prudenter iudicandum de causis, seu motivis, quae affectiones eas impellunt atque determinant.*

Principia, quae hanc illustrant scientiam, eadem sunt quae in Ascetica et Mystica; privata vero scientia humani cordis, quae materia est specialis huius divinae artis, nascitur ex observatione atque experientia propria, vel Magistrorum spiritus, vel mysticorum expertorum.

Igitur, ad discretionem spirituum assequendam, recurrendum est ad studium Asceticae et Mysticae, ad sensuum humani cordis accuratam excussionem, ad

(1) De hoc argumento conferantur praesertim: ALVAREZ DE PAZ, *De inquisit. pacis*, l. V, pars. 4; CARD. BONA, *Lapis Lydius*, seu *De discretione spirituum*, c. II; AUGUSTINUS DE S. ILDEPHONSO, *Teologia mistica* lib. IV, tr. II; SCHRAM, *Institutiones Theol. Myst.*, t. II, c. III; SCARAMELLI, *Discernimento degli spiriti*, Introd. etc.; LÓPEZ EZQUERRA, *Lucerna*, tr. IV, c. XV; VEN. P. SARNELLI, *Della Discrezione degli spiriti.*

probatorum magistrorum scripta, ad expertorum mysticorum doctrinam, ad ea denique media orationis atque virtutis, quae moderatorem instruere valent, qualem ars ista praestantissima et difficillima postulat.

278. Spiritus notio et divisio. — Attulimus alibi (16) spiritus definitionem, quae ordini morali et ascetico-mystico convenit; cum vero in hoc tractatu de discretione pro causa determinante potius quam pro effectibus sumatur illarum cordis affectionum, ita potest definiri: *Agens quod principaliter influit in ideas atque affectus in aliqua persona vel in actibus personae alicuius dominantia.* Ita infertur ex notione a Bona Cardinali allata: « Nomine spiritus non ipsos afflatus et inspirationes sed earum auctores intelligimus; qua ratione, *spiritus bonus, spiritus nequam, spiritus hominis*, qui est in homine, saepe in Scripturis nominatur » (1).

Hoc sensu accepta vox spiritus, triplex dignoscitur iuxta doctum Cardinalem aliosque emeritos scriptores, scilicet: *divinus*, *humanus* et *diabolicus*, in quos bene reducuntur sex illi, quos Doctor Mellifluus (2) enumerat his nominibus distinctos, *divinus*, *angelicus*, *diabolicus*, *humanus*, *carnalis*, atque *mundanus*. Hodierna triplex partitio iam ab Hugone de S. Victore (3) signate fuerat proposita, cum ita cuiusque naturam graphice descripsit: « Spiritus Dei et spiritus diaboli immobiles sunt, alter in bono, alter in malo; spiritus hominis nunc huc, nunc illuc flectitur ». Propter hanc spiritus humani conditionem, et eo quod daemon pravis utitur inclinationibus hominis ad eum impugnandum, ita ut saepe spiritus humanus atque diabolicus confundantur, solet spiritus practice in duos distingui et sunt: *spiritus bonus* et *spiritus nequam*. Haec subaudiemus in hoc brevissimo studio nostro, nisi aliud notetur.

279. De actione spirituum. — Ii spiritus operantur non quidem humanam libertatem cogentes, sed vo-

(1) Op. cit., c. III, n. 5.
(2) *Sermo* 33, de diversis.
(3) *Miscellanea*, l. I, tit. 120.

luntatem ad proprios cuiusque fines sollicitantes. Actio spiritus divini *inspiratio* dici solet; actio spiritus diaboli, *instigatio;* actio vero spiritus humani, *inclinatio;* quae quidem naturalis et bona, vel inordinata esse potest.

Spiritus divinus agit in nobis inspirante Spiritu Sancto per se vel per ministerium angelorum; quod quidem perficit vel sua gratia suaviter pertrahendo, vel conscientiae remorsibus reprehendendo, vel timore poenarum coërcendo. Quandoque ordinario modo operatur, iuxta communem Providentiam, quandoque vero extraordinario modo per superiorem influxum Donorum Spiritus Sancti. « Deus paulatim ab imo ad summum, ab imperfecto ad perfectum perducit: soletque aetatis ac personarum habere rationem; atque aliam seni, aliam adolescenti, aliam incipientibus, aliam perfectis sapientiam infundit » (1). Semper suavis apparet, virtutem facilem reddendo, quamvis interdum primo timorem atque in peccatoribus remorsus excitet (2). Nec dicto opus est, numquam ad malum vel ad bonum apparens pertrahit.

Spiritus diabolicus, semper ad malum sollicitat, sed crebro se transfigurat in angelum lucis ut incautos decipiat (II Cor. XI, 14); in fine tamen suas perversas intentiones aperit. Utitur ad instigandum phantasia ceterisque potentiis sensitivis, quas perturbat atque subvertit, bonaque sensibilia, exaggerata necessitate, proponit, aut mala quidem sed specie boni fucata, etc. Nullum ordinem vel moderamen servat in operando, tamque suscitat extemplo intempestos fervores.et indiscretas macerationes, quam virtutis difficultates exaggerat; ad desperationem atque habenas passionibus laxandas excitat. Ut plurimum, tumultuanter, perturbate et violenter operatur (3); a perversis autem remorsus abigit, eosque soporat oblectamentis.

Spiritus humanus ad delicias inclinat, sensibus et amori proprio gerere morem studet; egolatricus est,

(1) Bona, op. cit., c. VI, n. 3.

(2) S. Ignatius, *Ejercicios, Reglas para conocer las varias mociones,* tit. 1, reg. 1ª et 2ª.

(3) Bona, loc. cit., et c. IV.

immortificatus, auctoritatis impatiens ; cum sensibili semper suavitate et lenitate operatur ; numquam sibi, quamvis ceteris molestissimus, vim curat inferre. Discrimina inter humanum divinumque spiritum eadem fere sunt, quae inter naturam et gratiam, mire decantata ab auctore Imitationis Christi (1), quaeque ex dictis emanant.

Quamvis humanus spiritus, prout descriptus est, intra categoriam *spiritus nequam* includitur, nam vere Satanas eo abutitur ad bonum spiritum profligandum ; sed eo ab invicem differunt, quod diabolicus violento, peregrino et exaggerato more procedit, etiam cum in iis versatur in quibus humanus spiritus exercetur (2).

280. Pugna et permixtio spirituum. — Quotidiana experientia indubitanter testatur certamen sanguinis inter utrumque spiritum initum, cuius etiam testis fidelis est Apostolus Paulus, dicens : *Video autem aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meae* (Rom. VII, 23) ; *Quoniam sapientia carnis inimica est Deo* (Ibid., VIII, 7) ; item cum loquitur de pugna, quam diabolus accendit (Ephes. VI, 12) sive palam, sive occulte (II Cor. XI, 3). Atque beatus Ioannes Apostolus ita nos hortatur : *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus si ex Deo sint* (I Ioan. IV, 1). Quam tamen oppugnationem ille tantum communiter persentit, qui de famulatu satagit divino : *Fili, accedens ad servitutem Dei..., praepara animam tuam ad tentationem* (Eccli. II, 1).

Maxima autem in hoc discretionis negotio difficultas inde oritur, quod crebrissime atque in uno eodem actu spiritus permiscentur, nitente spiritu nequam aliquam in bonis operibus partem sibi vindicare ; totaque prudentis moderatoris sagacitas in eo est, ut propria cuiusque spiritus distinguat atque secernat, uti iam Dominus per Prophetam admonuerat: *Si separaveris pretiosum a vili, quasi os meum eris* (Ierem. XV, 19), nempe ut

(1) KEMPIS, l. III, c. LIV.
(2) SCARAMELLI, op. cit., c. II et XV ; BONA, op. cit., c. XI.

Propheta meus. Peropportune incidit clarissimum testimonium Cardinalis Bona [1]: « Totius doctrinae de *Discretione spirituum* caput est ac veluti fundamentum, quo uno huius lucubrationis structura nititur, non solum bonos instinctus a malis distinguere, sed dubios quoque et incertos dignoscere, et unamquamque motionem illi, a quo provenit, spiritui assignare. Celebris est Salomonis sententia: *Est via, quae videtur homini iusta; novissima autem eius deducunt ad mortem* » (Prov. XIV, 12).

Id, sane, eo quod spiritus nequam, sicut serpens in paradiso, ex divi Pauli sententia (II Cor. XI, 3), conatur hominem decipere, motionem boni spiritus imitando et adulterando; unde oritur *illusio spiritualis*, quae, iuxta dictum Sapientis, deducit ad mortem. Optime quidem definivit Iesus Christus diabolum, illum *patrem mendacii* appellans (Ioan. VIII, 44).

281. De illusione. — Nomine *illusionis* in Ascetica et Mystica venit deceptio quaelibet, cui in spiritualibus subest animus magis aut minus inscienter. Id est, quaedam persuasio aliquid malum spirituale esse bonum, vel e contra, aliquid bonum esse malum [2]. Haec deceptio, si ex ignorantia omnino invincibili proveniat, dicitur *illusio materialis*; communiter autem censetur aliqualiter voluntaria saltem ex levi negligentia, ideoque aliquo gradu culpabilitatis innodata. Nomine *allucinationis* distinguitur illusio, quae impressiones mere imaginarias externa reputat entia realia. Anima, quae frequenter illusionibus subest, vel aliqua crebrius laborat, dicitur *spiritus illusus*; si vero sponte decipi vel decipere velit, *deceptrix* iure vocatur vel *dolosus spiritus*.

Efferunt Scripturae Sacrae necnon Ecclesiasticae Historiae exempla complura spirituum illusorum, quorum aliqua adferemus, cum *causas* continuo indica-

[1] Op. cit., c. VII, n. 1.

[2] SCHRAM, op. cit., t. II, c. III, § 458. Vid. B. IOANNES DE AVILA, *Audi filia*, c. L-LV; Ven. MARIA A IESU DE AGREDA, *Escala para la perfección*, § 3.

bimus, *effectus* atque *remedia* generalia illusionum in personis, quae sunt aut videntur spirituales (1).

Causae communiores sunt : 1° amor sui, qui splendere, caput extollere, atque effingere gestit, ut illusus Simon Magus (Act. VIII, 19) ; 2° defectus examinis propriaeque cognitionis, qua laboraverant filii Zebedaei, quos Dominus increpavit dicens : *Nescitis cuius spiritus estis* (Luc. IX, 55) ; 3° praeceps iudicium, vivida nimis phantasia, debilitas organica, necnon affectuum concitatio, seu obcaecatio, sicut pharisaei, quos admonuit Christus Iesus : *Nolite iudicare secundum faciem* (Ioan. c. VII, 24) ; 4° defectus consilii, a prudentibus perquirere renuendo, sicut Iephte, (Iudic. XI, 30, 31) et Saul (I Reg. XIV, 28) in votis nuncupandis et consiliis sub religionis specie suscipiendis ; 5° gratiarum extraordinariarum appetentia, quae debiles excaecat, ut se existiment aliquo iure potiri, nec ibi latens periculum nosse valeant, ut evenit Iacobo et Ioanni apostolis, primas in regno appetentibus ; 6° seductio fallacium devotorum, qui amicitiae vel misericordiae specie decipiunt, sicut deceptus est propheta ille in diebus Ieroboam ut contra praeceptum Domini manducaret (III Reg. XIII, *v.* 14-24) ; 7° denique, mille daemonis nocendi artes, qui omnibus praefatis causis abutitur, quique ad ambitiosos, inanis gloriae appetentes, sese ipsos iactantes facilius ingreditur magis ac magis decipiendos, sicut Evam seduxit, aliosque innumeros (2) ; ita ut vel ipsa moderatoris aut moderati praesumptio, qui sibi subplaudant spiritus dignoscere et eorum discretionem et modera-

(1) SCHRAM. ibid., § 459 et seq. Consulatur item P. FABER, *Spiritual Conferences*, super illusionibus ; item RIBET, *La Mystique divine, distinguée des contrefaçons diaboliques et des analogies humaines*, t. IV, c. VI.

(2) In hoc illusorum et diabolicarum deceptionum genere celeberrima exstitit Cordubae saeculo XVI Magdalena de la Cruz, ordinis S. Francisci, ab Inquisitione demum damnata velut nocentissima deceptrix, convicta tandem ac poenitens. In ea iam a quinto aetatis anno ex actione diabolica (cuius ipsa non poterat non esse conscia sibi, a tertio decimo saltem aetatis anno) apparuerunt fucata omnia phaenomena ecstaseos, revelationum, stigmatum, etc., quae superius descripsimus. Vid. MENENDEZ Y PELAYO, *Historia de los heterodoxos*, t. II, l. V, c. I.

men callere, in causa saepe est ut uterque diabolici illusionibus sint obnoxii (1).

Effectus illusionum nequeunt sub numero comprehendi ; qui tamen eas uti plurimum comitantur, easque revera tales denuntiant, sub hisce quinque comprehenduntur : 1° caecitatem causant mentis, uti de pharisaei affirmavit Iesus Christus : *Sinite illos : caeci sunt duces caecorum* (Matth. XV, 14) ; 2° iudicii tenacem obstinatosque reddunt illusos, uti in omnibus haeresiarchis apparet ; 3° nimiam in homine sui confidentiam generant, quae causa est incredibilis audaciae, sesequi periculosis occasionibus exponendi, unde adversi casus oriuntur, testibus Ioseph et Azaria sacerdotibus, Iudae Machabaei aemulis, sed illusis, et ideo profligatis (I Machab. V, 56-67) ; 4° spiritus creant duplices, hypocritas, inanes, atque demum deperditos haeresum fautores, prout evenit *illuminatis* XVI saeculi, quietistis necnon omnis aetatis pseudo-mysticis (2).

Huius mali *remedia* remediis concordant cuiuslibet vitiati spiritus (289 et seq.) ; sed ex dictis liquido patet eo maxime referenda esse, ut praedictae causae tollantur per oppositas virtutes, humilitatem praecipue orationem et obedientiam prudenti moderatori. Ita pluries edocet mystica Doctrix : « Persona oratioi dedita, quae cum doctis agat, si nolit se ipsa decipere non a daemoniorum decipietur illusionibus, etenim valde, credo, pertimescunt litteras cum humilitate, nc runtque se mox esse prodeundos, atque devictos ab turos » (3). « Nihil timendum, si coram divina Maiestat in veritate procedatur et pura conscientia » (4).

(1) SARNELLI, *Della discrezione*, p. III, c. IV, § 4. — S. Catharin Bononiensis annos quinque eiusmodi illusiones perferre coact est (apparebat ei daemon sub imagine Iesu et Mariae). decipient se ipsa, eo quod praesumptionem aliquam in rebus discretion admiserit.

(2) V. SCHRAM, op. cit., t. II, c. III, § 473.

(3) *Vida*, c. XIII, n. 12.

(4) Ibid., c. XXVI, n. 1 et 4.

CAP. II.

Discretionis et medicationis regulae generales.

282. Huius capitis ratio. — A notionibus procedendo superiori capite explicatis, atque minutatim pensando quemlibet vitae spiritualis actum, in quem aliqua possit irrepere fraudatio spiritus eius, quo debeat informari, haud difficile est normas discretionis educere, ut mox videre est. Istud, igitur, studium, quaedam spiritualis anatomia futura est suspectae actionis, eam in se ipsa, in causis et in effectibus expendendo sub lumine principiorum, quae vel statuimus vel mox statuemus e divinis Scripturis excerptorum.

Quoniam vero discretio inter bonum malumque spiritum ad huius remotionem ordinatur, aequum erit ut comperto vitio in anima latente, huic efficaciter mederi studeatur, ideoque media excogitentur huius finis obtinendi, quae quidem media tunc opportuniora adhibebuntur, cum, infirmitatibus inspectis, excogitabuntur.

Inde sponte fluit huius capitis ratio eiusque in duos paragraphos partitio : *normarum*, scilicet, *discretionis*, atque *medicationis* seu reformationis spirituum.

§ 1. — Normae generales discretionis.

283. Fundamenta. — Veluti basim rationabilem discretionis subiecta fundamenta superius stravimus : exsistentiam diversorum spirituum voluntatem nostram sollicitantium ; antithesim inter ipsos ; diversum cuiusque operandi modum ; artem subdolam et occultam qua spiritus nequam bono admiscetur, sicut inter triticum zizania (Matt. XIII, 25) ; possibilitatem in uno eodemque actu et tempore secernendi, quod cuiusque spiritus proprium est.

Ex hoc postremo fundamento concluditur, cui debea in praxi applicari illud philosophiae moralis principium in re nostra frequentissimum : *Bonum ex integra causa malum ex quocumque defectu.* Si defectus ita sit ab actione separabilis ut unitatem substantialem non affi ciat, non tota actio damnanda est, quasi a malo spiritu procedat ; sed, uti diximus cum Cardinali Bona, suum est cuique spiritui tribuendum. Etiam cum tritico ad mixta zizania non valuit omnino sata corrumpere.

Hac basi posita, velut principia directiva discretionis ea novimus, quae in hanc rem ipse edixerat Christus Iesus, aeternae veritatis Magister indefectibilis. Emine autem inter omnia regula illa, applicari facillima quam saepius repetebat : *Ex fructibus eorum cognoscetis eos* (Matth. VII, 16) ; id est, effectus patefacient quinam spiritus in suspectam actionem influxerit. Quod si no limus eo usque spectare donec zizaniae fructus matu rescant, ex quibus stirps dignoscatur (Matth. XIII, 26) alias sententias habemus aeque securas et infallibiles Illae sufficiant quae edocent spiritum nequam Ecclesiae magisterio superiorumque praeceptis inobsequentem esse, bonum autem spiritum Christi cruce onusti ve stigia premere, nec missa facere opera imperata vel quae sunt charitatis erga proximum propter Deum (1) : *Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (Matth. XVIII, 17) ; *Omnis spiritus, qu solvit Iesum, ex Deo non est ; et hic est antichristus.. Qui novit Deum, audit nos ; qui non est ex Deo no audit nos : in hoc cognovimus spiritum veritatis et spi ritum erroris : Charissimi, diligamus nos invicem, quic charitas ex Deo est* (I Ioan. IV). Spiritus autem cha ritatis in hoc dignoscitur, iuxta Paulum : *Charitas patiens est, benigna est... non aemulatur* (I Cor. XIII, 4)

Iam vero, ut haec principia actui suspecto applicen tur cuius spiritus discernendus erit, ista ratio tenenda conditiones, scilicet, perpendere *obiecti, finis*, et *adiun*

(1) Signa quae Iesus Christus proposuit S. Margaritae de Ala coque his principiis apprime respondent. *Vie* et *œuvres* t. 1°, *Con temporaines* pag. 17 et seq.

ctorum actus ipsius, contrarietatemque notare boni atque mali spiritus in quolibet eorum. Ecce universalis methodus discernendi, ab auctoribus tradita, quam insequentibus numeris exponere suscipiemus (1).

284. De obiecto. — Ante omnia in quolibet humano actu sive interiori sive exteriori eius obiectum inspiciendum est, ipse enim dat formam et in specie moralitatis actum constituit, uti philosophi docent. Audiatur Cardinalis Bona: « Si ad id quod bonum, quod sanctum, quod perfectum est, incitamur, ille spiritus est, de quo psallit Propheta: *Spiritus tuus bonus deducet me in terram rectam* (Ps. CXLII). Si vero movemur ad saeculi vanitatem, ad illecebras carnis, ad inutilia desideria, certum est spiritum malum esse, qui loquitur » (2). Meminerimus autem obiectum malum esse posse vel lege naturali vel legitima lege humana vel ex prohibitione Superioris: quocumque modo tale sit, illius acceptatio malum spiritum arguit. Nulla in hoc difficultas; unde, quantumvis bonum esset in se sacrificium Saul, propter inobedientiam tamen damnationem atque repulsam meruit (I Reg. XIII, 13).

285. De fine seu motivo. — Absque dubio etiam maligno spiritui assignandum est opus obiective bonum, si finis ab agente intentatus pravus sit, ait enim Christus: *Lucerna corporis tui est oculus tuus. Si oculus tuus fuerit simplex, totum corpus tuum lucidum erit. Si autem oculus tuus fuerit nequam, totum corpus tuum tenebrosum erit* (Matth. VI, 22 et 23). Quem quidem oculum S. Gregorius Magnus (3) aliique Patres rectitudinem intentionis interpretantur. Intentio vero, quae actus cuiusque informat, ex obiecto dignoscitur quod intendit, atque ex agendi ratione cum subtrahitur incitamentum illud inanis gloriae, terrenae oblectationis, etc.; apertius tamen apparet, cum dolet

(1) Vid. SAUDREAU, *Les Degrès...*, l. III, p. II, c. V.
(2) Op. cit., c. VI, n. 1.
(3) *Moralium* l. XXXVIII, c. III.

homo subtractionem eorum, quae sibi humano stimulo erant ad operandum, ut monet S. Augustinus (1).

286. Tempus et opportunitas. — Vidimus superius (279) bonum spiritum aetatum temporumque ordinem et convenientiam servare, nullaque extemporaria aut extra opportunitatem facienda inspirare, contra ac spiritus nequam, qui inopportunus est, inaequalis et indiscretus. Pariter, ut observat Bona Cardinalis, spiritus boni est exercitia inspirare temporibus congruentiora, iuxta Ecclesiae morem atque disciplinam, secus ac malus spiritus: « Nullum vero delectum habere fraus est et deceptio maligni spiritus » (2). Dixerat Sapiens: *Omnia tempus habent* (Eccle. VIII, 6). Quod si casus vere extraordinarii evenirent, extraordinariis quoque signis discernas, ut in sequenti capite dicetur.

Iterum, cum a mane ad vesperum facile mutetur moralis status hominis, dicente Scriptura: *A mane usque ad vesperam immutabitur tempus* (Eccli. XVIII, vers. 26), aequum est in huiusmodi mutationibus spiritum nequam, utpote versatilem, suspicemur; Deus enim non immutatur. Igitur pensanda sunt tempus et occasio supervenientis motionis spiritualis, ut dignoscatur a quo spiritu procedat. Si tempore tristitiae, tetrici humoris, sensibilis exaltationis, violenti affectus, organicae vel mentalis fatigationis, etc., motio interior sentiatur, aut novum consilium suscipiatur, verendum est ne totum ab actione maligni spiritus procedat. Exemplum exstat praeclarum mutationum et consiliorum huiuscemodi a spiritu nequam infelix Saul rex, post electum David a Domino in regni successionem (I Reg. XVIII-XXIV). Contra vero, spiritus rectus, non consuevit efficaciter inspirare nisi tempore tranquillitatis et pacis: *Fructus autem iustitiae in pace seminantur* (Iac. III, 18).

(1) *De sermone Dom. in monte*, l. II, c. XII. — Vide lect. III, feriae IV cinerum (Brev. Rom.).

(2) Op. cit., c. VIII, n. XI.

287. Modus. — Boni spiritus mos est suaviter, quiete et placide in animam rectam influere ; nequam autem spiritus turbulentus ingreditur, agitatus, incompositus, violentus. Attamen primus sensus animi, visitante Domino, timoris esse solet atque pavoris, absque perturbatione tamen, uti manifestum fuit in ingressibus S. Gabrielis Archangeli ad Zachariam et B.mam Virginem ; pavor tamen ille mox in admirabilem pacem confidentiamque mutatur (1). Item cum Dominus visitat peccatores, ut Saulum et Augustinum, ut ad se convertat, solet in primis magnum iniicere timorem, qui mox, si ipsi se dedant, in insolitam vertitur pacem atque laetitiam (2). E contra vero, diabolus interdum se sistit quodam sensibili gaudio circumdatus, qui protinus in agitationem amaritudinemque degenerat, praesertim si de piis animabus agatur (3).

Exposita doctrina valde consonat prudentissimae illi S. Ignatii regulae : « In iis qui de bono in melius procedunt bonus Angelus animum pulsat dulciter, suaviter ac leviter, velut aquae gutta spongiam penetrans; malus autem acute pulsat et inquietudinem sonans, sicut aquae gutta super petram ; eos autem, qui de malo in peius procedunt, spiritus illi pulsant contrario modo » (4).

288. Effectus. — Effectus, quos diversi spiritus suis motibus et visitationibus causant in anima, fructus illi sunt ex quibus arbor dignoscitur. A bono semper spiritu mens illustratur, recreatur, sublevatur, pacificatur, fitque docilis, crucis studiosa, sed humilis praecipue, amans Deum atque proximum ; malus autem spiritus semper aridam relinquit, divagantem, turbatam petulantem. Verum effectus isti maligni spiritus interdum initio sunt imperceptibiles ; mox vero sensim atque

(1) Poulain, *Grâces d' oraison*, c. xxii, n. 49; S. Theresia, *Vida*, c. xxviii, n. 1, et 2.
(2) Bona, op. cit., c. viii n. 3.
(3) Poulain, loc. cit. n. 50.
(4) *Ejercicios espirituales : Reglas para conocer las varias mociones*, tit. 2, septima.

gradatim ad vanitatem, ad terrenorum dilectionem, ad tenacitatem iudicii perducit.

Innumera sunt Sanctorum scriptorumque de discretione testimonia, quibus prae memorati effectus exponuntur. Sufficiat ex omnibus praeclarum hoc seraphicae Matris Theresiae a Iesu: « Cum a daemone est (influxus), omnia videntur bona abscondi atque ab anima fugere, adeo aspera manet atque perturbata, et sine ullo bono effectu; licet enim desideria excitare videatur, remissiora sunt; humilitas, quam post se relinquit, fucata est, turbata atque insuavis. Videtur mihi eum, qui bonum spiritum expertus est, intellecturum » (1). Accedat et hoc S. Ignatii testimonium: « Maxime nobis notandus erit cogitationum discursus; quod si et principium et medium et finis bona sint tota, in omne bonum adducentia, signa sunt Angeli boni; si vero discursus cogitationum, quas suggerit, in aliquid malum, aut dissipans aut minus bonum terminatur quam quod anima prius proposuerat, aut animum frangit et conturbat, pacem auferens, qua prius utebatur, aperte a malo spiritu procedit » (2).

§ 2. — Normae generales curationis.

289. Rei adspectus. — Nullo modo aggredimur nunc medicationum seriem instituere vel medicamenta indicare cuivis animorum infirmitati magis propria; de iis enim, quod ad propositum attinet operis nostri, dictum est cum de vitiis capitalibus, de ariditate, de tentationibus, de scrupulis, etc. occurrit sermo; pari modo, cum visionum, loquutionum ac revelationum natura expenderetur, media indicavimus ad vitandas vel curandas illusiones, quibus subiacent animae in rebus illis. Quod ad praesens attinet, id unum contendit opera nostra ut quasi speculatoria quaedam instituamus medico spirituali, unde liceat cursum regere formatio-

(1) *Vida*, c. 25, n. 7.
(2) *Reglas de...*, tit. 2, quinta.

nis animi, vel vitiatam iam formationem reformare clientis, cum semel ex praecedentibus discretionis regulis latentia mala perspexerit animae, a divina Providentia suae paternae sollicitudini commissae.

Semel igitur cognita spirituali clientis infirmitate, tria sunt capita unde inspectare debet moderator ut medici munia recte exsequatur, videlicet: 1° aegrotantis intima cognitio; 2° medicamentorum selectio; 3° methodum curationis instituere: quae omnia numeris insequentibus breviter expenduntur. Semper autem et in omnibus prae oculis habendum est salutare monitum P. Claudii Aquaviva de hac re, quamvis pro qualibet spirituali necessitate sit commune: ut, nempe, cum ab uno Deo sit speranda salus, tam aegroto quam medico et etiam aliis ad orationem sit confugiendum, plus spei in ipsa quam in propria diligentia et industria habendo (1).

290. Aegrotantis cognitio. — Quoniam non omnes pari ratione regendi sunt, privatae cuiusque infirmi conditiones et complexio perpendenda sunt, indoles praesertim, cultura, institutio, gradusque virtutis, ut ratio curationis solertius instituatur. Si vulgaris institutionis rusticaeque sit indolis multa erunt ei dissimulanda, quae saepius morales defectus non sunt, sed educationis effectus. Si ingenio valde acutus, aut suspicax fuerit, pensanda sunt valde verba neque effuse expendenda. Si tardus fuerit, multumque in gerendis moratus, non concitandus est nimis, multoque minus eius tarditati mos erit gerendus; sicut ne nimia tarditate erit utendum cum praecipitibus. Denique moderator debet se

(1) Vid. opusculum P. Aquaviva, *Industriae ad curandos animi morbos*, c. I. et II; item illud Ven. P. Lancitii, *De conditionibus boni superioris*; item P. Schram, op. cit., tr. II, c. III, § 474 et seq. Utiliter etiam consuli possunt: Descuret, *La Medicine des passions*; Antonelli, *Medicina pastoralis*: Raymond, *Le Guide des nerveux*; Eymieu, *Le gouvernement de soi même. — Essai de psychologie practique. L'obsession et le scrupule*; P. Janet, *Les nevroses*; Toulemonde, *Les nerveux, comment les reconnaître, comment les corriger*, etc.

conditioni et ingenio moderati aptari, paulatim ab eo imperfectiones auferendo et numquam de infirmi salute desperando (**35**, **5** et **6**).

Si de subiecto ageretur fallaci vel duplici, res certe non rara, nam Ieremia teste : *Pravum est cor omnium et inscrutabile* (Ierem. XVII, 9), tentandus erit spiritus eius moderatis humiliationibus, quaestionibus accidentalibus quasi negligenter propositis ; item suppositionibus eorum, quae latitare coniiciuntur, sine vacillatione peractis ; denique dicta et facta eius notando in repentinis aliisque adiunctis, in quibus, attentione alio conversa, difficilior est fictio atque simulata modestia.

Si spiritus fuerit illusus, curet magister discipulo significare illum se apprime callere, deque rebus eius esse sollicitum : illum minime irrideat, sed illusiones paulatim dissipare contendat, cum semel eorum originem aperuerit, ut funditus valeat eradicare. Poterit illusio causis physicis obedire, debilitati organicae, v. gr., defectui somni et similibus, tumque corpori quoque medendum est dormitione ceterisque hygienicis praescriptionibus. Si vero infirmitas ex iis esset, quae a nervorum systematis inordinatione procedunt, quae hodie *neurasthenia* dicitur (defectus nervosae potentialitatis), vel *hysterismus* (excessus nervosae potentiae), *psychasthenia* seu psychologica debilitas (perturbatio nervosa, quae intellectus impedit firmum iudicium, voluntatemque privat physico imperio), *obsessio*, *allucinatio*, *impulsiones*, *abulia*, seu carentia virtutis in voluntate (quae signa sunt vel effectus psychasteniae) etc., medici sunt adeundi [1] ; semper tamen curandum est ut inaequales huiusmodi homines a similibus sociis separentur, consocientur vero personis aeque moratis aliqua morali auctoritate in ipsos pollentibus, a potu se abstineant inebrianti, cibo utantur lacteo-vegetali et piscibus forsan mixto, somno fruantur sufficienti et corporalibus exercitationibus non violentis.

(1) Vid. BARBENS, *El cerebro*, etc., pars 3ª.

291. Medicamina. — De medicamentis agimus moralibus (1). Caustica vel dolorem exacerbantia medicamenta non sunt adhibenda, quoties mitia atque roborantia eadem virtute polleant pro aegrotantium conditionibus. Non semper igni ferroque, sed neque balsamis odoriferis utendum, sed quod efficacius simul et mitius infirmo sit, erit adhibendum. Meliora sunt semper praevenientia medicamina, quam quae vim curativam habent : *Ante languorem adhibe medicinam* (Eccli. XVIII, 20). Neque de specificis atque fictis rarisque medicinis cogitandum, dum remedia ordinaria atque communia efficaciter applicanda curemus ; nam, ut verbis dicam P. Aquaviva, herbae adhibendae sunt potius « quae nascuntur in domesticis hortis » (2).

Haec medicamina sunto opportuna eruditio, admonitio suavis, prudens correctio, amabilis reprehensio, poenitentia salutaris, moderata occupatio, remedia, uno verbo, quae pro cuiusque animae vitiis et infirmitatibus in Ascetica et Mystica proposita sunt, maxime cum de activa purgatione animorum ageretur (112-150).

292. Curationis methodus. — Licet aegri suam quisque medicationem postulant sicut dictum est, aliqua tamen tenenda semper est generalis ratio curationis, ut omnia secunde cedant. Ratio ista ex sequentibus principiis instituenda est : 1° ibi applicanda est medicina ubi malum exsistit, parum enim ad rem praestat in curandis exterioribus minusque gravibus distineri, cum malum altius egerit radices ; 2° opportunum tempus

(1) Non tamen praetermittenda sunt remedia prophylactica, cum de spiritualibus agitur infirmitatibus, quae vel oriuntur vel foventur physicis dispositionibus ; ad corporalem ergo medicum recurrendum erit, si de casibus gravibus agatur, in levioribus autem et patientis erit et moderantis remedia cum discretione adhibere. De physicis remediis, quae pro talibus infirmitatibus physico-moralibus in promptu esse possunt, aliquid in praecedenti numero et in aliis huius operis locis notatum est (118, 120, 131), inque maiorem rei abundantiam notati sunt libri ubi copiosius et infirmitates exponuntur et remedia proponuntur magis obvia et efficaciora.

(2) AQUAVIVA, *Industriae*... loc. cit.

spectetur adhibendi medicamenta, si praesertim de correctionibus agatur, non enim semper aeque paratus est animus infirmi ad suscipiendas, neque item medici ad applicandas ; 3° quoniam vero ista dilatio pigritiae interdum suppeditatur aut nimio respectui in medico, animo insideat non decere medicationem procrastinare, cum inde malum ingravescat ; 4° ne conemur uno die mederi, quae annos fortasse bene multos exigant ad curationem, sed medicina ponderatis scrupulis subministranda est, eo quidem levioribus, quo minor erit in suscipiente dispositio ; 5° medicationis methodus numquam deseratur, licet inutilis appareat, nisi quando utilior alia sufficienda sit, nec ab incepto desistatur quibuslibet difficultatibus interiectis ; suo tempore fructus apparebit : *Et fructum afferunt in patientia* (Luc. VIII, 15).

CAP. III.

Regulae speciales pro casibus extraordinariis.

293. Huius capitis ratio. — Licet regulae discretionis in praecedenti capite propositae ad omnes casus ascetico-mysticos utiles sint, dantur tamen casus adeo speciales atque extraordinarii, qui ex praelibatis principiis non facile solvuntur, sed accuratius studium postulant ex novis observationibus et regulis, quarum ope recte discerni valeant atque expediri. Bona Cardinalis de his disseruit, quos ipse *instinctus* nominat *obscuros* et *suspectos* (1) ; de eis quoque Scaramelli (2) sub nomine *spiritus dubii ;* censemus autem eos proprius inscribi *casus extraordinarii ;* dubia enim et obscura atque confusa, si recte loquimur, omnia illa sunt, ad quae studium Discretionis spirituum instituitur ; discernere namque praesupponit elementa confusa, quae distinguenda sunt et separanda.

(1) *Lapis Lydius* seu *De discretione*, c. VII.
(2) *Discernimento*, c. X.

Huius ergo capitis opera erit in praefatis casibus, quid bono quid malo spiritui assignandum sit perscrutari. Licet tamen plurimi sint, aequum arbitramur sub hisce sex titulis seu categoriis comprehendere, videlicet; *mutationes, singularitates, heroicae actiones, sublimia munera, magnae consolationes, dona mystica.*

294. Status mutationes. — Cum Apostolus dixerit: *Unusquisque in qua vocatione vocatus est in ea permaneat* (I Cor. VII, 20), cumque ex se animi levitatem arguat mutatio status, res quidem gravissimi momenti, liquet vel solam propositionem de mutando statu veluti suspectam habendam esse, ne a spiritu nequam vel a naturali inconstantia suggeratur. Sed indubium quoque est casus incidisse verae motionis divinae ad statum mutandum, et alium altiorem statum vel vitae genus magis perfectum instituendum, ut in vita fertur S. Michaëlis a Sanctis, S. Theresiae, et aliorum.

Ut in his casibus iuste spiritus discernatur, expendendae sunt rationes seu motiva a subiecto proposita, perquirendo num vere extraordinaria sint atque diuturna, praecipue vero si miraculis fulciantur; his solum rationibus liceret veluti a bono spiritu afflata existimare consilia de unius ad alium Institutum religiosum transitu, de statu matrimoniali pro sacerdotio vel religioso statu commutando, de amplectendo vitae genere haud indubie meliori, quam praesens, aut certe magis accommodato personae poenitentis. Item adducenda sunt motiva et argumenta valida ad immutandos mores ususque communitatum, paroeciarum etc., modo ne agatur de corruptelis et abusibus magni momenti abscindendis.

295. Singularitates. — Constans fuit axioma apud antiquos monachos, ait Cassianus (1), omnem in vita communi singularitatem, velut indicium vanitatis magis quam verae virtutis, improbare. Singularitatis amatores, illud pharisaei dictum repetere tentant: *Non sum sicut ceteri homines* (Luc. XVIII, 11). Constat vero ex

(1) *De instit. coenobit.*, lib. I, c. III.

Scripturis Sacris, Sanctorumque gestis, Dominum aliquando singularia quaedam atque stupenda inspirasse, testibus Abraham patriarcha, Elia, S. Simone Stylita, S. Patritio, aliisque compluribus.

Ad discernendum spiritum ad eiusmodi singularia moventem, quae extravagantia videntur, considerandum est an a subiecto gerantur eminentis atque probatae sanctitatis, qua sit eruditione divina excultum, quanta vi ad talia exsequenda moveatur; item, an inde magnam virtutum frugem assequatur, an praecipientibus obsequatur. Haec si adsint, argumentum exstant pro inspiratione divina; contra vero, nisi miraculis aliunde voluntas Dei manifestetur.

296. Heroicae actiones. — Praecedenti simillimus est casus eorum, qui magna facinora meditantur, atque opera zeli aetati vel statui prorsus imparia; ecclesiarum, v. gr., erectionem sine bonis propriis, novorum Institutorum fundationem, votorum arduorum nuncupationem, exercitium acerbarum castigationum, et iis similia. Eo ipso quod praedicta communem mortalium potentiam superexcedunt, verenda est spiritus nequam interventio in iis, qui talia aggredi conantur. Evidentiam autem rerum negaret, qui contenderet eiusmodi consilia numquam a Deo procedere, vix enim Sanctus reperiatur, qui multis vel aliquo facinore non excelluerit. Ut in his spiritus bonus interesse credatur, ante omnia videndum est utrum vires et media quae mente evolvit heros futurus, propositis finibus aequa videantur; sin autem, perpendendum est num media supernaturalia evidenter appareant, ut mox dicetur: si tamen neutrum liquido pateat, phantasticae vel diabolicae illusioni dentur; nam dicit S. Theresia: « Magna quandoque diabolus nobis desideria adiicit, ne ea arripiamus, quae prae manibus sunt ad servitium Domini de rebus possibilibus, et satis fecisse videamur nobis impossibilia desiderasse » (1).

(1) *Moradas*, VII, c. IV, n. 23.

297. Acceptatio praelaturae. — Sententiae exstant Domini Iesu omnibus notae, quae vetant appetere prima loca (Luc. XXII, 26), praecipiuntque omnes in inferioribus gradibus assidere : *Recumbe in novissimo loco* (Luc. XIV, 10). Suspicandum igitur est de desideriis altiora loca tenendi, et dignioribus officiis fungendi, pallio licet contegantur maioris gloriae Dei proximorumque salutis. Quoniam autem revera licet desiderium praeeminentiae a desiderio boni operis atque frugiferi et operosi muneris separare, quo sensu affirmat Paulus (I Tim. III, 1) *bonum opus* desiderare, qui praelaturam aliquam desiderat (1), non ambitionis arguendum est quodlibet eorum desiderium, multoque minus eorum acceptatio.

Ut secernatur in talibus, bonusne an malus spiritus intercedat (decet enim animam humilem et piam diaboli interventum extimescere et suspicari), erit hoc Bona Cardinalis documentum : « Ut vero periculum evadat, et introitus ad dignitates securus sit, acceptandae illae non sunt nisi ex speciali Dei revelatione, aut ex consilio viri sancti et prudentis, cui bene perspecta sint illius status discrimina » (2). Quod si nil horum curet candidatus, imo potius desideriis exagitetur praelaturam obtinendi, aut vereatur ne sua consilia ad eam assequendam subvertantur, spiritus ambitionis ibi coniectandus est.

298. Spirituales consolationes. — Semita perfectionis crucibus strata est atque septa ; cum autem Dei consolationes haustibus brevibus animae concedantur velut illecebrae ad voluntatis divinae adimpletionem, diabolus interdum illas effingit, ut animas paulatim pertrahat ad sensibiles delectationes : unde intelligitur consolationes suspectas esse cum vehementius aut diutius in sensus redundant, ut cum anima sponte et qualibet ex causa in lacrymas erumpit. Ast neque dubitandum est quin Deus animas quandoque ineffabilibus

(1) Vid. commentaria Cornelii a Lapide super hoc loco.
(2) Opere cit., c. VII, n. 3.

repleat consolationibus, fontemque lacrymarum quibusdam adaperiat in orationibus quotidianis.

Discernitur in hisce casibus spiritus, antecedentia proxima vel etiam remota consolationis perscrutando, necnon fructus inde provenientes. Si ex cognitione procedant atque perspicientia intima divinarum veritatum, simulque firmum virtutum gignant studium, abnegationis praesertim et crucis, et aliunde intercluduntur aliquoties atque decrescunt, fas erit eas bono spiritui adiudicare; si vero ex indole procedant tenera atque sensibili, naturae potius attribuendae sunt, omnique pene frugi orbabuntur; si tamen affectus propriae existimationis resipiant, atque signis praelaudatis careant, noxiae erunt atque daemoni adiudicanda (1).

299. Dona mystica. — Omnis spiritus visionibus, revelationibus, aliisque donis extraordinariis circumfusus suspectus erit habendus, si prius non fuerit velut argentum igne examinatus atque excoctus; non enim solet Dominus tam largiter mercedes eiusmodi impertiri nisi purissimis mentibus post multos magnosque labores exantlatos. Quae in sequenti capite exponuntur, ad horum quoque donorum discretionem conferent: sed erit satis, ut plurimum, intima moralium virtutum inspicere, quibus ornetur ille, qui tantis mercedibus dignari creditur, maxime vero spiritum humilitatis, patientiae, atque obedientiae, illusionem reputando quidquid sine isto fundamento erigitur aut erectum creditur (2). Non loquimur autem, ut supra innuimus, de gratiis *gratis datis*, quae quidem aliquando et per transennam etiam sine illo fundamento conceduntur (259).

Attamen casus incidunt omnino praeter regulam, in quibus Dominus, humanam superbiam confundere volens, altissima quaeque dona creaturis impertitur tenerae aetatis, nullius experientiae, nec tribulatione

(1) Conferantur varii loci S. Theresiae, praecipue in *Moradas*, IV, c. 1; item, Bona, loc. cit., n. 10 et 12.

(2) Schram, *Institutiones*, t. II, c. III, § 472.

probatis, humilibus tamen atque purissimis. Sic, sanctae Hildegardis et Catharina Senensis miris ecstasibus a Spiritu Divino quadriennes dignatae sunt; S. Petrus de Alcantara et S. Angela de Brixia sexennes talia experti sunt (1): Ven. Michaëla Aguirre mysticam desponsationem quinquennis obtinuit; S. Rosa de Viterbio vel infantula miracula patravit.

CAP. IV.

Regulae speciales ad dona mystica discernenda.

300. Criterium universale pro donis mysticis. — Obiectum valde praecipuum discretionis sunt dona illa mystica, quorum studium in tertia parte tractatus nostri est institutum; sunt autem praecipua *visiones*, *loquutiones*, *revelationes* atque adnexa phaenomena (259). Et quamvis ex documentis hucusque praeinsertis, possent spiritus discerni in memoratis phaenomenis influentes, quae speciem aliquam divinitatis prae se ferunt, eorum tamen singularitas atque praestantia aliquas regulas speciales postulare videntur.

Criterium universale pro ipsis tenendum, ex humanae prudentiae legibus nullum aliud esse potest, quam intimam cuiusque phaenomeni naturam perpendere iuxta superius exposita (261 et seq.), atque perscrutari num casus dubius, qui ad nos deferatur, vere divinae revelationis, loquutionis, etc. insignibus ornetur. Quoniam vero spiritus tenebrarum transfigurat se in angelum lucis, ut diximus cum Apostolo, decet minutatim atque per partes casum perpendere, qui proponitur iudicandus, et quibusdam normis insistere ad illud universale criterium applicandum. Etiam his positis, necesse erit plerumque consilium a viris prudentibus exposcere, et orationi instare, ne decipiamur.

(1) Imbert, *La stigmatizatione*, t. II, c. xvii; Arintero, *Evolución mística*, p. II, c. vi, § 3.

Huius rei gratia, et quo facilius quaestionis studium instituatur, adiuncta partesque omnes rei ad tria capita referemus quae triplicem normarum seu criteriorum seriem subordinatam suppeditabunt, scilicet: 1° *obiectum*, seu materia visionis, loquutionis, etc.; 2° *subiectum*, seu persona phaenomenum experta; 3° *effectus*, seu consequentia inde manantia [1].

301. Obiectum seu materia. — Oportet ante omnia ut de authenticitate constet doni mystici, quod discernendum proponitur; cum enim non immediate didicerimus a persona, quae talem favorem experta dicitur, fieri potuit ut a personis referentibus aliquid immutata res fuerit, etiam in originalibus scriptis, ut saepe accidit (274).

Quoniam vero Deus non sibi contradicit, nec dona sua ad frivola vel ad humanam curiositatem concedit, iuste consequitur, ut revelationes, etc. divina censeantur, omnino oportere ut: 1° nihil in eis appareat contrarium fidei, honestis moribus, doctrinae Ecclesiae, vel communi theologorum sententiae; 2° ut vel in ipsis visionis, etc., adiunctis nihil suboleat inhonestum, ridiculum, deforme vel dedecens sanctitatem; qualia essent, ex. ergo, formae insolitae Sanctorum vel Angelorum, qui apparere dicuntur, convulsiones aut situs corporis monstruosi personae, quae ecstatica censetur, etc ; 3° ut omnia quae feruntur revelata, visa vel audita, utilia sint ad salutem et perfectionem, vel ad religionis et moralitatis augmentum, absque ridiculis et trivialibus, vel manifestatione rerum vulgarium aut aliunde iam cognitarum, vel solutione quaestionum scientificarum, etc.; 4° ut non revelentur vitia occulta Ordinis alicuius benemeriti, aut exaggerentur; v. gr., missiones ad hunc vel illum Praelatum super vitiis sui gregis aut cleri (suspiciendae semper); 5° ut, si de novis agatur devotionis formis aut de fundationibus, opportunae cen-

[1] Schram, op. cit., t. II, c. iv, § 504 et seq.; Bona, *De Discretione*, c. xx; Benedictus XIV, *De Serv. Dei beatif.*, l. III, c. LI; Scaramelli, op. cit., c. vi; Poulain, op. cit., c. xx.

seantur, neque eo vergant ut antiquiores evertantur quas oportet conservare, neque spiritui atque hodiernae disciplinae Ecclesiae opponantur (1).

Si dona mystica, quae discutiuntur, enumeratis conditionibus non respondeant, itemque si ad signum crucis, ad conspersionem aquae lustralis, etc., evanuerint, a maligno spiritu procedere decernendum est. Attamen a primo proposito signo licebit excipere casus illos in quibus adiuncta extraordinaria ex divina dispensatione malitiam obiecti adimunt; huius autem signum pignusque est, quod homo bene probatae virtutis invincibiliter a Spiritu Sancto moveatur. Sic recte explicantur, v. gr., sanctarum Theclae et Apolloniae martyrium, sacrificium patriarchae Abrahae, Samsonis suicidium.

302. Persona sive subiectum. — Notum est conditiones physicas, intellectuales atque morales subiecti notabiliter in mystica phaenomena influere posse, aliquid ficti addendo vel etiam illusionem creando (281); unde ex eiusmodi influxu valent aliquando uti naturalia phaenomena quaedam explicari, quae, speciem supernaturalem prae se ferentia, dubia apparere videntur.

Ut igitur ex hac causa dona mystica illusionis vel fallaciae suspicionem avertant, oportet: 1° ut appareant in persona sinceritatis et iudicii plena, pacatae phantasiae, temperamenti non adeo nervosi vel melancholici, complexionis non exesae poenitentiis, ieiuniis atque vigiliis; 2° ut anteacta vita eius bene morata fuerit atque virtutibus ita sufficienter exculta, ut dona mystica respondeant gradui orationis, probationibus et purgationibus animi, de quibus suis in locis habitus est sermo; 3° ne levis sit vel in ambiendis et concupiendis

(1) Filia Charitatis Apollonia Andriveau a Pio IX postulavit approbationem *Scapularis Passionis Rubei coloris*, itemque institutionem festi de Passione, quod in hebdomada Paschatis erat celebrandum; quae omnia, aiebat, revelationibus sibi factis respondebant: Pius IX scapulare quidem approbavit, non tamen festum, eo quod spiritui Ecclesiae et disciplinae contrairet.

eiuscemodi donis (1), vel in evulgandis, quae forte susceperit, neque sollicita sit evolvere mente, vel perlegere has gratias extraordinarias; sit autem cum moderatore sincera et aperta, eique pareat, verita ne fallatur, si secus egerit.

303. Effectus seu consequentia. — Quum dona sua Dominus non nisi ad animarum bonum profectumque largiatur, concluditur dona illa non exsistere ubi, licet anima nullum consequenter vel concomitanter obicem interiecerit, effectus isti non subsequantur.

Ut igitur revelatio aliqua, vel inspiratio, etc., hac ratione divina dici possit, requiritur: 1° ut anima, illis superadditis mercedibus, virtute proficiat, humilitate praesertim, admirabili pace, invictaque patientia, magisque in dies sibi persuadeat illa omnia, non quidem a semetipsa, sed a divina virtute procedere (2); 2° ne mox in vitium degeneret, aut in proprii amoris fomentum virtus, quam diabolus in principio fucaverit, ad illam decipiendam; 3° ut, maioris certitudinis ergo, beneverterint tentamina pperum in revelatione propositorum, vel praedictiones eius sint partim expletae; 4° ut eventus illi atque salutares effectus nequeant naturaliter explicari per causas a supernaturalibus alienas vel oppositas; 5° ut opera atque arrepta consilia periculis subeant contradictionum, de quibus tamen sine clamoribus atque violentia triumphum referant (288).

(1) Cum anno 1901 in Galliae Comitiis quaestiones de religiosorum Institutorum persecutione controverterentur, multorum excitata est phantasia prophetica devotorum, ac personae plus decem (singulae pro se), Romam petierunt cum suis revelationibus atque consiliis ad Leonem Papam XIII: aliquis e Cardinalibus eas audivit, Sanctitas vero sua nulli audientiam fecit.

(2) Vide López Ezquerra, *Lucerna mystica*, tr. IV, n. 178.

L. D. V. Q. M.

INDEX GENERALIS

PAG.

PROLOGUS 1

INTRODUCTIO 5

PARS PRIMA. — **Mystica Generalis.**

CAP. I. Notiones fundamentales 19

CAP. II. De moderatore, moderato et moderamine 33

§ 1. De moderatore 33

§ 2. De moderato 38

§ 3. De moderamine 44

CAP. III. Media generalia ad perfectionem . . 52

§ 1. Desideria perfectionis 54

§ 2. Spiritualis moderatoris electio . . . 57

§ 3. Poenalia exercitia 60

§ 4. De oratione 63

§ 5. Lectiones et collationes spirituales . . 68

§ 6. De meditatione et contemplatione . . 71

§ 7. De praesentia Dei 87

§ 8. De sacramentali confessione . . . 91

§ 9. Examen conscientiae 93

§ 10. De frequenti Communione 96

§ 11. De devotione in Beatissimam Virginem et Sanctos 101

§ 12. Vitae methodus 105

Pars Secunda. — **Ascetica.**

Sectio I. — **Via purgativa.**

		PAG.
Cap. I.	Notiones ac normae directionis	112
§ 1.	Notiones cardinales de via purgativa	112
§ 2.	Normae directionis ad hanc viam	121
Cap. II.	Exercitia purificationis activae	127
§ 1.	De vitiorum capitalium expugnatione	128
§ 2.	Reformatio sensuum corporalium	142
§ 3.	De subiectione interiorum sensibilium potentiarum	148
§ 4.	Moderatio superiorum potentiarum	152
Cap. III.	Exercitia purgationis passivae	156
§ 1.	De tentationibus	158
§ 2.	De ariditatibus	162
§ 3.	De scrupulis	164
§ 4.	De exterioribus afflictionibus	168

Sectio II. — **Via illuminativa.**

Cap. I.	Notiones atque directionis documenta	171
Cap. II.	Virtutes morales	181
Cap. III.	De virtutibus theologicis	195

Sectio III. — **Via unitiva.**

Cap. I.	Notiones ac documenta	206
Cap. II.	De activa contemplatione	214
Cap. III.	Virtutes animarum perfectarum	223

Pars Tertia. — **Mystica.**

Sectio I. — **De contemplatione infusa in genere.**

Cap. I.	Natura et causae contemplationis infusae	234
Cap. II.	Effectus contemplationis	246
Cap. III.	De dispositionibus ad contemplationem	258
§ 1.	Dispositiones activae	259
§ 2.	Dispositiones passivae	263
§ 3.	Dispositiones directivae	274

Sectio II. — Gradus contemplationis.

PAG.
Cap. I. Gradus imperfectus 284
Cap. II. Gradus perfectus 290
Cap. III. Gradus summus 299

Sectio III. — Contemplatio distincta.

Cap. I. De visionibus 308
Cap. II. De loquutionibus 314
Cap. III. De revelationibus 318

Pars Quarta. — De discretione spirituum.

Cap. I. Notiones generales de discretione . . 326
Cap. II. Discretionis et medicationis regulae generales 333
§ 1. Normae generales discretionis . . . 333
§ 2. Normae generales curationis . . . 338
Cap. III. Regulae speciales pro casibus extraordinariis 342
Cap. IV. Regulae speciales ad dona mystica discernenda 347

2092

248
N18

Naval, Francisco
AUTHOR

Asceticae et Mysticae
TITLE